


37
38 B
10

JOANNIS DEVOTI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPI CARTHAGINIENSIS

JUS CANONICUM UNIVERSUM
PUBLICUM ET PRIVATUM

NOVA ROMANA EDITIO ACCURATIOR

TOMUS II.

QUI CONTINET LIBRUM I. DECRETALIUM GREGORII IX.



ROMAE
APUD JOANNEM FERRETIUM
M.DCCC.XXXVII
Superiorum facultate

PRÆFATIO

Quoddam commune habere vinculum, et quasi cognatione quadam inter se contineri Theologiam, Jus Canonicum, Jus Civile, neminem, qui sit in optimarum rerum, et facultatum cognitione, scientiaque versatus, arbitror ignorare. Omnibus his disciplinis, atque doctrinis commune est, ut per eas mores hominum conformentur; Civilis autem, et Canonici Juris singulare est, ut utrumque rem publicam, et privatam optimis temperet et institutis, et legibus; in eo denique Jus Canonicum cum Theologia convenit, quod utraque hac disciplina fides christiana, et sacra instituta ad Religionem spectantia diriguntur. Quaenam vero ex iisdem ceteris praestet, vetus quaestio est, in qua alii re incognita judicaverunt, alii se rapi passi sunt amore facultatis, quam profitebantur, alii alicujus, quem primum audierunt, oratione capti totos se ad ejus auctoritatem contulerunt. Ita factum est, ut multi primum ante teneantur adstricti, quam quid verum sit, judicare potuerint. Boetius Epo (1) divinam legem, et sacram sapientiam canonicae Jurisprudentiae praeferendam esse fatetur, sed hanc Civili Jure praestabiliorem judicat; quae eadem sententia est doctissimorum hominum, qui se praejudicata opinione, studiisque partium abripi noluerunt. Justinianus Imperator, qui certe ad civilem jurisprudentiam debuit esse propensior, leges civiles sequi canonicas declarat (2), *et plus studii adhibendum sibi esse* profitetur *circa sacrorum canonum, et divinarum legum*

(1) De *jure saer. lib.* 1. *num.* 1. *seqq.*
(2) Novel. 83. *cap.* 1.

custodiam , quam circa leges civiles (1). Hoc omnium consensu certum, exploratumque est, ut Canonici Juris consulto civilis doctrina necessaria est, ita in peritorum Juris Civilis numero habendum esse neminem, nisi sit Canonici Juris scientiam consecutus. Nam utraqne haec jura mirabiliter inter se nexa, et jugata sunt in proponendis legibus, quibus controversiae expediuntur, metuque poenarum continentur in officio cives; ac Romani Pontifices, qui corpus Juris Canonici ediderunt, cum et hujus essent, et Civilis Juris peritissimi, id sibi maxime proposuerunt, ut perfecta, omnibusque suis numeris, et partibus expleta haberetur jurisprudentia. Hinc merito Lucius III. (2) ajebat „ Sicut leges non dedigantur „ sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum „ Principum constitutionibus adjuvantur „

Ac multa sane ex Civili Jus Canonicum sumpsit, multa addidit in iis rebus, in quibus eo non satis consultum, et provisum fuerat, multa etiam emendavit, quae minus recte ab eodem Jure fuerant constituta. Viduae intra luctus tempora nubentes per civiles leges infamia notantur (3), sed totum hoc absterget dedecus Jus Canonicum, a quo propter imbecillitatem, fragilitatemque communis naturae, hujusmodi nuptiae permittuntur (4). Illae initio tantum requirunt bonam fidem ab eo, qui rem alienam possidet, hoc magis convenienter, congruenterque aequitati eamdem bonam fidem vult esse perpetuam, donec confectum sit curriculum temporis, quod est a lege praescriptioni datum (5). Concubinatum Jus

(1) Novel. 137., *L.* 23. *C. de sacr. Eccl.*, *L.* 42. *C. de Episc. et Cleric.*
(2) Cap. 1. *de nov. oper. nunciat.*
(3) L. 1. 8. 10. *ff. de his qui notan. infam.*
(4) Cap. *penult. et ult. de secund. nupt.*
(5) Cap. 1. *et ult. de praescript.*

Civile non improbat, sed vetat Jus Canonicum Christianum hominem habere mulierem in concubinae locum; idem licentiam coercet divortiorum (1); usuras damnat, atque in hujus criminis reos gravissimis poenis animadvertit (2); certos constituit gradus cognationis, et affinitatis, intra quos nuptiae conciliari non possunt (3). Quid de ceteris dicam, de beneficiis, decimis, jurepatronatus, votis Regularium, et Clericorum, electionibus, matrimoniis, similibus, quae in forensibus disceptationibus judiciorum, aut deliberationum versantur, de quibus nemo recte judicare potest; nisi sit Canonici Juris scientia excultus, et expolitus? Quid de ipsa ratione judiciorum? Nam Jus Canonicum amputatis minutis illis subtilitatibus, quas veteres Jurisconsulti excogitaverant, eorum exercendorum tradidit methodum apertam, planam, simplicem, quae omnium consensu probata est, quaeque nunc fere ubique retinetur.

In partitione titulorum, ac materiarum, qui Pontificias Decretales collegit, Raymundus de Pennafort ordinem tenuit perspicuum, concinnum, accuratum, aptumque, et accomodatum ad rem, de qua agitur, multisque in locis haud dissimilem ordinis, quo Justinianeum Codicem complexus est Tribonianus. Revera hujus exemplo Codicis orditur a Titulo *de Summa Trinitate*, ut inde capiat initium, unde cuncta procedunt, hoc est ab immortali, et praepotente Deo, cujus numini parent omnia. Postea progreditur ad partes Juris, quod cum scriptum, vel non scriptum sit, itemque aut pro omnibus universe, aut pro certis tantum hominibus, rebusque constitutum, singula partite explicat, ac diligenter. Sed omne Jus vim suam explicare

(1) Confer Titulum Decretalium *de divort.*

(2) Vide Decretalium Titulum *de usur.*

(3) Cap. 8. *de consanguinit.*

non potest, nisi habeat loquentem Magistratum, qui id, quod ipsum jubendo, aut vetando praescribit publica auctoritate exequatur. Itaque expositis Juris partibus, horum Magistratuum tractatio suscipitur, atque ostenditur, qualis eorum sit potestas, quomodo acquiratur, aut amittatur, a quo, quove tempore, ac loco, modoque faciendae sint ordinationes, per quas clerici ordinis potestatem consequuntur, quales eos esse oporteat, qui ordinibus initiantur, qui frustra ad eosdem accedere, aut aspirare conentur. Ita uno in conspectu posita generatim est universa potestas clericorum, quae ordinis, quaeque jurisdictionis dicitur, atque eadem tractatio complectitur tum eos, in quibus sola ordinis potestas inest, tum eos, qui utramque obtinent, quique proprie Ecclesiae Magistratus dicuntur, ac sunt revera. Sed haec, quae ad omnes universe pertinent, evolvenda, et enucleanda sunt diligentius, ut singillatim noscantur jura, potestas, munus eorum, quibus in rebus Ecclesiae data jurisdictio, certumque officium commissum est. Itaque de his distincte agitur, et huc sane referuntur Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, Sacrista, Custos. Quoniam vero ex iis, qui potestatem obtinent jurisdictionis, quidam sunt, qui in ea exercenda vices alterius gerunt, a quo eadem tota procedit, alii contra sunt, qui eamdem habent propriam, et affixam Magistratui, quo potiuntur, idcirco agitur *de officio Vicarii*, *de officio et potestate Judicis delegati*, *de officio Legati*, qui omnes ab alio repetunt potestatem suam, postea *de officio Judicis ordinarii*, quo nomine cum Episcopis comprehenduntur etiam ceteri inferiores Praelati, quibus quasi Episcopalis potestas concessa est. Postremo quaedam generales, quae ad cujusvis Judicis officium pertinent, regulae proponuntur. Eorum autem, in quibus inest jurisdictio, non omnium idem est gradus, sed alii aliis prae-

stant, atque ita rectus ille efficitur ordo, et dispositio rerum, per quam inferiores superioribus subjiciuntur. Hinc describitur Titulus *de majoritate*, *et obedientia*, quo quidem demonstratur, qui imperare, et qui parere debeant, quos utrosque in bene constituta republica esse oportet.

Sic patefacta universa ordinis, et jurisdictionis potestate; qua ecclesiasticos homines praeditos esse constat, fit progressus ad hujus jurisdictionis explicandae modum, quod praesertim fit in judiciis, de quibus in altero Decretalium libro copiose disputatur. Sed antequam hanc materiam pertractandam suscipiat Raymundus, ea praemittit, quae fieri, ac praeparari solent, antequam judicium inchoetur; ne quis aut omnino in jus ire cogatur, vel ut coactus ire caute, ac tuto in judicio versetur. Removetur omnis judicii causa, et materia per pacta conventa, quae vel publica sunt, quo spectat Titulus *de Treuga*, *et pace*, vel privata, quo referuntur Tituli *de Pactis*, *et de Transactionibus*. Cum frustra actum est, ut illis modis dissidia componantur, experiendum est judicio, ad quod unusquisque instructus, paratusque venire debet, causamque dicere aut per semetipsum, aut per procuratorem, vel syndicum, cum universitatis, aut collegii negocia gerenda sunt. Verum cum in instituendo judicio primum quaerere oporteat, num concedendum sit beneficium restitutionis in integrum, quod datur, cum quis aliquid vi metuque gessit, cum minores, vel Ecclesiae laesionem pertulerunt, cum alienatio judicii mutandi causa facta est, de his omnibus partite, atque ordine disseritur. Postremus Titulus est *de Arbitris*, quibus saepe mutuo litigantium consensu negocia expedienda committuntur, ut judiciales concertationes removeantur. Haec rerum dispositio, ac Titulorum primi libri partitio est, qua equidem nescio num alia pulchrior, concinnior, accuratior esse possit.

Totius vero operis egregia similiter ratio, ac distributio est. Cum enim omne jus in judicio reddatur, primo libro comprehensa sunt omnia, quae ecclesiasticis judiciis antecedunt; atque in primis agitur de ecclesiasticis Magistratibus, aut Judicibus, sive ii propriam, et nativam, sive ab alio mandatam habeant jurisdictionem. Cumque omnia judicia aut litium dirimendarum, aut maleficiorum puniendorum causa instituta sint, scilicet aut civilia sint, aut criminalia, in secundo libro cuncta enodantur, quae ad ordinem pertinent, ac rationem civilium judiciorum, quem sane ordinem nunc omnes sequuntur in utroque foro, amoto illo antiquiori valde implicato verborum circuitu, et anfractu. Tertio libro disseritur de rebus ecclesiasticis, iisque civilibus, quae ad Episcopale forum deferuntur. Hae partim clericos, partim laicos, partim utrosque attingunt. Liber hic tertius ea persequitur, quorum causa vel inter solos clericos, vel inter ipsos, et laicos disceptatio est. Verum liber quartus de iis agit, quae ad laicos magis proprie pertinent, nimirum de sacramento matrimonii, cujus praesertim causa laici ecclesiastico foro subjiciuntur. Denique liber quintus exequitur criminalia judicia, atque eorum materiam, rationemque describit (1). Cum haec ratio sit, atque ordo totius corporis Decretalium tam apte, dilucide, diligenter, ornate dispositus, in eo sane explanando nos eumdem ordinem sequi maluimus, quam insistere vestigiis eorum, qui illum quasi despicientes novam suo lubitu excogitarunt methodum, qua Jus Canonicum complexi sunt. Docti, et intelligentes viri, qui suam in explicando Codice Justinianeo operam, et industriam posuerunt, nefas sibi esse putarunt discedere ab ordine, quem

(1) Cuncta haec diligenter explicat Joannes Doujatus *praenot. canon. lib. 4. cap. 19. pag. 107. edit. Venet. 1735.*

Tribonianus proposuit; cur quasi fastidiosi ordinis Decretalium, qui ab illo parum differt, alium ad arbitrium nostrum formamus, et fingimus?

Neque solum in ordine titulorum, ac divisione materiarum totius collectionis egregia ratio, ac dispositio est, sed etiam singulae Decretales ita sunt plenae gravitatis, veritatis, sapientiae, ut nonnisi invidi vituperatores, qui in omni continuo pravitate, et in summa opinionum perversitate versantur, aliquas potuerint quaerere reprehensionis causas. Sane quidquid Romanorum Pontificum decretalibus continetur aut ex jure Divino, et naturali, aut ex SS. Patrum sententiis, decretisque Conciliorum, aut ex Ecclesiae traditione, et disciplina, ceterisque purissimis fontibus sumptum est; multa etiam ex Jure Civili in Jus Canonicum derivata sunt, et eorum multa vel temperata, vel emendata sapienter, vel providentissime accomodata ad récentiores mores, et consuetudines. Hinc summa semper vis, et auctoritas fuit Pontificiarum Decretalium, non solum quod eas emiserat Sedes Apostolica, mater, et magistra omnium Ecclesiarum, sed etiam quod earum aequitas, et sapientia ita sua se luce prodebat, ut nemo in re clarissima sese posset ab assensu sustinere. Quare hae Decretales *Auctoritatis* nomine vocabantur, ut vis ipsa vocabuli significaret, iisdem comprehendi jussa, quibus omnes parere oportebat. Sic mandatum, quo Macco Comes a Childeberto jussus est turbas comprimere, *auctoritatem* appellat Gregorius Turonensis (1), cum inquit „ Quod cum Childeberto Regi nunciatum fuisset, statim di„ recta *auctoritate* praecepit Macconi Comiti ut haec reprimere

(1) Gregorius Turonensis *Histor. lib. 9. cap.* 41. *pag.* 519. *edit. Basiliae* 1568.

„ omni intentione deberet „ ; et sic in Regiis chartis (1): frequens „ est formula „ Et ut praesens *auctoritas* tam praesentibus, „ quam futuris temporibus inviolata Deo auctore permaneat, manus nostrae subscriptionibus infra roborare de- „ crevimus „ Eodem hoc vocabulo designantur epistolae decretales Pontificum Romanorum, quoniam et hae, ut Regis mandata, parendi necessitatem imponunt. Ita acta Synodi Palaestinae, quae Victore Pontifice habita est, incipiunt his verbis „ Papa Victor Romanae Urbis Episcopus direxit *auctoritatem* „ ad Theophilum Caesariensem„ et paulo post „ Cum multitudo „ illa convenit, Theophilus Episcopus protulit *auctoritatem* „ ad se missam Papae Victoris„ (2). In vetusta canonum collectione, uti testatur Petrus Coustantius (3), non alio quam *auctoritatis* nomine decretales epistolae inscribuntur „ *Au-* „ *ctoritas* Siricii ad Himerium : *auctoritas* Innocentii ad Vi- „ ctricium, *auctoritas* Zosimi ad Isicium „ eademque utuntur formula S. Leo M. (4), ac Gregorius item M. (5), et

(1) Confer Marculfum *Form. lib.* 1. *formul.* 3. *et* 4. apud Baluzium *Capitular. Reg. Franc. tom.* 2. *col.* 256. *edit. Venet.* Consulendus est etiam Auctor Pontificalis *in Liberio num.* 3., *et in Bonifacio num.* 2. *tom.* 1. *pag.* 116. *et* 136. *edit. Vignoli Romae* 1721.

(2) Videndus Coustantius *epist. Roman. Pontific. in Victore I. col.* 91. 92.

(3) Coustantius *loc. cit.* Praeterea videndae sunt *epist.* 1. Zosimi *ad Episc. Galliae* apud eumdem *col.* 936., *et epist.* 15. Bonifacii *ad Rufum num.* 3. *col.* 1040.

(4) S. Leo M. *ep.* 159. *in princip. col.* 1330. *edit. Ballerin. Venet.* 1753. » Regressus ad nos, *inquit*, filius meus Adeodatus Sedis nostrae Diaconus di- » lectionem tuam proposuisse memoravit, ut de his a nobis *auctoritatem* Apo- » stolicae Sedis acciperes »

(5) S. Gregorius M. *lib.* 10. *ep.* 5. *ad Savinum Subdiac. col.* 1044. *opp. tom.* 2. *edit. Paris* 1305. „ Idcirco tibi, *inquit*, hac *auctoritate* praecipimus, » ut praedictam Mariam commoneas, quatenus voluntatem patris, auctorisque » sui implere non differat »

eadem similiter Auctor libri Pontificalis in Leone, Hormisda, Martino (1). Res autem ipsa egregie congruit cum nomine *auctoritatis*, quo hae literae designabantur. Nam qui auctoritatem habet, non tantum imperat, sed et poenas constituit adversus repugnantes imperio (2), et harum quidem irrogatione poenarum plenae sunt literae Pontificum Romanorum. Sic Victor II. Ecclesiae saeculo Asianis Pascha celebrantibus ipsa Luna decimaquarta more Judaeorum, poenarum metum objecit; sic Siricius (3), Zosimus (4), Coelestinus (5), Leo M. (6),

(1) Auctor Pontificalis *in Leone M. num.* 2. *pag.* 148., *in Hormisdas num.* 8. *pag.* 187., *in Martino num.* 2. *pag.* 259. *tom.* 1. *edit. ejusd.*

(2) Auctoritas idem est ac jussum, et voluntas superioris, cui subditi parere coguntur. Consule Brissonium, et Heineccium *de verbor. signif. verb. auctoritas.*

(3) S. Siricius *ep.* 1. *ad Himerium Tarracon. cap.* 15. apud Constantium *epist. Pontif. Roman. col.* 637. » Scituri posthac, *inquit*, omnium provinciarum summi Antistites, quod si ultra ad sacros ordines quemquam de talibus » crediderint assumendum, et de suo et de eorum statu, quos contra canones, » et edicta nostra provexerunt, congruam ab Apostolica Sede promendam esse sententiam »

(4) S. Zosimus *ep.* 9. *ad Hesychium Salonitan. cap.* 2. *ibid. col.* 970. » Sciet quisquis, *inquit*, hoc postposita Patrum, et Apostolicae Sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius vindicandum; ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune » tentari. Contumeliae enim studio fit, quidquid interdictum toties usurpatur»

(5) S. Coelestinus *ep.* 5. *ad Episc. Apul. et Calabr. numer.* 3. *ibid. col.* 1074. » Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram Sedis » Apostolicae minime defuturam. Quae enim sola admonitionis auctoritate non » corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus » *et ep.* 13. *ad Rufum num.* 9. *col.* 1044.

(6) S. Leo M. *ep.* 4. *ad Episc. per Campan. Picen. Tusciam constit. cap.* 5. *tom.* 1. *opp. col.* 616. *edit. indic.* » Hoc itaque *inquit*, admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra haec constituta venire tentaverit, » et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum,

Hilarus (1), Symmachus (2), quod ab se praescriptum fuerat, addita sanctione, ab omnibus observari voluerunt; sic Gregorius M. (3), ac reliqui Pontifices, indictis poenis ostenderunt, haud inanes, et supervacaneas futuras leges, quas suis literis comprehendebant.

Cum tanta sit, semperque fuerit vis, et auctoritas Pontificiarum decretalium, mirum videretur, fuisse homines, qui omnes nervos contenderunt, ut eas tam vetusta, tamque firma possessione dimoveant, nisi sciremus, a Christo ipso praenunciatum fore, ut Ecclesiae navis fluitet in alto perpetuis tempestatibus, quibus tamen jactari quidem poterit, verum obrui, ac mergi certe non poterit. Qui Ecclesiae bellum intulerunt, in eo sibi maxime elaborandum putarunt, ut discerperent, et dilacerarent unitatem, sine qua vera Christi Ecclesia esse non potest; cumque hujus unitatis caput, et centrum sit constitutus a Christo Servatore Romanus Pontifex; in hunc omnium conversa sunt arma, ut capite, si fieri posset, et centro exturbato ipsa unitas tolleretur. Ac sane furor hic est, et insania veteris adversariorum Ecclesiae, nimirum „ haereticorum, ut cum in „ aliis fere dogmatibus non minus inter se, quam a nobis dis-

» nec communionis nostrae futurum esse consortem, qui socius esse noluit di» sciplinae. Ne quid vero sit, quod praetermissum a nobis forte credatur, omnia » decretalia constituta tam bon. record. Innocentii, quam omnium decessorum » nostrorum .... ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis » in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari »

(1) Hilarus *ep.* 10. *et* 11. apud Labbaeum *Concil. tom.* 5. *col.* 68. *edit. Venet. Coleti.*

(2) Symmachus *ep.* 10. *ad Caesarium Arelaten. ibid. col* 439.

(3) Gregorius M. *ep.* 1. *lib* 7. *col.* 845. » Nam si a vobis, *inquit*, quod » non credimus minime fuerit adimpletum, eamque recipere forte distulerit, » nos illud cognoscetis cum districta vindicta correcturos » Mitto cetera similia, quae passim in Gregorii literis occurrunt.

„ sentiant, in hoc tamen omnes conveniant; ut totis viribus,
„ summaque animi contentione Romani Pontificis Sedem oppugnent. Nulli fuerunt umquam hostes Christi, et Ecclesiae,
„ qui simul cum hac Sede bellum con gesserint „ (1). Hi homines, qui non poterant non esse in Apostolicam Sedem magno odio concitati, quidquid ab ea procedit, improbare, et vituperare consueverunt; quo eodem vitio infecti sunt multi, quos vel invidia, vel malevolentia, vel error, et prava consuetudo misere abstraxit a veritate. Hinc nihil non actum, aut excogitatum, ut Primatus jura imminuantur; et hinc elevata auctoritas Pontificiarum decretalium, quas illi temere, et impudenter calumniati sunt aut tamquam haustas ex impuris fontibus Isidori Mercatoris, aut tamquam editas a Summis Pontificibus, ut potestatem suam amplificarent. Si haec ab haereticis dicerentur, fortasse possent ferri patienter, cum omnes intelligant, quale in verae Ecclesiae caput debeat esse odium hominum, qui ab ea turpiter discesserunt. Illud non dico animo ferri, sed vel auribus accipi non potest, homines, qui cum se catholicos profiteantur, omni ope, et opera eniti deberent, ut semper integra sit dignitas, et potestas Capitis Ecclesiae, in qua singulari Dei beneficio nati sunt, id contra unum quaerant, atque in eo maxime suam explicent, atque excutiant intelligentiam, ut de hac dignitate, et potestate tantum detrahant, quantum in columi vi, ac ratione Primatus, detrahi certe non potest. Ceterae gentes, quae aut inanes Deos venerantur, eos, qui sacris suis ritibus praesunt, summopere reverentur et colunt; nos autem, quos Deus Optimus Maximus nasci voluit in sua Ecclesia, extra quam nulla salus esse potest, tam insigne beneficium re-

(1) Bellarminus *de Roman. Pontific. in praefat. opp. tom.* 1. *pag.* 245. *edit. Venet.* 1721.

numerabimus malevolentia in eum, quem ipse toti Ecclesiae praefecit, ut in eo sit unitas omnium particularium Ecclesiarum, quae per orbem universum diffusae sunt?

Nihil attinet percensere numerando omnes, qui se catholicos esse praedicant, et tamen Catholicae Ecclesiae Capiti, cujus jura summo studio tueri deberent, crudeliter inimici, infensique sunt. Sed in hunc numerum referendus in primis est, qui multorum errores, et maledicta collegit, Rupertus Curaltius, cujus opus Professor quidam Theologiae, qui magnas obtinuit partes in Synodo Pistoriensi Scipionis de Ricciis, ita ad propositum suum accomodatum putavit, ut illud Italico sermone redditum in lucem edere voluerit cum titulo: *Principj genuini di tutta la giusisprudenza sacra con nuovo, acconcio, e facil metodo trattati da Roberto Curalt Sacerdote dell' Ordine Cisterciense Traduzione dal Latino coll' aggiunta di una prefazione, e di alcune note tomi* 3. *in Prato presso Angiolo Casini Stampatore Vescovile.* In hoc opere, praeter complures, qui in eo continentur, errores, et quorum plerique cum iis conveniunt, quos Pius VI. Summus Pontifex *in Bulla Auctorem fidei* edita *die* 28. *Augusti* 1794. damnavit adversus acta, et decreta ejusdem Synodi Pistoriensis, hoc praesertim quaeritur, ut jura, quae ab Ecclesiae Capite, quale Christus instituit, abesse non possunt, vel magna ex parte minuantur, vel tollantur omnino. Romano quidem Pontifici, tamquam Petri Successori, Primatus tribuitur, et hic sane ad unitatem conservandam necessarius agnoscitur, sed tam angustis coercetur finibus, ut nomen quidem habeat Primatus, vim et auctoritatem non habeat. Verum si unitatis conservandae causa Primatus institutus est, quomodo ea conservabitur, nisi eidem Primatui auctoritatem, et potestatem concedamus, qua repugnantes cogere ad unitatem possit? Si unusquisque Episcopus in sua dioecesi omnem obtinet auctoritatem, ita ut ea nemini subje-

cta habeatur, quomodo Summus Pontifex homines sibi minime obnoxios ad unitatem vocabit invitos? Tot erunt Primates, quot Episcopi; hoc unum inter hos, et Romanum Pontificem discrimen intercedet, quod hujus quidem Primatus sese diffundet in Ecclesia universa, sed tantum inani nomine aliorum vero Primatus comprehendetur quidem, concludeturque circumscriptione certae dioeceseos, sed re vera, et potestate, quae inani nomine multo praestantior est. Haec, aliaque permulta, quae a Curaltio afferuntur contra monarchicum Ecclesiae regimen, contra Primatus jurisdictionem, aliaque similia, quaeque ipse arripuit ab antiquioribus auctoribus, quorum damnata sunt scripta, copiose, ac diligenter refutata sunt a viris doctissimis, quos inter memorare placet Bellarminum, Orsium, Mamachium, Ballerinium, cujus egregium opus *de vi et ratione Primatus Pontificii* in omnium manibus versatur; nosque etiam horum tot virorum, atque tantorum sequuti institutum totum hoc argumentum *in prolegomenis* pertractavimus (1).

Liceat mihi adversus Curaltium, ejusque laudatorem, e interpretem, fautoresque ceteros eodem uti argumento, quo adversus hominem in eadem schola eruditum, et iisdem captum erroribus usus est Cardinalis Gerdilius (2), qui nuper e vivis ereptus triste nobis desiderium reliquit doctrinae, et pietatis suae. Cum enim ille iisdem ratiunculis, pravisque sententiis in summa contenderet: *nullum esse in Ecclesia summum Caput, et Monarcham, praeter Christum; Episcopos omnes simul, et in solidum eamdem regere Ecclesiam, singulos cum plena potestate: Monarchiae formam non fuisse immediate in Eccle-*

---

(1) Tom. 1. *cap.* 5. *pag.* 56. *seqq. et cap.* 9. *pag.* 181. *seqq.*

(2) Esame *de motivi dell' opposizione fatta da Mons. Vescovo di Noli alla pubblicazione della Bolla Auctorem fidei par.* 2. *sez.* 3. *art.* 3. §. 5. *pag.* 303. *seqq. edit. Romae* 1801.

sia a Christo institutam : Romanam Ecclesiam praecipuam fuisse , et esse nobilitate , existimatione , nomine , et dignitatis auctoritate, non regiminis, et jurisdictionis Principatu (1); Gerdilius ostendit , hos ipsos esse errores , quos effudit Spalatensis Apostata Marcus Antonius de Dominis , et quos Sacra Facultas Parisiensis tamquam haereticos damnavit. His autem opponit veram Gallicanae Ecclesiae sententiam , quae tantum ab iisdem distat , quantum veritas ab errore , et mendacio , eandemque exponit Joannes Gersonius, cujus saepe auctoritate Scriptores Curaltio similes contra Sedem Apostolicam abutuntur. Ipse autem post indicatam mutationem , cui civilia imperia subjecta sunt, scribit haec „ Non sic de Ecclesia , quae in „ uno Monarcha Supremo fundata est a Christo .... Quia nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter monarchicam , et quodammodo Regalem , nisi Ecclesiam. Et oppositum sentientes , quod fas est esse plures Papas , aut quod „ quilibet Episcopus est in sua dioecesi Papa , vel Pastor Supremus aequalis Papae Romano , errant in fide , et unitate „ Ecclesiae contra articulum illum *et in unam sanctam etc.* et „ si pertinaces maneant , judicandi sunt haeretici , sicut Marsilius de Padua , et quidam aliorum „ (2). Tum alio loco „ Potestas , *inquit*, ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter , et subjective in solo Romano Pontifice .... plenitudo „ potestatis ecclesiasticae est potestas ordinis, et jurisdictionis, „ quae a Christo collata est supernaturaliter Petro , sicut Vicario suo , at Monarchae primo pro se, et suis successoribus „ legitimis usque in finem saeculi, ad aedificationem Ecclesiae

(1) Consule Carolum d'Argentrè *collect. judicior. de nov. error. tom.* 2. *par.* 2. *pag.* 105. *seqq. edit. Paris* 1755.

(2) Gersonius *de auferibilit. Papae ab Eccles. consider.* 8. *opp. tom.* 2. *col.* 213. *edit. Antuerp.* 1706.

„ militantis, pro consecutione felicitatis aeternae „ (1) Rursus alibi „ Status Papalis institutus est a Christo supernaturaliter, „ et immediate tamquam Primatum habens Monarchicum, et „ Regalem in ecclesiastica Hierarchia, secundum quem statum „ unicum, et supremum Ecclesia militans dicitur una sub „ Christo, quem statum quisquis impugnare, vel diminuere, „ vel alicui ecclesiastico statui particulari coaequare praesumit; „ si hoc pertinaciter faciat, haereticus est, schismaticus, impius, atque sacrilegus. Cadit enim in haeresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiae usque hodie, „ tam per institutionem Christi de Principatu Petri super „ alios Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiae „ in sacris eloquiis suis, et generalibus Conciliis „ (2). Denique haec scribit „ Status praelationis Episcopalis habuit in Apostolis, et in Successoribus usum, vel exercitium suae potestatis sub Papa Petro, et successoribus ejus, tamquam sub „ habente, vel habentibus plenitudinem fontalem Episcopalis „ auctoritatis. Unde et quoad talia minores Praelati, scilicet „ Curati, subsunt Episcopis, a quibus usus suae potestatis „ quandoque limitatur, vel arcetur, et sic a Papa posse fieri „ circa Praelatos majores ex certis, et rationabilibus causis, „ non est ambigendum „ (3). Videant igitur Curaltius, ac ceteri, qui in eodem luto haesitant, quae sit de Ecclesiae regimine Gallicani Cleri sententia cum tota Ecclesia consentiens, ac desinant aliquando in medium revocare errores M. Antonii de Dominis, Edmundi Richerii, aliorum similium, qui toties damnati, et profligati, sunt.

(1) Idem *de potest. ecclesiast. consider.* 10, *d. tom.* 2. *col.* 239.

(2) Idem *de statib.* 6, *ecclesiast. sub titulo sex considerationes super statu Sum. Pontif. consider.* 1, *ibid. col.* 529.

(3) Idem *eod. loc. sub tit. sex consider. de stat. Sum. Pontif. et DD. S. R. E. Cardinal. consider.* 3. *col.* 532.

Nulla hactenus facta mentio est Decretalium Isidori Mercatoris; sed quisquis ingenium, et doctrinam novit hominum, qui inania quaeque, et a veritate aliena consectantur, modo in Sedem Apostolicam aliquod se habere putent criminationis Indicium, aut conjecturam, facile intelligit, cur litium, ejusque interpretem caput hoc calumniarum tam insigne, tamque omnium suorum ore celebratum praetermittere non potuisset Revera tertio quoque verbo ipse canit hanc cantilenam, qua jam intelligentium aures factae sunt hebetiores, totamque fere potestatem Summi Pontificis repetit ab his Decretalibus; quod etiam a Febronio, Eybelio, ceterisque similibus factum est. Sed in hoc argumenti genere, praeter antiquiores, nostra hac aetate Fratres Ballerinii, Carolus Blaschus, Franciscus Antonius Zaccaria, aliique viri doctissimi ita graviter, accurate, copiose versati sunt, ut qui novam de eo suscipere tractationem vellet, is otio, ac tempore intemperanter abuti videretur. Ac sane Apostolica Sedes commenta illa Isidori numquam approbavit, neque ejus jura, ac privilegia eorum aliquo nituntur, sed cuncta profluunt ex purissimis, certissimisque fontibus, quod et a praeclarissimis illis viris, quorum paulo ante indicata sunt nomina, et a nobis tum *in Institutionibus Juris Canonici*, tum in hoc opere, data occasione, demonstratum est. Haereticus homo David Blondellus magnum se opus, et arduum conari arbitratus est, cum anno 1627. Genevae librum edidit cum titulo *Pseudo-Isidorus*, ut ostenderet, falsas esse Decretales antiquorum Pontificum ab Isidoro collectas: sed revera, ut eleganter ajebat Jacobus Sirmondus, suo hoc labore eodem habendus est loco, quo haberetur quisquis apertum ostium summa vi, et conatu effringendum suscepisset. Sed dum ipse Blondellus Isidori decretales morose persequitur, ut Sedis Apostolicae auctoritate imminuat, eam potius egregie

roborat, atque confirmat. Nam quamquam eae nequeant adscribi Summis Pontificibus, quibus ab Isidoro adscribuntur, tamen disciplinam continent multo hoc homine antiquiorem, sumptaeque sunt omnes ex vetustissimis Pontificibus, Patribus, optimisque ecclesiasticis Scriptoribus, quos pluribus saeculis ante Isidori aetatem vixisse constat. Quid multis opus est? Catholici Scriptores, quos numerare magnum est, ita sunt multi, et recte agnoverunt, et diserte confessi sunt fraudem Isidori, qui IX. saeculo decretales protulit Pontificum Siricio antiquiorum; neque tamen propter ea commenta quidquam detractum putarunt de auctoritate Sedis Apostolicae, quae non his ineptiis, sed certissimis, et convelli nesciis nititur fundamentis. Omnium loco sit probitate, dignitate, doctrina praeclarissimus Cardinalis Baronius (1), qui eas expresse rejicit, recteque animadvertit, Nicolaum I. Summum Pontificem nullam earum, quod suspectam haberet fidem, fecisse mentionem, sed „ illis tantum „ fuisse usum, de quibus numquam in Ecclesia Dei fuerat „ dubitatum, quod illis adventiciis, et recens inventis non „ egeret Ecclesia, cum eadem aliunde ex germanis, sinceris, „ omnino legitimis, securis, certisque Romanorum Pontificum „ epistolis abundanter accipere licuisset „. Tum continuo pergit, atque observat, quod licet Benedictus Levita multa ex Isidori collectione accepisset „ tamen bene conscius, auctorita„ tem illarum epistolarum haud constantem, sed nutare admo„ dum, numquam aliquem illarum citavit auctorem, ut fecit „ in reliquis, quarum fides constans esset, Romanorum Ponti„ ficum epistolis, Innocentii, Leonis, Gelasii, Symmachi, „ atque Gregorii citans, ac nominans eorum auctores „ Deni-

(1) Baronius *ad an.* 865. *num.* 7. *et* 8. *tom.* 15. *pag.* 18. *edit. Lucae* 1738.

que scribit haec „ At vero ex multis eas reddi suspectas episto-
„ las, quae dicta sunt secundo annalium tomo, dum de illis
„ singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulque
„ ostensum, illis non indigere S. Romanam Ecclesiam, ut si
„ falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus, et privile-
„ giis, cum et si illis careat, ex legitimis, germanisque alio-
„ rum Pontificum Romanorum epistolis decretalibus satis su-
„ perque corroborata consistat „

Plures quidem ex his decretalibus Gratianus in sua collectione descripsit sequutus fidem Burchardi, Ivonis, ceterorum; sed haec privati hominis studio absoluta collectio nullam falsis illis monumentis adjungere fidem, et auctoritatem potuit, multique viri eruditi, cum data est occasio, observarunt, quam saepe peccarit Gratianus, cum tamquam veras, certasque laudat antiquas decretales, quae ab Isidoro confictae sunt. Illud animadvertendum diligenter est, quod in iis Decretalium collectionibus, quae studio, et auctoritate Summorum Pontificum exaratae sunt, nullum plane descriptum extat ex illis Isidori commentis; unde novum educitur argumentum, quo conficiamus, ea nullo unquam in pretio a Sede Apostolica habita fuisse. Sed ea de re satis me dixisse memini loco superiori.

LIBER I.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

TITULUS I.

De hac materia agitur in 6. *Lib.* 1. *tit.* 2. in Clementin. *Lib.* 1. *tit.* 1. In Decreto *dist.* 22. *et* 23. *can.* 2. *et dist.* 5. *can. penult. et ult. de consecrat.* In Concil. Tridentino sess. 3. *de Symbolo sess.* 24. *cap.* 1. *et* 12. *sess.* 25. *cap. de profess. fid.* in Cod. *lib.* 1. *tit.* 1.

§. I.

Divino, atque humano Jure hominem regi, et utrumque esse vel scriptum, vel non scriptum, inter omnes constat, idque a nobis *in prolegomenis demonstratum est.* Recte igitur S. Raymundus de Pennafort Auctor collectionis Decretalium Gregorii IX. orditur a Jure, quod altero prestantius est, nimirum a Jure Divino, atque in ipso initio proponit Titulum *de Summa Trinitate, et fide catholica.* In Codice Theodosiano Titulus extat *de Fide Catholica* (1), sed eum in Codice Justinianeo additamento illo *deSumma Trinitate* (2) auctiorem fecit Tribonianus, quem sequutus est Raymundus, et uterque a ceteris fidei nostrae praeceptis

κατ' ἐξοχὴν Summam Trinitatem distinguit. Cum enim dicimus Fidem Catholicam, omnia complectimur, quae in Ecclesia Dei tenenda et credenda sunt. Teodosius titulum hunc, qui ad catholicam Religionem pertinet, conjecerat in librum ultimum sui Codicis; sed et Tribonianus, et Raymundus honoris causa eum ante omnia describere maluerunt, statimque ordiri a praecipua ejus parte *de Summa Trinitate*. Ejus autem mysterium in eo positum est, ut „ unum Deum in Trinitate personarum, et „ Trinitatem in unitate essentiae veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes „ sicuti expressum est in symbolo, quod S. Athanasii nomine circumfertur (3).

(1) Est hic in Codice Theodosiano *Titulus* 1. *lib.* 16. ubi *L.* 2. Fides Catholica definitur, quae » secundum Apostolicam disciplinam „ Evan„ gelicamque doctrinam Patris, et Filii, et Spiritus S. unam Deitatem „ sub parili Majestate, et sub pia Trinitate credit » item *L.* 3. eos Catholicos et habendos, et esse monet » qui unius majestatis, atque virtutis » Patrem, et Filium, et Spiritum S. confitentur, ejusdem gloriae, » claritatis unius: nihil dissonum profana divisione facientes, sed Trini» tatis ordinem, personarum adsertionem; et Divinitatis unitatem. »

(2) Catholicum dogma de Trinitate, uti omnibus compertum, exploratumque est, semper firmum, certumque in Ecclesia fuit: sed non satis constat, quis primus ad significandas tres divinas personas inter se aequales, atque distinctas, vocabulum hoc *Trinitatis* adhibuerit. Narrat Sozomenus *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 12. *pag.* 181. *edit. Taurin* 1747. post reditum Athanasii, quem Constantius in exilium ejecerat; plures Episcopos Alexandriam convenisse, cum eodem Athanasio, et Eusebio Vercellensi, ut Nicaeni Concilii decreta confirmarent. Ibi » et Spiritum S., *inquit*, Patri, et Filio » consubstantialem professi sunt, et Trinitatem nominarunt » Quod iisdem pene verbis expressit vetus auctor vitae S. Eusebii Vercellensis apud Ughellium *Ital. Sacr. tom.* 4. *pag.* 759. *edit. Venet. an.* 1717. Est haec Alexandrina Synodus habita an. 362. *tom.* 2 *Concil. collect. Labbaei col.* 937. *edit Coleti.* Idem et diligentius Liberii Romani Pontificis decreto in Occidente constitutum fuisse, scribit Nicephorus *lib.* 11. *cap.* 30. Multi autem in illa Alexandrina Synodo primum usurpatum putant vocabulum *Trinitatis*, ut adversus emergentes haereses catholicum dogma accuratius definiretur, sicuti in Concilio Nicaeno vox Ὁμοούσιος eadem de causa reperta fuerat. Verum ante hoc tempus eo vocabulo usus est Theophilus Antiochenus Episcopus, uti patet ex ejus *ep. ad Autolicum lib.* 2. *num.* 15. *pag.* 360. *in calce opp. S. Justini Mart. edit. Maurin. Paris.* 1742. Is autem floruit II. saeculo, ac circa annum 168. Antiochenae Ecclesiae praefectus est, ut ut aliud visum fuerit Dodwello, qui ejus operis auctorem putat alium Theophilum aetate supparem imperio Septimii Severi, quemque refellunt Maurini Editores *opp. S. Ju-*

stini in praefat. par. 1. *cap.* 15. *num.* 6. *pag.* CXXIV., et Tillemontius *Memoire pour servir a l' Histoir. Eccles. not.* 2. *sur S. Theophil. d'Antioch. tom.* 3. *pag.* 612. *edit. Venet.* 1732. Idem quoque vocabulum Trinitatis usurparunt Tertullianus *adversus Praxeam num.* 3 *pag.* 502. *edit. Venet.* 1744. et Cyprianus *ep.* 73. *pag.* 307. „ *et in Concilio Carthaginensi can.* 29. *pag.* 162. *edit. Amstelod.* 1700.

(3) Plures contra hoc sanctissimum Trinitatis mysterium eruperunt haereses, quas numerant, atque refutant Scriptores rerum Theologicarum. Quod ad rem nostram attinet, id unum animadvertemus, huic Titulo, quem primum describit Raymundus, causam praebuisse Concilium Lateranense habitum Innocentio III. Pontifice, quo damnatus est libellus, quem Abbas Joachimus adversus catholicam sententiam Petri Lombardi de unitate divinae essentiae, et Trinitate personarum ediderat. Non tamen ipse auctor damnatus est, quippe qui sua scripta Apostolicae Sedis judicio subjecerat, sicuti testatur Innocentius III. in *cap.* 2. *de Sum. Trinit. et fid. catholic.*, cujus Decretalis videnda est *Expositio* S. Thomae, quae descripta est *tom.* 8. *ejus opp. pag.* 91. *ed. Venet.* 1745., ubi Joachimi error exponitur, diligenterque refutatur. Non defuerunt, qui hujus hominis defensionem susciperent, sed hi nemini persuadere potuerunt, ei perperam adscriptam fuisse falsam illam doctrinam, per quam contendit, unitatem essentiae trium personarum non esse veram, realem, et simplicem, sed esse quasi similitudinariam, et collectivam, sicut multi homines unus populus, multique fideles una Ecclesia dicuntur. Atque hic est Joachimus Florensis coenobii in Calabria Abbas, qui suis vaticiniis quodammodo Prophetae famam consequutus est; sed eum Prophetam fuisse negat S. Thomas *in* 4. *sentent. dist.* 43. *quaest.* 1. *art.* 3. *quaestiunc.* 2. *in solut. opp. tom.* 13. *pag.* 288. *indic. edit. Venet.* 1745., quoniam ipse solum „ per tales conjecturas, *inquit*, de futuris aliqua vera praedixit, et in aliquibus deceptus fuit. »

§. II. Catholicae fidei principium, ac fundamentum est verbum Dei, qui neque falli, neque fallere quemquam potest (1), idque vel scriptum, vel traditum est. Scriptum continetur libris veteris, ac novi Testamenti; traditum ipsius Christi ore ab Apostolis acceptum, sive ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto instinctis, quasi per manus traditum, ad nos usque pervenit. Scriptura Sacra Traditionis necessitatem, Traditio Scripturae veritatem ostendit (2). Est autem unius Ecclesiae judicare, quid Dei verbo sive scripto, sive tradito comprehendatur, neque ab hoc judicio discedere Catholico homini licet (3). Itaque fidei regula est Dei verbum, et Ecclesiae judicium, per quod illud explicatur; et cum ea pronunciat, aliquid ad fidem pertinere, id omnibus firmum certumque esse debet, neque ejus rei rationem curiosius querere fas est (4).

(1) Scriptum est Numer. *cap.* XXIII. *vers.* 19. „ Non est Deus

» quasi homo ut mentiatur » Joannes *cap. III. vers.* 33. » Deus » verax est » Paulus ad Hebraeos *cap. VI. vers.* 18. » impossibile » est mentiri Deum »

(2) S. Petrus *ep. II. cap. I. vers.* 20. *et* 21. » Omnis, *inquit*, » prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim vo» luntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto » inspirati loquuti sunt sancti Dei homines » Sanctus Paulus II. *ad Timotheum cap.* 3. *ver.* 16 » Omnis Scriptura divinitus inspirata uti» lis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad eru» diendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bo» num instructus » et *I. ad Corinth. cap. XI. ver.* 2. » Laudo vos, » fratres, quod per omnia memores mei estis, et sicut tradidi vobis, » praecepta mea tenetis » Quo ex loco S. Basilius de Spiritu S. *cap.* 29. *num.* 71. *opp. tom.* 5. *pag.* 60. *edit. Maurin. Paris.* 1721. colligit » Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus inhaerere » Et S. Epiphanius *haeres.* 41. *sive* 61. *num.* 6. *opp. tom.* 1. *pag.* 511. *edit. Coloniae* 1682. » Sed et Traditione quoque opus est, *inquit*, » neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, » Traditione alia Sanctissimi Apostoli reliquerunt » Idem Apostolus II. *ad Thessalonic. cap. II. vers.* 14. » Itaque, fratres, state, et » tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per » epistolam nostram » Quo ex loco S. Jo. Chrysostomus *Homil.* 4. *in eam epistolam opp. tom.* 11. *num.* 2. *pag.* 352. *edit. Venet.* 1734. perspicuum esse ait, multa esse, quae nos sine scripto, ac per traditionem accepimus, eaque etiam tenenda, atque observanda esse » Quamobrem, *inquit*, Ecclesiae quoque Traditionem censeamus esse fide dignam. Est Traditio; nihil quaeras amplius »

(3) Recte S. Vincentius Lirinensis *Commonit. num.* 2. apud Card. Thomasium *Instit. Theolog. tom.* 1. *pag.* 119. *edit. Romae* 1769. » Hic » forsitan requirat aliquis, *inquit*, cum sit perfectus Scripturarum » canon, sibique ad omnia satis, superque sufficiat; quid opus est, » ut ei Ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia vide» licet Scripturam Sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque » sensu universi accipiunt; sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, » alius, atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot il» linc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatia» nus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter » Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, » aliter Jovinianus, Pelagius, Caelestius, aliter postremo Nestorius. » Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris » anfractus, ut Propheticae, et Apostolicae interpretationis linea se» cundum Ecclesiastici, et catholici sensus normam dirigatur »

(4) Bene Chrysostomus adversus haereticos, qui Ecclesiae auctoritatem despiciunt, ac stulte, et otiose investigant, quae humanam intelligentiam superant *Homil.* 24. *in Joan. num.* 3. *opp. tom.* 8. *pag.* 240. *edit. ejusd.* observat, eos saepius uti solere hac voce πῶς, *quomodo*? in eaque latebram, ac receptum impietatis suae constituere; dum ideo falsum esse dicunt, quod Christiana fides docet, quia quomodo id possit fieri, nulla ratione consequi possunt » Quomodo potest » homo nasci etc. Sic haeretici, *inquit*, in haeresi sua perseverant,

» hanc vocem saepius requirentes; dum alii dicunt, quomodo genitus est? Alii quomodo est incarnatus? atque ita ratiocinationum suarum imbecillitati infinitam illam Dei substantiam subjiciunt. » Quae quidem scientes nos vitare par est importunam illam curiositatem. Neque enim quomodo istud intelligent, qui talia perconctantur, et ali recta fide insuper excident »

§. III. Fides a Theologis definitur donum Dei, seu Virtus a Deo infusa, cujus lumine mens hominis illustrata firmiter assentitur iis omnibus, quae Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam suam credenda proposuit, sive illa sacris sint expressa literis, sive non sint. Nos eo nomine comprehendimus non tantum illum mentis assensum, quem omnino divinae auctoritati praestare oportet, sed etiam complexionem legum divinarum ad ea pertinentium, quae a nobis credenda sunt. Quae leges divina auctoritate stabilitae cum Christum auctorem habeant, earum complexio fide Christiana dicitur: cumque omne hominum genus obstringant, ideoque universales sint, recte eadem complexio fides Catholica appellatur (1).

(1) De antiquitate nominis *Catholici* actum est *tom.* 1. *cap.* 7. §. 9. *not.* 1. *pag.* 146.

§. IV. Ecclesia illud semper omni studio curavit, ut omnibus, qui eam profiteri vellent, catholica haec fides facile innotesceret; unde usus repetendus est symbolorum, quorum origo ab ipsis Apostolis ducitur. Est autem symbolum compendiaria recensio eorum, quae Catholica Fides docet, quaeque a nobis firmiter credenda, ac retinenda sunt (1). Nomen hoc ex eo factum videtur, quod hoc symbolum veluti nota sit, ac tessera militaris, per quam veri Christiani ab Infidelibus, et Haereticis distinguuntur (2). Alii eo vocabulo significari contendunt collectam, seu collationem, quoniam summa totius Christianae doctrinae in unum collatae in symbolo continetur (3); alii ita appellatum putant, quoniam Apostoli in unum convenientes, sua ab unoquoque eorum collata symbola, illam Christianae fidei summam ediderunt (4); alii denique non a militari tessera, sed à militari sacramento, quo milites suam Imperatori fidem obligabant, symboli nomen ducunt (5). Illud enim est sacramentum, ac pactum, quod cum Deo inimus, cum Baptismum accipimus. Sed illa, quam initio posuimus, vocabuli significatio magis recepta, verique similior est (6). Dicitur etiam symbolum fidei re-

gula (7), definitio, expositio, et interdum etiam lectio, quoniam a catechumenis memoriter discebatur (8).

(1) Theologi, ac Scriptores rerum ecclesiasticarum symboli nomine comprehendunt materiam, sive externam actionem sacramentorum. Ita in Baptismo ablutio symbolum est purificationis animae; in Eucharistia panis, et vinum symbola sunt corporis, et sanguinis Christi, cujus ibi realis praesentia est, quamquam oculis non aspiciatur; in sacramento confirmationis unctio frontis indicat gratiam, quae robur Christiano homini necessarium attribuit. Eo sensu auctor libri *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 5. §. 5. *opp. tom.* 1. *pag.* 234. *edit. Venet.* 1755. sacramenta in genere vocat *symbola*. Quod etiam occurrit apud S. Maximum *ibid. cap.* 1. *tom.* 2. *pag.* 52. Sic etiam omnes caeremoniae, quae ad cultum divinum pertinent, symbola sunt, quoniam indicant internos sensus obsequii, et venerationis in Deum.

(2) Late de hujus vocabuli origine, ac significatione agunt Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 1. *dissert.* 12. *tom.* 3. *pag.* 128. *edit. Venet.* 1776., Binghamus *Origin. sive antiquit. ecclesiast. lib.* 10. *cap.* 3. §. 1. *tom.* 4. *pag.* 62. *edit. Halae Magdeburg.* 1751., Svicerus *Thesaur. Eccles. verb.* σύμβολον, Du-Cangius *Glossar. med. et infim. latinit. verb. symbolum*, Baronius *ad an.* 44. *num.* 15. *tom.* 1. *pag.* 293. *edit. Lucae* 1738.

(3) Joannes Cassianus *de Incarnat. lib.* 6. *cap.* 3. *pag.* 1046. *edit. Atrebati* 1628. „ Symbolum, *inquit*, ut scis, ex collatione nomen accepit. Quod enim graece σύμβολον dicitur, latine collatio nominatur. Collatio autem ideo, quia in unum collata ab Apostolis Domini totius catholicae legis fide, quidquid per universum Divinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in symboli colligitur brevitate perfecta, secundum illud Apostoli; verbum consummans, et brevians in aequitate "

(4) Rejicit hanc sententiam Natalis Alexander *loc. cit.*, atque haec minime genuina est, *inquit*; qui enim vim graecae vocis noverunt, et veteres grammaticos evolvere, falsum esse fatentur quod symbolum collationem, sive coenam collatitiam significet. Veteres namque collatitiam coenam symbolam dixerunt, non symbolum, ut multis probat vir eruditus Vossius *lib. de tribus symbolis dissert.* 1. *c.* 17. "

(5) Sic Svicerus *loc. cit.* qui suam hanc confirmat sententiam testimonio S. Ambrosii *de Virgin. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 20. *opp. tom.* 3. *col.* 214. *edit. Venet.* 1748. et S. Petri Chrysologi *Hom.* 62. *pag.* 95. *edit. Aug. Vindelic.* 1758.

(6) Confer S. Maximum Taurinensem *Homil. in symbol.* 83. *pag.* 269. *edit. Romae* 1784. Ruffinum *Exposit symbol. in calce opp. S. Cypriani pag.* 154., S. Isidorum Hispalensem *origin. lib.* 6. *cap.* 19. *opp. tom.* 3. *pag.* 288. *num.* 57. *edit. Cl. Arevali Romae* 1797., Rabanum Maurum *de instit. cleric. lib.* 2. *cap.* 56. *tom.* 6. *pag.* 31. *edit. Colon. Agrip.* 1627.

(7) Hinc S. Optatus *lib.* 1. *de schism. Donatist. pag.* 13. *edit. Paris.* 1676. haereticos symboli desertores appellat.

(8) Usserius de symbolis, et Valesius in *not. ad Socratem lib.*

1. *cap.* 8. *pag.* 21. *edit. Taurin.* 1746. pluries a Graecis symbolum appellari monent *μάθημα lectionem* : et hinc cum in Concilio Constantinopolitano sub Menna *act.* 5. *tom.* 5. *Concil. collect. Labbaei*, *col.* 1156. *edit. Venet. Coleti* dicitur, *τοῦ ἁγίου μαθήματος κατὰ τὸ σύνηθες λεχθέντος sancta lectione juxta consuetudinem lecta*, *μαθήματος* nomine intelligendum est symbolum, quod tunc Eucharistici officii pars erat. Observat etiam idem Valesius in *not. ad Theodor. Histor. Eccl. lib.* 1. *cap.* 8. *p.* 24. *edit. Taurin.*, quod symbolum *γράμμα* quoque, et *γραφή* appellatur, propterea quod ex sacris Scripturis collectum haberetur.

§. V. Plura numero sunt symbola catholicorum, sed una in omnibus, atque eadem fides continetur, adeo ut omnia unum conficiant symbolum; quemadmodum quatuor Evangelia non diversa Evangelia sunt, sed potius libri quatuor unius Evangelii (1). Recentiora, quae post antiquissimum Apostolorum prodierunt, explicatius ostendunt catholicae fidei veritatem, eaque sunt edita, ut novae, quae erumpebant, haereses profligarentur (2). Ita ex gr. in vetustiori symbolo nulla occurrit mentio descensus Christi ad inferos, quoniam nulla tunc haeresis ea de re extiterat; sed eadem orta deinceps, *explicite* declaratum est, quod in vetustiori symbolo *implicite* continebatur (3). Quod factum est auctoritate Summi Pontificis, ad quem pertinet, tamquam Ecclesiae caput, novum symbolum emittere (4); quod privato homini minime licet (5).

(1) S. Augustinus *tract.* 36. *in Joan. opp. tom.* 4. *col.* 720. *edit. Venet.* 1756.

(2) S. Thomas 2. 2. *quaest.* 1. *art.* 9. *opp. tom.* 22. *pag.* 11. *et seq.* » In omnibus symbolis, *inquit*, eadem fidei docetur veritas; » sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate, ubi » errores insurgunt, ne fides simplicium per haereticos corrumpatur. » Et haec fuit causa, quare necesse fuit edere plura symbola, quae » in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur, quae » in alio continentur implicite, secundum quod exigebat haereticorum » rum instantia »

(3) S. Thomas *loc. cit. pag.* 12. » De descensu ad inferos, *inquit*, nullus error erat exortus apud haereticos; et ideo non fuit » necessarium aliquam explicationem circa hoc fieri; et propter hoc » non reiteratûr in symbolo Patrum, sed supponitur tamquam praedeterminatam in symbolo Apostolorum. Non enim symbolum sequens abolet praecedens, sed potius illud exponit »

(4) Idem *loc. cit. art.* 10. *pag.* 12 » Nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Sum-

» mi Pontificis, ad quem majores, et difficiliores Ecclesiae quaestio-» nes referuntur »

(5) Hine idem S. Thomas *loc. cit. art.* 10., ut ostendat Synodi Ephesinae *par.* 2. *art.* 6. *in decret. de fid. tom.* 3. *concil. collect. Labbaei col.* 1219. legem conceptam his verbis » His igitur perlectis » decrevit sancta Synodus aliam fidem nulli licere profeíre, vel » conscribere, vel componere, praeter definitum a SS. Patribus, qui » in Nicaea congregati sunt cum Spiritu S. » impedimento esse non posse, quominus novum ab Ecclesia symbolum edatur, scribit haec » Prohibitio, et sententia Synodi se extendit ad privatas per-» sonas, quarum non est determinare de fide : non enim per hujus-» modi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Sy-» nodo novam editionem symboli facere, non quidem aliam fidem » continentem, sed eamdem magis expositam. Sic enim quaelibet Sy-» nodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id, » quod praecedens Synodus exposuerat, propter necessitatem alicu-» jus haeresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, » cujus auctoritate Synodus congregatur, et ejus sententia confir-» matur »

§. VI. Omnium, quae diversis temporibus, uti res nata postulavit (1), prodiere, symbolorum celeberrima sunt symbolum *Apostolorum, Nicaenum, Constantinopolitanum, S. Athanasii, Lateranense, Viennense, Instructio pro Armenis*, *symbolum Concilii Tridentini.* Antiquissimum est symbolum Apostolorum, de quo duo quaeruntur, alterum, num ab ipsis conditum sit revera symbolum, quod eorum nomine circumfertur; alterum, num ipsi illud conceptis quoque verbis ediderint, ita ut Apostolis non tantum doctrina, sed etiam symboli verba, et ordo sententiarum, ac numerus, seriesque articulorum adscribi debeant. Sane quamquam sacris literis expressum non sit, Apostolos auctores esse symboli, quod Apostolicum vocatur, tamen ea res ita est vetusta traditione, atque omnium ferme consensu comprobata, ut perperam in discrimen revocetur. Vetustissimi quidem Patres non illud literis consignare ausi sunt propter arcani disciplinam, quae ne a cathecumenis quidem memoriae juvandae causa symbolum describi permittebat; quae causa est, propter quam, pacata etiam Ecclesia, Nicaeni symboli verba referre Sozomenus reformidarit (2). Sed tamen ex illorum numero Tertullianus (3), et Irenaeus (4), qui adhuc ethnicis dominantibus floruere, symboli Apostolici summam diserte tradiderunt. Post datam Ecclesiae pacem ejusdem symboli mentionem faciunt Lucifer Calaritanus (5), Ambrosius (6), Hieronymus (7), Ruffinus (8), qui etiam illud expendit per partes singulas, Coelestinus I. (9). Leo

M. (10), Maximus Taurinensis (11), Fulgentius Ruspensis (12), Isidorus Hispalensis (13), quorum omnium una vox est, symbolum, quod Apostolicum appellamus, ab Apostolis fuisse compositum. Neque de hoc symbolo ab iisdem tradito illud accidit, quod de ceteris operibus, quae falso Apostolis adscripta fuerunt, accidisse constat. Nam eorum aliqua vix prodiere, statim rejecta sunt, uti Evangelia SS. Pauli, Andreae, Bartholomaei, et falsae quaedam historiae, quae Apostolis tribuebantur; aliqua vero, quae non ita perspicuas habebant falsitatis notas, uti sunt Canones Apostolorum, et Constitutiones Apostolicae, diutius quidem intelligentium opiniones in errorem inducere potuerunt, sed denique, re cognita, et expensa diligentius, deprehensum est, utrumque illud opus recentius esse aetate Apostolorum.

(1) Quae primum causa impulerit Patres ad has fidei formulas componendas, docet S. Cyrillus Jerosolymitanus *catech.* 5. *num.* 12. *pag.* 78. *edit. Venet.* 1763. „ Cum enim non omnes possint Scripturas legere, sed alios quidem imperitia, alios vero occupatio quaedam a cognitione impediat, ne anima per ignorationem intereat „ paucis versiculis universum fidei dogma comprehendimus „

(2) Sozomenus *Histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 20. *pag.* 36. *edit. Taurini* 1747.

(3) Tertullianus *de virgin. velan. num.* 1. *pag.* 173. *edit. Venet.* 1744. contractum, ac pluribus omissis articulis describit symbolum Apostolorum his verbis „ Regula quidem fidei una omnino est „ sola immo- „ bilis, et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipoten- „ tem, mundi conditorem et filium ejus Jesum Christum natum ex Vir- „ gine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a „ mortuis, receptum in caelis, sedentem nunc ad dexteram Patris, ventu- „ rum judicare vivos, et mortuos per carnis etiam resurrectionem „ Tum iterum describit hanc fidei formulam *cap.* 13. *de praescript. pag.* 206., atque aperte demonstrat *ibid. cap.* 21. *pag.* 209, sese illam distinguere ab ipsa fidei doctrina, quae in ea continetur, Ait enim „ Superest ergo, „ ut demonstremus, an haec nostra doctrina, cujus regulam supra edi- „ dimus, de Apostolorum traditione censeatur, et hoc ipso an ceterae de „ mendacio veniant „ Tertio tandem fidei formulam describit *adver. Praxeam cap.* 2. *pag.* 501., eaque descripta habet haec „ Hanc regu- „ lam ab initio Evangelii decurrisse, etiam ante priores quosque hae- „ reticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas om- „ nium haereticorum, quam ipsa novellitas Praxeae hesterni „ Quo quidem loco de vera fidei formula Tertullianum loqui, non autem de Christiana doctrina generatim, manifestum est ex *seq. cap.* 3. *pag.* 502., ubi illud animadvertit, quod plures ethnici, qui fidem susceperant, mirabantur, cum ipsis fides nunciabatur in Trinitate divinarum personarum, propterea quod minime hanc doctrinam perspiciebant in symbolo, quod acceperant. „ Simplices

» enim fideles, *inquit*, ne dixerim imprudentes, et idiotae, quae major » semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus diis » saeculi ad unum Deum verum transfert, non intelligentes unicum » quidem, sed cum sua aeconomia esse credendum, expavescunt ad » aeconomiam, numerum et dispositionem Trinitatis, divisionem unitatis praesumunt. Denique *de praescript. cap.* 37. *pag.* 215. disertis verbis hanc ait esse regulam, quam » Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit »

(4) S. Irenaeus *cont. haeres. lib.* 1. *cap.* 10. *opp. tom.* 1. *pag.* 48. *edit. Venet.* 1734. » Ecclesia enim, *inquit*, per universum orbem usque » ad fines terrae seminata, et ab Apostolis, et a discipulis eorum ac» cepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui » fecit coelum, et terram etc. » ac deinde pergit per omnes fere articulos, qui in Apostolico symbolo describuntur. Male autem Dupinius idem symbolum diversis plane verbis referri ab eodem Irenaeo putat *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 116., cum hoc quidem loco minime symbolum, ejusque articuli habeantur; et male etiam Grabius symbolum ab Irenaeo *lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 178. appellari ait *veterem Traditionem*, cum ibi Irenaeus haud agat de symbolo, sed de verbo Dei non scripto, ab Apostolis tradito, cujus auctoritatem commendat, atque haereticis opponit. Quod utrumque recte observat Massuetus *in not. ad Irenaeum cit. lib.* 1. *cap.* 10.

(5) Lucifer Calaritanus *de non convenien cum haeret. pag.* 17. *edit. Venet.* 1778. » Quomodo, *inquit*, tibi discipulo Arii acquiescere„ mus Christiani, deserentes Apostolicam Traditionem, cum te invenia„ mus dicere Patrem non esse verum Patrem etc. e contra videamus Apo„ stolos credisse in unum Deum Patrem omnipotentem . . . . et in „ unicum filium ejus Jesum Christum, hoc est in verum Dei filium, et „ in sanctum paraclitum Spiritum.

(6) S. Ambrosius *ep.* 42. *ad Syricium P. num.* 5. *opp. tom.* 3. *col.* 1041. *edit. Venet.* 1738. » Sed si doctrinis non creditur Sacerdo„ tum, *inquit*, credatur oraculis Christi . . . . . credatur Symbolo Apo„ stolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, et ser„ vat » et Auctor sermonis 33. *de jejun. Quadrages.* inter sermones eidem S. Ambrosio adscriptos *tom.* 4. *col.* 538. *num.* 6 „ Ista autem ipsa „ clavis *inquit*, quam fidem dicimus, videamus, quemadmodum constet, „ et quemadmodum solidata sit. Arbitror illam duodecim artificum opera„ tione conflatam; duodecim enim Apostolorum symbolo fides sancta „ concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes, cla„ vem suo consilio conflaverunt. Clavem enim quamdam ipsum sym„ bolum dixerim, per quod reserantur Diaboli tenebrae, ut lux Christi „ adveniat „

(7) Hieronymus *ad Pammachium contr. Joannem Jerosolymitan. num.* 28. *opp. tom.* 2. *col.* 435. *edit. Venet.* 1766. » In symbolo, *in» quit*, fidei, et spei nostrae, quod ab Apostolis traditum non scribitur „ in carta, et atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessio„ nem Trinitatis, et unitatem Ecclesiae, omne Christiani dogmatis sacra„ mentum carnis resurrectione concluditur „ Tum Joannem Jerosolymitanum objurgat, quod non eodem utatur *carnis* vocabulo, quo

Apostoli in symbolo utuntur, sed ejus loco *corpus* nominet, cujus illi nusquam meminerunt. Ait enim *ibid.* » Et tu in tantum in cor» poris, et iterum corporis, et tertio, et usque novies corporis vel » sermone, vel numero immoraris; nec semel nominas carnem, quod » illi semper nominant carnem, corpus vero tacent »

(8) Ruffinus *Exposit. in Symbol. Apostol. in calce opp. S. Cyprian. pag.* 154. » Tradunt Majores nostri, *inquit*, quod post ascen» sionem Domini, cum per adventum Spiritus Sancti supra singulos » quosque Apostolos igneae linguae sedissent . . . . ,. . praeceptum eis a » Domino datum hoc ad praedicandum Dei verbum ad singulas quem» que proficisci nationes. Discessuri itaque ab invicem, normam si» bi prius futurae praedicationis in commune constituunt, ne forte » alii alio adducti diversum aliquid his, qui ad Christi fidem invi» tabantur, exponerent. Omnes igitur in uno positi, et Spiritu Sancto » repleti breve istud futurae sibi, ut diximus, praedicationis indicium » in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt, » atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum » autem hoc appellari voluerunt; symbolum enim graece et indicium » dici potest, et collatio, hoc est quod plures in unum conferunt. » Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus conferendo in unum » quod quisque sensit » Atque id quidem, quod scribit, non a vulgari quadam traditione, uti visum est Dupinio *Bibliot. Eccles. pag.* 30. Ruffinus repetit, sed ita a Majoribus nostris traditum affirmat.

(9) Caelestinus *I. in epist.* 13. *ad Nestorium* apud Coustantium *epist. Roman. Pontif. num.* 4. *col.* 1119. symbolum hoc vocat *symbolum ab Apostolis traditum*; ejusque successor Sixtus III. *epist.* 5. *num.* 3. *ibid. col.* 1255. Nestorii commentis *symbolo primum inter Apostolos tradito* derogari scribit.

(10) S. Leo M. *serm.* 24. *cap* 6. *tom.* 1. *opp. col.* 81. *serm.* 96. *cap.* 1. *col.* 373. *et epist.* 31. *ad Pulcheriam August. cap.* 4. *col.* 857. *et seq.* » Ipsa, *inquit*, catholici symboli brevis, et perfecta confes» sio, quae duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis.

(11) S. Maximus Taurinensis *Homil.* 63. *col.* 269. Beati Apo» stoli *inquit*, ut ego reor, exemplum sequentes Ecclesiae Dei » quam adversum militiam diabolici furoris armabant, mysterium » symboli tradiderunt; ut quia sub uno Christi nomine credentium erat » futura diversitas, signaculum symboli inter fideles, perfidosque secer» neret ».

(12) S. Fulgentius Ruspensis Episcopus *lib.* 10. *contr. Fabianum fragm.* 36. *pag.* 294. *edit. Venet.* 1742. » Christianae, *inquit*, » fidei symbolum (quod graeco eloquio et pactum solet, et collatio » nuncupari) sancte quidem, recteque, et omnino sapienter secun» dum regulam veritatis est ab Apostolis ordinatum »

(13) S. Isidorus Hispalensis *De ecclesiast. offic. lib.* 2. *cap.* 23. *opp. tom.* 6. *pag.* 460. *edit el. Arevali Romae* 1797. » Symbolum au» tem hoc, *inquit*, multis, et justissimis ex causis appellare volue» runt. Symbolum enim graece et indicium dici potest, et collatio, » hoc est quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Aposto» li in his sermonibus in unum conferendo unusquisque quod sen» tit » Isidoro concinit non multo recentior aetate Mansuetus Medio-

lanensis Antistes in literis ad Constantium Imperatorem datis *tom.* 7. *Concil. collect. Labbaei col.* 624. » Verbum breviatum, *inquit*, » faciet Dominus super terram, quod per sanctos Apostolos vidi- » mus impletum. Quid enim brevius, quam simplex fidei symbolum » ab Apostolis institutum, in quo mysticum sacramenti continetur arcanum?

§. VII. Verum de Apostolorum symbolo magna semper omnium consensio fuit, illud ab Apostolis conditum fuisse, ut in eo Christianae fidei summa haberetur (1); atque huc quidem referenda est protrita Augustini regula, nonnisi Apostolis esse tribuendum, quod ab initio Ecclesiae ubique semper obtinuisse, neque a Conciliis institutum constat. In hac vero constanti, ac perpetua Majorum traditione plane despicienda sunt argumenta, quibus aliqui utuntur, ut efficiant, Apostolos haud esse habendos symboli conditores. Nam si tales essent, ajunt, illud inter sacras Scripturas relatum fuisset; praeterea non illa haberetur articulorum, verborumque diversitas, quae occurrit inter symbola Romanum, Vulgare, Aquilejense, Orientalia; denique aliqua ejus mentio in actibus Apostolorum, aut in eorum epistolis fieri debuisset. Verum horum omnium nullam plane habendam esse rationem, facile intelliget quisquis animadvertat, symbolum non scripto, sed viva voce ab Apostolis traditum fuisse (1). Non enim inter canonicas Scripturas referri potuit, quod scriptum non fuit; eademque de causa mirum non est, quod nulla ejus occurrat mentio in epistolis, aut in actibus Apostolorum; in quibus praeterea neque alia, quae sunt gesta ab iisdem Apostolis, referuntur. Neque dissimilis ratio est, propter quam non omnia antiqua symbola plane iisdem concepta sunt verbis, aut eosdem numero articulos complectuntur. Nam in re, quae literis consignata non erat, sed memoriae credita, facile verborum diversitas oriri potuit; cum presertim unaquaeque gens sua lingua symbolum recitaret. Sed una atque eadem omnium symbolorum sententia, ac summa est; et in omnibus iidem vel tacite, vel expresse articuli comprehenduntur.

(1) Consule Baronium *ad. an.* 44. *num.* 15. *tom.* 1. *pag.* 293. *edit. Lucae* 1738., Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec.* 1. *dissert.* 12. *tom.* 3. *pag.* 128. *seqq. ibique* Mansium *in not. edit. Venet.* 1776. Christianum Lupum *de symbol. Apostol. et Nicaen. cap.* 2. *opp. tom.* 1. *pag.* 179. *seqq. edit. Venet.* 1724., Ceillierum *Histoir. general. des auteur. sacr. et ecclesiast. liv.* 3 *cap.* 3. *tom.* 1. *pag* 513. *seqq. edit. Paris.* 1729., Card. Bonam *rer. liturg. lib.* 2. *cap.* 8. §. 1. ibique

Salam *in not. tom.* 3. *pag.* 166. *edit. Taurin.* 1747., Bertium *Histor. Eccles. dissert. de script. Patr. primi saecul. in append. tom.* 2. §. 19. *pag.* 108. *seqq. edit.* 1769., Vincentium Ludovicum Gottium Cardinalem *Verit. Christian. Relig. demonstrat. tom.* 1. *cap.* 6. §. 3. *pag.* 378., a quibus contra Brentium, Calvinum, Chamierum, Vossium, Vallam, Polidorum Virgilium, Erasmum, Basnagium, aliosque demonstratur, Apostolis adscribendum esse symbolum, quod eorum nomen praesefert.

(2) S. Hieronymus *loc. cit.* et Ruffinus *loc. cit.* » Idcirco denique » haec non scribi chartulis, *inquit*, atque membranis, sed retineri cordi- » bus tradiderunt, ut certum esset, neminem haec ex lectione, quae in- » terdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione » didicisse sufficeret » S. Augustinus *serm.* 212. *num.* 2. *opp. tom.* 8. *col.* 938., S. Petrus Chrysologus *serm.* 56. *et* 57. *pag.* 88. *et* 89.

§. VIII. Nimirum in iis locis, in quibus ad erumpentes haereses profligandas aliquod fidei dogma clarius explanare aportuit, visum est novis articulis explicatius declarare id, quod in antiquis tacite continebatur, atque ita ortas haereses speciatim, et expresse condemnare (1). Quae causa est, propter quam pauciores occurrant articuli in symbolo, quo Romana Ecclesia utebatur. Nam in ea non illac sparsae sunt haereses, quae ceteras Ecclesias perturbarunt; et ideo nihil opus fuit novis additamentis, quae traditam ab Apostolis doctrinam, brevem illam quidem, et compendiariam, sed omnia comprehendentem, explanatius, et uberius explicarent. Atque hoc Romanum symbolum iisdem forte conceptum est verbis, quibus illud Apostoli tradiderunt (2). Cetera, quae de Apostolorum symbolo dici solent, nimirum de articulis, quos singuli pronunciarunt (3), de loco, quo illud conditum fuit, deque aliis rebus hujusmodi, minus, ut arbitror, versimilia sunt, ideoque in iis expendendis nihil attinet immorari.

(1) Ruffinus *loc. cit. pag.* 155. » In diversis Ecclesiis, *inquit*, aliqua » in his verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen Urbis Romae » hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod » neque haeresis ulla illic sumpsit exordium: et mos ibi servatur antiquus, » eos, qui gratiam Baptismi suscepturi sunt, publice, idest fidelium popu- » lo audienti symbolum reddere, et utique adjectionem unius saltem ser- » monis eorum, qui praecesserunt in fide, non admittit auditus. In ceteris » autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos haereticos, ad- » dita quaedam videntur, per quae novellae doctrinae sensus crederetur » excludi » Tum paulo post *pag.* 156. causam explicat, propter quam absunt a symbolo Ecclesiae Romanae duo illa verba *invisibilem*, *et impassibi-*

lem, quae contra occurrunt in symbolo Aquilejensi „ Sciendum, quod „ duo isti sermones in Ecclesiae Romanae symbolo non habentur; „ constat autem apud nos additos, haereseos causa Sabellii, illius „ profecto: quae a nostris Patripassiana appellatur, idest quae Pa„ trem ipsum vel ex virgine natum dicit, et visibilem factum, vel „ passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de „ Patre, videtur haec addidisse Majores, et invisibilem Patrem, „ atque impassibilem dixisse „ Verum haec haeresis tacite in antiquo symbolo Romano excluditur illis verbis, quibus *Filius Patris crucifixus, et sepultus* dicitur. Idem de reliquis quoque articulis dicendum est. Vox illa *unum*, quae extat in symbolo Orientali, satis intelligitur in iis verbis *credo in Deum*. Nam, ut ait Tertullianus *advers. Marcion. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 367. „ Deus, si non unus est, *non est* „ In eodem symbolo Romano, atque etiam in Aquilejensi desunt earverba *creatorem caeli et terrae*; at id, quod his verbis designatur, sine dubio comprehendit verbum *omnipotentem*. Descensus ad inferos, uti ipse Ruffinus observat *pag.* 158., virtute latet in Christo sepulto. Sanctorum communio in ipsa vivificantis Spiritus, et S. Ecclesiae confessione concluditur. Vita aeterna satis exprimitur in carnis resurrectione, ex qua, ut ait Ruffinus „ ministratur justis per„ petuitas gloriae, reis prolixitas confusionis „ Mitto cetera, quae videnda sunt apud Natalem Alexandrum, Ceillierum, reliquos, quos supra indicavi; et ab eodem Ceilliero *loc. cit. pag.* 521. describuntur symbola vulgare, Aquilejense, Orientale, Romanum, quae inter se conferri possunt, ut singulorum in verbis diversitas ostendatur. Omnia symbola collegit Josephus Binghamus *origin. sive antiquit. christian. lib.* 10. *cap.* 4. *tom.* 1. *pag.* 79. *seqq. edit. Halae Magdeb.* 1751., quae inter privatorum quorumdam hominum symbola referuntur eaque ab Romano distare videntur. At haec vere symbola non sunt, sed potius fidei Christianae expositiones, ac forte Romani symboli explicationes, quoniam ab eo, quoad sensum, atque sententiam, nihil differunt.

(2) Romanam Ecclesiam Apostolorum symbolum semper *intemeratum servasse*, tradit Ambrosius *loc. cit.*; et ejus rei causam etiam affert Ruffinus, cujus paulo ante descriptus est locus.

(3) Incertus Auctor sermonis 241. *in appendic. opp. S. Augustini tom.* 16. *col.* 1300. singulis Apostolis singulos attribuit symboli articulos, » his verbis » Petrus dixit: credo in Deum Patrem omnipotentem. Joan» nes dixit: creatorem coeli, et terrae. Jacobus dixit: credo et in Jesum » Christum filium ejus unicum Dominum nostrum. Andreas dixit: qui » conceptus est de Spiritu S., natus ex Maria Virgine. Philippus ait: » passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Thomas ait: » descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis. Bartholomeus di» xit: ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Mat» thaeus dixit: inde venturus est judicare vivos, et mortuos. Jacobus Al» phaei: credo et in Spiritum S., sanctam Ecclesiam catholicam. Simon » Zelotes: sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Judas Ja» cobi: carnis resurrectionem. Matthias complevit: vitam aeternam, » amen » Verum haec articulorum partitio inter singulos Apostolos

recentioris aetatis inventum est, quod nullo nititur idoneo fundamento; praeterea in hoc symbolo sunt articuli, qui non extant in symbolo Romano, quod ab Apostolis iisdem verbis, atque ordine, ac sententiis traditum fuisse simile veri est.

§. IX. Proximum est symbolum Nicaenum, quod nicaeni Concilii Patres ad reprimendam haeresim Arii Presbyteri Alexandrini condiderunt. Scilicet contra hunc errorem definitum est, Jesum Christum Deo Patri esse ὁμοούσιον, seu *consubstantialem*; atque ita clariori hac explicatione symboli Apostolici statuta est Verbi divinitas, et nova haeresis profligata. Hac uberiori declaratione auctum Apostolorum symbolum Nicaenum appellatur. Idem est symbolum Constantinopolitanum, quo similiter clarioribus verbis catholica veritas explicata est, atque in primis stabilita Spiritus S. divinitas, quam Macedonius impie, atque audacter oppugnabat (1). Symbolum huic simile describit S. Epiphanius (2), qui multos ante annos, quam Constantinopolitana Synodus haberetur, ex hac vita migraverat; unde intelligimus, Concilii Patres maluisse uti symbolo, quod jam in Ecclesia receptum erat, quam novum condere. Nihilotamen minus vetusti Patres, et antiqua Concilia raro hoc symbolum, sed fere semper Nicaenum laudant (3); et forte ejus primum in Chalcedonensi Concilio expressa mentio facta est (4). In eo Constantinopolitano symbolo, quale a Concilio editum est, cum agitur de Spiritu S., omittitur vox illa *filioque*, non quod Patribus minus exploratum videretur catholicum dogma, quo edocemur, Spiritum S. a Patre, Filioque procedere, sed quod supervacaneum visum est eam doctrinam, in quam nulla tunc haeresis erupérat, expressis verbis declarare (5). Eademque causa est, propter quam Leo III. Summus Pontifex minime assentiri voluit Gallorum Legatis, qui Constantinopolitanum Symbolum cum additamento illo vocis *filioque* recitari volebant. Nam tenax antiquitatis Pontifex symbolum retineri jussit, quale a Constantinopolitanis Patribus editum fuerat, nec alicui licere existimavit vel unum verbum addere, nisi totius Ecclesiae, aut Sedis Apostolicae auctoritas accederet. Noluit tamen ex symbolo eam vocem expungi, ne catholicum dogma minus certum habere videretur; Sed Gallis auctor fuit, ut eam paulatim in Palatio intermitterent, ejusque exemplo reliqui omnes eamdem vocem usurpare dediscerent (6). Verum ea semel admissa

re·ocari non potuit; imo ejus usus ad alias quoque Ecclesias migravit, quarum plures jampridem additamento illo utebantur, ut clarius, et explicatius refutarent Priscillanistas, qui Patrem, et Filium, et Spiritum S. unam, eamdemque personam esse asserebant. Atque hoc est symbolum, quod in Missa recitatur, licet ejus rei consuetudo non eamdem habeat in omuibus Ecclesiis antiquitatem (7).

(1) Quid Nicaeno Symbolo a Constantinopolitano additum fuerit, diligenter ostendit Natalis Alexander *Histor. Eccles. tom.* 4. *dissert.* 37. *art.* 2. *pag.* 514.

2) S. Epiphanius *in Ancorat. num.* 121. *tom.* 2. *opp. pag.* 123. Ex hoc symbolo Constantinopolitanum Concilium quaedam amputavit, quae ab Epiphanio tantum rei magis explicandae gratia describuntur. Ipse autem inquit, sese illud ea forma descriptum symbolum misisse propter haereses, quae post Nicaenam Synodum usque ad imperium Valentiniani, et Valentis eruperant, additque praeterea, illud catechumenis ad verbum tradi consuevisse. Nicephorus Callistus *histor. lib.* 12. *cap.* 13. hujus symboli auctores facit Gregorium Nazianzenum, vel Gregorium Nyssenum; sed hujus opinionis nullum certum argumentum est.

(3) S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 39. *opp. tom.* 1. *pag.* 736. *edit. Colon.* 1690. Nicaenum Symbolum memorat, nullum de Constantinopolitano verbum facit, atque illud unum *contra omnes haereses invicta veritate oppositum* affirmat. Nulla quoque ejusdem symboli in Ephesina Synodo verbum est, eaque Nicaenam formulam approbat.

(4) Concilium Chalcedonense *tom.* 4. *Concil. Labbaei col.* 1455. *act.* 5.

(5) S. Thomas *Sum.* 1. *par. quaest.* 36. *art.* 2. *ad* 2. *opp. tom.* 20. *pag.* 211. » Quia igitur, *inquit*, in tempore antiquorum conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium, Spiritum S. *non procedere a filio*, non fuit necessarium, quod hoc explicite poneretur; sed postea insurgente errore quorumdam, in quodam concilio in occidentalibus partibus congregato, expressum fuit auctoritate Romani Pontificis, cujus auctoritate etiam antiqua congregabantur, et confirmabantur „

(6) Rem totam narrat Baronius *ad. an.* 809. *num.* 55. *tom.* 13. *pag.* 453. *seqq.*, ubi etiam refertur sermo, qui a Legatis, et Pontifice habitus est. Verum multo ante hanc aetatem, quae incidit in saeculum IX., complures Ecclesias vocem illam *filioque* in symbolo adhibere consuevisse certum est. Nihil dico de Concilio Toletano I. habito an. 400. *tom.* 2. *Concil. collect. Labbaei col.* 1475., ubi post descriptos canones habetur fidei regula, in qua Spiritus S. dicitur *a Patre filioque procedens*, quoniam hanc regulam minime ad hoc Concilium pertinere censet Pagius *in Baronium ad an.* 405. *num.* 16. *et* 17. *tom.* 6. *pag.* 495. *seqq.*; nihil item de Concilio Bracarensi an. 411. apud eumdem Labbaeum *tom.* 3. *col.* 345., ubi similiter vox eadem occurrit, quoniam dubia saltem, et incerta est hujus concilii veritas, et auctoritas. Du-

bia tamen, at incerta non est auctoritas Concilii Toletani III. an. 589. *ibid. tom.* 6. *col.* 697., ubi describitur Professio fidei Symboli Constantinopolitani, in eaque Spiritus S. dicitur *a Patre, et filio procedens*; atque *anathemat.* 3. *ibid. col.* 700. habentur haec » Quicunque Spiritum S. non credit, » aut non crediderit a Patre, et Filio procedere . . . . . anathema sit „ Non multo post S. Gregorius M. successor Pelagii, quo Pontifice Toletana illa synodus habita est, eamdem vocem in symbolo adhibuit, uti testatur Paulus Diaconus in ejus *vita lib.* 2. *num.* 2. *opp. S. Gregorii tom.* 4. *col.* 45., et multo antequam eadem synodus haberetur, S. Leo M. *ep.* 15. quae scripta est an. 447. ad Turribium Episcopum Asturicensem *cap.* 1. *opp. tom.* 1. *col.* 697., ad refellendos Priscillianistarum errores diserte expressit Spiritum S. *ab utroque*, hoc est a Patre, et Filio *procedentem*; qua epistola in Hispanias delata, forte in aliqua synodo illa est edita professio fidei, quam I. Toletano Concilio adscribi diximus. Est etiam memoratu digna fidei professio, quam cum actis Concilii Francofordiensis an. 794. ad Hispanos Episcopos misit Carolus M. apud Labbaeum *tom.* 9. *Concil. col.* 96., et in qua habentur haec „ Credimus et in Spiritum „ S. Deum verum, vivificatorem omnium, a Patre, et Filio procedentem „ Eodem Imperatore, uti narravimus, aliquot post annos de illo additamento *filioque* orta est controversia, sed eam non rem ipsam, quam omnes catholici certam, firmamque habebant, sed factum respiciebat; quoniam symbolo Concilii Generalis sine alius synodi auctoritate quidquam addi nefas putabatur. Verum medio saeculo IX., Nicolao I. Summo Pontifice, in Romana, totaque Latina Ecclesia eamdem vocem symbolo adjectam fuisse certum est. Nam ea tempestate Photius novitatis accusabat Romanam Ecclesiam, quod illud in symbolo additamentum expressisset, uti ostendunt ejusdem Photii literae, quae extant apud Baronium *ad an.* 863. *num.* 38. *tom.* 14. *pag.* 592. *edit. Lucae* 1738., et quarum verba sunt „ Praeter enim absurditates, „ quas supra recensuimus; sacrum etiam, et sanctum symbolum, quod „ ab omnibus synodicis, et oecumenicis calculis irrefragabilem vim habet, et auctoritatem, spuriis, et falsis quibusdam disceptationibus, et „ alienis rationibus, et audaciae quodam excessu adulterare non dubitarunt. O mali daemonis artes! Spiritum S. non ex Patre solum, sed etiam ex Filio procedere noviter docentes „ Forte spectat praecipue Photius ad symbolum, quod Nicolai I. Pontificis jussu ejus Legati tradiderant Bulgaris una cum ejusdem responsis, quae descripta sunt *tom.* 9. *Concil. col.* 1534. *edit. Venet. Coleti*, et quod certe non aliud esse potuit, quam symbolum, quo Romana Ecclesia utebatur. Idem quoque colligitur ex Ratramno Corbejensi Monacho, qui iisdem temporibus floruit; quique *libro* 2. *pro Romana Ecclesia* contra Grecos, illud ipsum ab iisdem objectum violati symboli crimen diluit. Denique S. Antoninus *Sum. par.* 3. *tit.* 22. *cap.* 15. §. 10. diserte tradit, Photium exprobrasse Nicolao I., quod propter illud in symbolo additamentum incidisset in anathema latum a Concilio Ephesino adversus eos, qui symbolo aliquid adderent. Ex quibus, ut mihi quidem videtur, facile deprehenditur, illud in symbolo additamentum in Romana Ecclesia primum a Nicolao I. factum fuisse. Scio equidem nonnullos esse, qui idem additamentum vocis *filioque* repetunt a Damaso Pontifice; verum haec sententia nullum firmum habet, quo nitatur, fundamentum, quod late ostendit Theodorus M. Rupprechtus *not. histor. in univers. jus canon. tit. de Sum. Trinit. et fid. cathol. pag.* 17. *seqq. edit. Venet.* 1764.

7) Symbolum Constantinopolitanum *in omni Ecclesia catholica a Populo canendum intromisit* anno 568. Justinus Jun. Imperator, uti scribit Joannes Biclarensis *in Chronico* apud Gallandum *in Biblioth. PP. tom.* 12. *pag.* 365. Ante hoc tempus Petrus Fullo Patriarcha Antiochenus, qui anno 480. ex hac vita migravit, symbolum in singulis collectis dici voluit, deinceps autem Timotheus cognomento Colon, qui ab anno 511. usque ad annum 517. Constantinopolitanam Sedem tenuit, Nicaenum symbolum in omni synaxi recitari jussit. Quod ab haereticis hominibus fraudulenter factum est, cum ipsi Eutychem sequerentur, ac rejicerent symbolum Constantinopolitanum, in quo incarnationis mysterium clarius quam in Nicaeno symbolo, explicabatur, ideoque hoc, non illud sacrae liturgiae partem esse voluerunt. Haec eorum instituta, quae a paucis recepta fuerant, brevi antiquata sunt; et hinc a Justino Juniore vere est repetenda consuetudo recitandi in collectis Symbolum Constantinopolitanum. Justinus a populo symbolum cantari jusserat ante orationem dominicam; at neque Graeci, neque cuncti Orientales hunc morem receperunt, sed illud, uti constat ex eorum libris liturgicis, ante elementorum consacrationem recitare consueverunt. In Occidente primum Hispani symbolum in Missa cantare caeperunt an. 589 decreto Concilii Toletani III. *can.* 2. *tom.* 6. *Concil. Labbaei col.* 706., quo » consultu piissimi, et gloriosissimi domini nostri Reccaredi Regis, sancta constituit synodus, ut per omnes » ecclesias Hispaniae, vel Gallaeciae, secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta » Episcoporum Symbolum fidei recitetur » Quae verba *secundum formam Orientalium Ecclesiarum* perspicue demonstrant, Hispanos eam consuetudinem, quae nondum in Occidente inducta fuerat, ab Orientalibus accepisse; unde intelligimus, falsum esse, quod jampridem Ecclesia Romana symbolum in Missa recitaret. Revera id primum in ea fieri caepit Benedicto VIII. Pontifice, qui precibus S. Henrici Imperatoris id concessit, ut symbolum in Missa caneretur, uti testatur Berno Augiensis Abbas, qui his temporibus vixit *de reb. ad Missam spectan. cap.* 1. *Biblioth. PP. tom.* 18. *pag.* 56. *edit. Lugdun.* Martenius *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 5. *num.* 11. *tom.* 1. *pag.* 138. *edit. Venet.* 1763., aliique ante Henrici aetatem in Romana Ecclesia symbolum in Missa recitari consuevisse arbitrantur; Robertus Sala *in Bonam Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 8. §. 2. *not.* 6. *tom.* 3. *pag.* 175. *edit. Taurin.* 1753. symbolum ibi antea lectum, non autem cantatum putat, quod solum Henrici aetate fieri caepisse existimat Mabillonius *de Liturg. Gallican. lib.* 1. ante ea, quae indicavimus, Henrici tempora, Romanos minime symbolum cecinisse tradit, sed ab hac sententia discessisse videtur *in Commentar. ad Ordin. Roman. II. num.* 9. *p.* 46. *tom.* 2. *edit. Paris.* 1724. Audiendus Leslaeus *in not. ad Missal. Mozarabic. pag.* 543. *edit. Romae* 1755., cujus haec verba sunt » Non desunt qui putant, Ecclesiam » Romanam symbolum in Missa legisse ante saeculum IX., quia de symbolo » post Evangelium cantando Ordines Romani apud Mabillonium II. V. et VI. » aperte mentionem faciunt; at Berno Augiensis, testis oculatus, distincte asserit: symbolum Romani usque ad haec tempora divae memoriae Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Cui non contradicunt citati Ordines Romani, qui non tradunt disciplinam Basilicarum Urbis, sed Ecclesiarum Galliae, in quibus Gelasianus receptus quidem erat, sed ritibus quibusdam Gallicanis immixtus, ut facile est hos Ordines diligentius inspicienti deprehendere. Neque obstat, quod Amalarius in

» Ecloga titulum habeat *de credo in Deum*, quo de symbolo, post Evan-
» gelium recitari solito, tractat. Siquidem hoc loco ritum Romanum purum non exhibet, *nam*, inquit » *convenit populo post Evangelium, quo* » *Christi verba audivit, intentionem credulitatis suae praeclaro ore* » *proferre*; siquidem populus in Gallia, et in Hispania symbolum in » Missa recitabat, non item Romae. Certe idem Amalarius fuse singulas » Missae Romanae partes exponens de symbolo tacet: et Ordines Romani genuini III. et IV. Hittorpii, atque is, quem Illustrissimus Blanchinus in prolegomenis ad tomum tertium Anastasii opus edidit, quique » olim ad usum Basilicarum Urbis fuerant exarati, non modo silent de » symbolo sed nullum symbolo recitando locum vacuum in Missa relinquunt » Videndi Renaudotius *Liturg. Oriental. collect. ad Liturg. Coptic. S. Basilii tom.* 1. *pag.* 221. *edit. Paris.* 1716., Scheletratius *in Concil. Antiochen. can.* 2. *cap.* 6. *pag.* 211. *edit. Antuerp.* 1681., Pagius *in Baronium ad an.* 325. *num.* 25. *tom.* 4. *pag.* 118. *edit. Lucae* 1738., Christianus Lupus *dissert. de Symbolo Apostol. et Nicaen. cap* 6. *opp. tom.* 1. *pag.* 194. *seqq. edit. Venet.* 1724.; sed ceteris copiosius, et accuratius totum hoc argumentum pertractavit Bernardus M. de Rubeis tum in dissertatione, quam adjecit vitae Gregorii Cyprii *Venetiis* 1753., tum in dissertatione *de Sacr. Forojuliens. Ritib. cap.* 6. *pag.* 204. *seqq. edit. Venet.* 1754. Quasdam vero Gallicanas Ecclesias, Hispaniarum exemplo, symbolum in Missa recitasse, valde simile veri est. Nam apud Martenium *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. *tom.* 2. *pag.* 283. extat Homilia *de dedicatione templi*, quam ipse tribuit S. Caesario Arelatensi, in eaque fit mentio symboli *credo in unum Deum Patrem omnipotentem*, quod in Missa recitari solebat. Sed incertum tamen est, uti monet Leslaeus *ad Missale Mozarabum pag.* 544., an omnes Gallicanae Ecclesiae eamdem consuetudinem usurpaverint, et certe in vetusto Sacramentario Gallicano apud Mabillonium *Museum Italicum tom.* 1. *pag.* 282. *ed. Paris.* 1724. nulla symboli mentio est. Non omnibus autem, sed tantum dominicis, festisque diebus celebrioribus symbolum in Missa canitur, quos quidem dies enumerant Grancolasius *ancienne Liturg. pag.* 536. *et seqq. t.* 1. *edit. Paris.* 1704. Bellottus *observat. in rit. Eccles. Laudunen. tom.* 2. *pag.* 440. *edit. Paris.* 1662., Sala *loc. cit. not.* 8. *pag.* 177.

§. X. Praeclarum est etiam, et omnium sermone celebratum symbolum, quod Athanasii nomine circumfertur, quodque nunc plerique Athanasio adscribendum negant (1); licet minus compertum, exploratumque sit, a quo illud fuerit, et qua aetate conditum (2). Quisquis autem ejus auctor fuerit, cum privatus homo esset, minime poterat symbolum componere, quod omnibus esset veritatis loco, certamque faceret auctoritatem in Ecclesia universa. Itaque fidem exposuit potius ad instar cujusdam doctrinae, quam symboli; sed quia fidei veritatem haec doctrina perspicue, breviterque complectitur, Romani Pontificis auctoritate factum est, ut tamquam fidei regula habeatur (3). Plurimi semper hoc symbolum Ec-

clesia fecit, adeout alicubi una cum symbolis Apostolico, et Constantinopolitano in Litaniis Majoribus caneretur (4), et alicubi illud omnes Sacerdotes memoria retinere deberent (5). Hodie ad primam recitatur in divinis officiis diebus Dominicis, et die festo SSmae Trinitatis (6).

(1) Baronius *ad an.* 340. *aum.* 11. *tom.* 4. *pag.* 344., Bona *de divin. psalmod. cap.* 16. *pag.* 527. *edit. Antuerp.* 1723., Bellarminus *de Scriptor. Eccles. in Athanas opp. tom.* 7. *pag.* 70. Possevinus *Apparat. sacr.*, Petavius *animadver. in Epiphanium haeres.* 72. *tom.* 2. *pag.* 304. *edit. Coloniae* 1682., Annatus *Apparat. ad Theolog. positiv. lib.* 4. *art.* 17. *pag.* 351. *et seqq. t.* 1. *ed. Venet.*, Liberius a Jesu *oper. posthum. tom.* 1. *Tr. disp.* 1. *Controv.* 10 §. 2., atque alii symbolum hoc a S. Athanasio editum fuisse existimant vel Romae, vel Treveris (non enim una omnium ea in re sententia est) ubi ille exulabat. Contra idem symbolum Athanasio abjudicant Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec. IV. cap.* 6. *art.* 8. *de S. Athanasio num.* 9. *tom.* 4. *pag.* 275. *seqq.*, Oudinus *in Supplemen. ad Bellarmin. de Script. eccles. ad ann.* 340. *tom.* 7. *pag.* 73., Pagius *in crit. ad Baron. tom.* 4. *aun.* 7. *pag.* 344., Vossius *dissert.* 2. *de trib. symbol. p.* 48. *cap.* 12. *seqq. edit. Amstelod.* 1643., Heideggerus *select. disput. dissert.* 18. *tom.* 2. *p.* 756. *et seqq. edit. Tiguri* 1674., Jueninius *Instit. Theolog. tom.* 6. *dissert.* 4. §. 4. *par.* 7. *pag.* 205. *seqq. edit. Lugdun.* 1747., Maurini Editores *opp. S. Athanas. diatrib. in symbolum quicanque tom.* 2. *eorund. opp. pag.* 652. *seqq. edit. Patavii* 1777., Tillemontius *Memoir. pour servir a l' Histoir. Ecclesiast. not.* 34. *sur Saint Athan. tom.* 8. *edit. Ven.* 1732. *pag.* 667. *seqq.* Ceillerius *Histoir. general. dos auteur. sacr. et ecclesiast. tom.* 5. *chap.* 2. *art.* 4. *num.* 19. *pag.* 292. *seqq.* Videndi sunt etiam, qui in eodem argumento versantur, Meratus *in Gavantium tom.* 2. *sect.* 5. *cap.* 20. *pag.* 376. *seqq. edit. Romae* 1736., Azevedus *de divin. offic. exerc.* 38. *num.* 3. *par.* 1. *col.* 136. *seqq. edit. Venet.* 1783; Bertius *de Theolog. disciplin. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *pag.* 180. *seqq. edit. Romae* 1739. Mihi valde probatur sententia Cardinalis Thomasii *Symbol. fidei opp. tom.* 3. *pag.* 618. *edit. Romae* 1747. putantis, hoc symbolum, quo uberior Nicenae fidei explicatio continetur, veluti quoddam commonitorium esse ad catholicorum institutionem contra varias haereses, et graece, et latine primo confectum de iis, quae de Trinitate, et Incarnatione tum voce disputata, tum scripto decreta sunt in Concilio Alexandrino, quod habitum est Juliano Imperatore, praeside S. Athanasio, ac praesentibus ex Latinis S. Eusebio Episcopo Vercellensi, diaconisque duobus Luciferi Episcopi Calaritani.

(2) Natalis Alexander *loc. cit.* hoc symbolum adscribit Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo, qui in exitu V. saeculi floruit: quae etiam Paschasii Quesnelli sententia est. Contra Josephus Anthelmus *disser. de Symbolo Athanasiano* ejus auctorem facit Vincentium Lirinensem, alii Hilarium Pictaviensem, alii Eusebium Vercellensem, alii Athanasium Spirae Episcopum. Ita obscura res est, ut frustra certi aliquid quaeras: mihi, uti dixi, valde placet Thomasii sententia.

(3) S. Thomas 2. 2. *quaest.* 1. *art* 10. *opp. tom.* 22. *pag.* 13. *edit.*

Venet. 1745. » Athanasius, *inquit*, non composuit manifestationem fidei „ per modum symboli, sed magis per modum cujusdam doctrinae, ut ex „ ipso modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem ejus „ doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta, „ ut, quasi regula fidei habeatur „

(4) Confer Mabillonium *Annal. Benedictin. lib.* 26. *num.* 68. *tom.* 2. *pag.* 309. *edit. Venet. cit.*

(5) Primam Athanasiani symboli mentionem a Theodulpho Aurelianensi, qui circa annum 794, Carolo M. Imperatore vixit, fieri putat Guilelmus Caveus *Histor. liter. Script. ecclesiast. in Athanasio tom.* 1. *pag.* 196. *edit. Oxonii* 1740., verum egregie fallitur. Nam ante annos fere centum, nimirum anno 670. ejus meminit Concilium Augustodunense *tom.* 7. *Concil. collect. Labbaei col.* 552., ubi habentur haec „ Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus symbolum, quod inspirante S. Spiritu Apostoli tradiderunt, et fidem S. Athanasii Praesulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur „ Postea Ratherius Veronensis Episcopus, qui X. saeculo vitae usura fruebatur, *in Synod. n.* 1. *col.* 409. *et* 410. *edit. Veronae indic.* ita suos alloquebatur » Ipsam fidem, idest credulitatem Dei, trifarie parare memoriter fe„ stinetis, hoc est, secundum symbolum; idest collationem Apostolorum, „ sicut in Psalteriis correctis invenitur, et illam, quae ad Missam ca„ nitur, et illam S. Athanasii, quae ita incipit, *quicumque vult salvus* „ *esse.* Quicumque vult ergo Sacerdos in nostra parochia esse, aut fieri, „ aut permanere, illas tres memoriter nobis recitet, cum proxime a nobis „ huc vocatus fuerit „ *et num.* 12. *col.* 419., *et Itinerari num.* 6. *et* 7. *col.* 446. *et* 447., ubi etiam reprehendit Veronenses Canonicos, qui symbolum publice cantare recusabant. Ratherio vetustior Ayto Basileensis Episcopus circa annum 820. apud Lucam Dacherium *Spicileg. tom.* 1. *pag.* 584. *cap.* 4. *edit. Paris.* 1723. decrevit „ ut fides S. Athanasii a Sacer„ dotibus discatur, et ex corde omni die Dominico ad horam primam re„ citetur „ Ejusdem quoque symboli mentio est apud Ratramnum Monachum Corbejensem *contr. Graec. lib.* 2. *cap.* 3. apud eumdem Dacherium *tom.* 1. *pag.* 71.

(6) In antiquo catalogo Abbatum Floriacensium desinente in Theodulpho, qui deinceps Aurelianensis Episcopus fuit, vixitque Ludovico Pio Imperatore apud Baluzium *Miscellan. tom.* 1. *pag.* 79. *edit. Lucae* 1761. haec scripta sunt „ Explanationem edidit (*Theodulphus*) symboli S. Atha» nasii, quod a monachis post tres regulares psalmos ad primam quotidie » legitur „ In celebri S. Martini Turonensis Ecclesia communi totius Capituli Canonicorum consensu apud Martenium *Thesaur. Anecdot. tom.* 1. *pag.* 63. *edit. Paris.* 1717. an. 922. statutum fuit, ut „ cantarent Fratres » generaliter ad horam primam tam festis diebus, quam et quotidianis ca» tholicam fidem, quam S. Athanasius, Spiritu S. dictante, composuit, » idest *quicumque vult salvus esse* » Unde forte intelligitur, primum in Galliis hunc ritum inductum fuisse, deinde ad alias quoque regiones fuisse delatum. Confer Martenium *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 1. *tom.* 3. *pag.* 19.

§. XI. Post novem fere saecula, quam prodierat symbolum Constantinopolitanum, quod Nicaenum clarius explicavit, conditum est Lateranense in Concilio Lateranensi IV.,

quod anno 1215. Innocentio III. Summo Pontifice celebratum fuit; et in quo condemnati sunt Albigenses, atque Almaricus, et proscriptus error Abbatis Joachimi, qui tamen haereticus non fuit, propterea quod sua omnia scripta Apostolicae Sedis judicio subjecit (1). Symbolum in hoc Concilio editum describit Gregorius IX. (2); in eoque adhibita est vox *transubstantiationis*, per quam plane, aperte, dilucide explicatur conversio panis, et vini in verum Christi corpus, et sanguinem, ejusque realis praesentia in Eucharistia non per *impanationem*, aut *consubstantiationem*, sed per veram, perfectamque mutationem elementorum, ita ut tota *substantia* panis, ac vini per verba consecrationis Christi corporis, sanguinisque substantia efficiatur (3). Ita hoc vocabulo profligati sunt non tantum antiquiores haeretici Berengarius, et Albigenses, sed etiam recentiores haeretici Calviniani, ac Lutherani, ex eorumque secta Impanatores, et Ubiquistae. Ipsum sane verbum *Transubstantiationis* in sacris literis, atque apud antiquissimos Scriptores minime reperitur; sed res ipsa, quae eodem vocabulo significatur, clarissime expressa est, cum dogma illud de conversione panis, et vini in verum Christi corpus, et sanguinem semper fixum, certumque in Ecclesia fuerit (4). Simili modo Nicaeni Patres, ut aliud Religionis nostrae dogma contra Arianos definirent, usi sunt vocabulo ὁμοούσιον, quo omnes illorum fraudes, et tergiversationes praeciduntur. Licet autem illud ipsum vocabulum, uti dicebamus, antiquissima aetate minime occurrat, tamen haud primum inventum est in Concilio Lateranensi, sed eo vetustius esse constat (5).

(1) Recentiora haec symbola, quae post illa antiquiora, quorum supra est facta mentio, edita fuerunt, minime probat Auctor operis, quod nomine Justini Febronii IC. circumfertur, et cui titulus est: *Principia Jur. publ. ecclesiast. Catholic. ad statum Germaniae accomodata ad usum Tyronum Ulmae* 1767. Ait enim quod si » haec symbola *juniora*, videlicet Concilii Lateranensis an. 1215., Viennensis, Eugenii IV. Literae pro instructione Armenorum, et fidei professio Tridentina cum antiquioribus illis Apostolico, Nicaeno, Constantinopolitano conferantur, facile apparebit *junioribus* inserta fuisse multa, quae rationibus symboli haud conveniunt. Nam symbolum tantum complecti deberet certas, atque ab omnibus credendas veritates, quae ad catholicum dogma pertinent; verum in symbolo Lateranensi simultanea traditur angelicae, et humanae naturae creatio, quae catholicam veritatem non attingit; in symbolo Vien-

nensi probabiliores opiniones proponuntur ; in literis Eugenii IV. pro instructione Armenorum multa traduntur de materiis, et formis sacramentorum Confirmationis, Ordinis etc., quae minus certa, atque explorata sunt; denique in professione fidei Tridentina multa sunt, quae potius ad virtutes morales, quam ad theologicam virtutem fidei referuntur, ex. gr. *Romanoque Pontifici veram obedientiam spondeo, ac juro; scripturam nonnisi juxta unanimem consensum Patrum interpretabor: receptos Catholicae Ecclesiae ritus recipio etc.* De singulis pauca dicenda sunt. Lateranense Concilium haud sane definivit simultaneam angelicae, et humanae naturae creationem, neque ulla tunc erat ejus rei definiendae ratio. Agebatur in eo Concilio de condemnanda haeresi Albigensium, qui instar Manichaeorum duo inducebant rerum principia, bonum unum, alterum malum, rerum visibilium unum, alterum invisibilium auctorem. Ut gravissimus hic error profligaretur, in Lateranensi Concilio definitum est, unum esse Deum omnipotentem, a quo cuncta visibilia, et invisibilia creata sunt. Haec summa definitionis est; sed ne aliquod Albigensibus pateret effugium, Concilii Patres contractam hanc definitionem pluribus verbis explicare voluerunt ajentes » Deum unum universorum Principium, „ Creatorem omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corpo„ ralium sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de „ nihilo condidisse creaturam, spiritualem, et corporalem, angelicam vi„ delicet, et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem, ex spi„ ritu, et corpore constitutam „ Auctor operis, quod paulo ante indicavi, in errorem inductus est ex adverbio *simul*, quo Concilii Patres utuntur, quasi significare voluerint, *eodem tempore* angelicam, et humanam naturam fuisse creatam. Sed adverbium illud significat quoque *pariter*, *etiam*, uti ostendunt Nizolius Facciolatus, aliique Lexicorum Scriptores *verb. simul.* Itaque Lateranensis Concilii Patres cum dixerunt, Deum *simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam spiritualem, et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam*, haud sane definire voluerunt, non eodem momento temporis angelica, et mundana natura condita fuerit, quod minime quaerebatur; tantum statuerunt, utrumque pariter unum Deum esse conditorem, et omnia ab ipso ex nihilo creata fuisse, quod ad tollendos Albigensium errores definire oportebat. Pertinet etiam ad hunc locum, quod a S. Thoma *in sum. par. 1. quaest.* 46. *art.* 3. *opp. tom.* 20. *pag.* 275. animadversum est; eumdemque etiam vide *de poten. quaest.* 3. *art.* 18. *opp. tom.* 14. *pag.* 102. *seqq.* Sed rem omnem accuratius explicat idem S. Thomas *exposit.* 1. *Decretal. opusc.* 6. *tom.* 8. *p.* 86, his verbis » De» inde accedit ad alium articulum, qui est de creatione rerum, ubi » varias opiniones excludit. Fuerunt enim aliqui haeretici, sicut Ma» nichaei, qui posuerunt duos creatores; unum bonum, qui creavit » creaturas invisibiles, et spirituales, alium malum, quem dicunt creas» se omnia haec visibilia et corporalia. Fides autem catholica confitetur, » omnia, praeter Deum, tam visibilia, quam invisibilia a Deo esse crea» ta etc. Alius error fuit ponentium Deum quidem esse primum princi» pium productionis rerum, sed tamen non immediate omnia creasse, sed » mediantibus Angelis mundum hunc esse creatum, et hic fuit error Me» nandrianorum, et ad hunc errorem excludendum subdit, *quia sua omni» potenti virtute*, quia scilicet sola Dei virtute omnes creaturae sunt pro» ductae etc. Alius fuit error Origenis ponentis, quod Deus a principio » creavit solas spirituales creaturas, et postea quibusdam earum peccantibus

» creavit corpora, quibus quasi quibusdam vinculis spirituales substantiae » alligarentur, ac si spirituales creaturae non fuerint ex principali Dei in» tentione productae, quia bonum esset eas esse, sed solum ad puniendum » peccatum spiritualium creaturarum etc. Unde ad hoc excludendum dicit: » simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, » et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam ». Concilium Viennense approbavit opinionem illorum, qui parvulis per Baptismum et remitti culpam, et gratiam conferri existimabant, eamque probabiliorem vocat. Sed nunc post oecumenici Concilii decretum sententia haec non amplius probabilior, sed certa est; uti evenit in rebus compluribus ad Religionem pertinentibus, quae nunc certae, explorataeque sunt, posteaquam ab oecumenico Concilio fuerunt definitae, cum antea dubiae, incertaeque essent, atque in hominum disputatione versarentur. Multa, et cuique nota ea de re exempla sunt. Literae Eugenii IV. pro Instructione Armenorum, quae editae sunt post discessum Graecorum a Concilio Florentino, nullam continent dogmaticam definitionem de materiis, et formis sacramentorum, sed tantum Eugenius Armenos docere voluit peculiarem Romanae Ecclesiae ritum. Quod adeo verum est ut nunc etiam de forma, et materia confirmationis, atque ordinis inter Theologos salva fide disputetur. Denique quidquid continet professio fidei, quae ex mente Concili Tridentinii a Pio IV. edita est, de obedientia debita Summo Pontifici, de S. Scriptura juxta unanimem Patrum sensum explicanda, de recipiendis ritibus a catholica Ecclesia praescriptis etc. revera ad theologicam virtutem fidei referendum est. Nam fidei dogma est Primatus Summi Pontificis in Ecclesia universa, unde profluit ei debita obedientia; Neque nova haec est obedientiae promissio, quoniam, ut omnes norunt, eadem occurrit in cunctis fidei professionibus, quae emittebantur ab iis praesertim, qui ejurato schismate ad catholicam unitatem redibant, atque etiam in vetustis formulis sacramentorum, quae certis in rebus praescripta erant. Eodemque loco est sacrarum Scripturarum interpretatio, quae non cujusvis arbitrio permittitur, sed secundum traditionem, et mentem Ecclesiae fieri debet. Similiter certum est ad Ecclesiam pertinere sacros ritus, et caeremonias constituere, uti definitum est a Concilio Tridentino *sess. 7. can.* 13. *sess. 22. cap. 7. et sess. 21. cap. 2. de communion.* Confer Scriptores rerum theologicarum, atque inter eos Tournelyum *praelect. theolog. quaest. ult. tom. 7. pag.* 252. *edit. Neapol.* 1765. Falsum autem est, quod in omnibus fidei professionibus ea tantum comprehendi debeant, quae adjecta poena anathematis expresse ab Ecclesia definita sunt. Nam plures extant hujusmodi fidei professiones antiquarum provincialium synodorum, in quibus illud etiam inter cetera credendum proponitur: *descendit ad inferos Christus, ut sanctos, qui ibidem tenebantur, erueret*, quamquam ea res eum eadem poena definita non esset, neque adhuc sit. Nam ita fert communis Ecclesiae doctrina, quam omnes catholicos sequi oportet. Totum hoc argumentum late persequitur Mamachius *De animabus justorum in sinu Abrahae ante Christi mortem expertibus beatae visionis Dei cap.* 2. *et* 3. *pag.* 114. *seqq.*, a quo etiam illae, quas indicavi, fidei professiones referuntur.

(2) Cap. 1. *de Summa Trinitate et fide catholica.*

(3) Hoc ipso Transubsantiationis vocabulo, per quod catholicum dogma aptissime explicatur, utitur Concilium Tridentinum contra Lutheranos, et Calvinianos. Ait enim *sess.* 13. *cap.* 4 » Persuasum semper in Ecclesia » Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec Synodus declarat, per consecra-

» tionem panis, et vini, conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus: quae conversio convenienter, et proprie a sancta catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata: et *can.* 2.

(4) Confer S Ignatium M. *ad Smyrn. num.* 7. apud Cotelerum *PP. Apostolic. tom.* 2. *pag.* 37. *edit. Antuerp.* 1698., Irenaeum *contr. haeres. lib.* 4. *cap.* 34. *tom.* 1. *opp. pag.* 250. *et seqq. edit. Venet.* 1734. Justinum M. *apolog.* 1. *num.* 66. *pag.* 83. *edit. Paris.* 1742., Cyprianum *de orat. dominic. pag.* 104. *edit. Amstelodam.* 1700., Hilarium *de Trinit. lib.* 8. *num.* 14. *col.* 223. *tom.* 2. *edit. Veron.* 1730., Cyrillum Jerosolymitanum *cateches.* 22. *num.* 2. *pag.* 320. *edit. Venet.* 1763., Epiphanium *in Exposit. fidei tom.* 1. *pag.* 1096., Gregorium Nyssenum *Oration. catechet. cap.* 37. *pag.* 383. *edit. Colon.* 1617., qui habet haec« » Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi » corpus credo transmutari. Etenim panis erat potestate illud corpus .... » et hic similiter panis sanctificatur per verbum Dei, et orationem ...... » quod statim a verbo in corpus transmutatur per verbum: hoc est corpus » meum » *Jo.* Chrysostomum *Homil.* 82. *in Matth. num.* 5. *tom.* 7. *pag.* 788. *edit. Venet.* 1734., Ambrosium sive potius Auctorem, quisquis ille est, libri *de sacramen. lib.* 4. *cap.* 5. *opp. tom.* 3. *col.* 467., cujus haec verba sunt. » Ante quam consecretur, panis est, ubi autem verba Christi accesserint, » *hoc est corpus meum*, corpus Christi est ..... Ipse Dominus Jesus te» stificatur nobis, quod corpus suum accipiamus, et sanguinem; nunquid » debemus de ejus fide, et testificatione dubitare »? Hieronymum *ep.* 14. *ad Heliodor. opp. tom.* 1. *col.* 34., Augustinum *enarrat. in Psalm.* 98. *et comment.* 1. *in Psalm.* 33. *tom.* 6. *col.* 346., *et tom.* 5. *col.* 282. *num.* 10. Cyrillum Alexandrinum *in Joan. lib.* 4. *opp. tom.* 4. *p.* 360. *et in anathemat.* 11. *contr. Nestorium opp. tom.* 6. *p.* 156. *edit. Paris.*, Leonem M. *ep.* 49. *ad Cler. et Pleb. Constantinop. tom.* 1. *col.* 977. *edit. Venet.* 1753., Gregorium M. *Homil.* 14. *in Evangel. de Christo bono Pastore tom.* 1. *col.* 1484 *edit. Paris.* 1705., Isidorum Hispalensem *de offic. ecclesiast. lib* 1. *cap.* 18 *pag.* 383. *tom* 6., Joannem Damascenum *de Fide lib.* 4. *tom.* 1. *pag.* 271. *edit. Venet.* 1748, Concilium Nicaenum II. *tom.* 8. *Concil. collect. Labbaei col.* 1042. *edit. Venet. Coleti.* Mitto ceteros, ne in re notissima nimius evadam. Atque hi quidem omnes disertissime confitentur dogma catholicum, quod per verba consecrationis panis in verum Christi corpus, et vinum in sanguinem convertitur, quod illud idem est, quod *transubstantiationis* vocabulo significatur, quia divina virtute per consecrationem substantia panis, et vini fit substantia corporis, et sanguinis Christi. Quare nihil est, quod haeretici novitatis accusent vocem, quae tam clare, ac diserte exprimit id, quod Ecclesia semper certum, firmumque habuit. Sic olim Ariani vocem ὁμοούσιον veluti novam, et peregrinam, imo tamquam periculosam, rejecerunt, quibus recte dicebat S. Athanasius *epist. de decret. Synod. Nicaen. tom.* 1. *pag.* 178. *num.* 21. *edit. Patav.* 1777. » Etiam si ipsae voces ita in Scripturis non extent, » sententia tamen, quam continent, vere ex Scripturis habetur » Multa, quae ad hoc argumentum pertinent, scitu digna habet Mabillonius *Acta SS. Ord. S. Benedicti tom.* 6. *in praefat.* Confer etiam, praeter Theologos omnes, Muratorium *Liturg. Roman. dissert. de reb. liturg. tom.* 1. *cap.* 5. *pag.* 43. *et cap.* 8. *et* 9. *pag.* 72. *seqq. edit. Neapol.* 1776.

(5) In Concilio Romano anni 1079., quod habitum est S. Gregorio VII. Pontifice, extat jusjurandum Berengarii, qui suos ejuravit errores; his conceptum verbis, quae sine ulla vel levissima obscuritate dogma transsubstantiationis exprimunt *tom.* 12. *Concil. collect. Labbaei col.* 929. » Ego » Berengarius corde credo, et ore confiteor panem, et vinum, quae po- » nuntur in altari, per mysterium sacrae orationis, et verba nostri Redem- » ptoris, *substantialiter* converti in veram, et propriam, ac vivificatricem » carnem, et sanguinem Jesu Christi D. N., et post consecrationem esse » verum Christi corpus » Conversio substantiae panis, et vini per verba consecrationis in substantiam carnis, et sanguinis J. C., ut omnes intelligant, idem est ac *Transubstantiatio*. Hoc ipsum praeterea *Transubstantiationis* vocabulum occurrit in antiqua fidei professione Tholosanorum haereticorum, sive Albigensium, quae describitur in literis Petri Cardinalis tituli S. Chrysogoni Apostolicae Sedis Legati datis anno 1178.; quas refert Baronius ad eundem annum *num.* 26. *tom.* 19. *pag.* 487. *edit. indic.*, cujus quidem professionis verba sunt haec » Per mi- » nisterium sacerdotis, et virtutem divinorum verborum, quae a Domino » prolata sunt, panis, et vinum in corpus, et sanguinem Christi *tran-* » *substantiatur* » Similiter idem verbum extat in literis Gaufredi ad Episcopum Cardinalem Albanensem ab eodem Baronio recitatis *ad an.* 1188. *num.* 28. *d. tom.* 19. *pag.* 602. Stephanus Eduensis Episcopus, quem Possevinus, Bellarminus, atque alii floruisse censent an. 950., quamquam multi ejus aetatem differant ad an. 1160., *in tract. de sacram. altar. cap.* 13. *in Bibliothec. PP. tom.* 20. *p.* 1878. *edit. Lugdun.* scribit haec » Ora- » mus ut cibus hominum fiat cibus Angelorum, scilicet ut oblatio panis, » et vini *transubstantietur* in corpus, et sanguinem Jesu Christi » Cujus similia sunt quae habet Petrus Blesensis, qui vixit Alexandro III. Summo Pontifice circa annum 1160. *ep.* 140. » Pane, *inquit*, et vino *transubstan-* » *tiatis*, virtute verborum caelestium, in corpus, et sanguinem Christi, ac- » cidentia, quae prius ibi fuerant, sine subjecto remanere »

§. XII. Viennense symbolum promulgavit Concilium oecumenicum, quod Viennae in Galliis habitum est anno 1311., et in quo, Praeside Clemente V., damnati sunt Fraticelli, Dulcinistae, Beguardi, et Beguini (1). Est etiam symboli loco Instructio, quam pro Armenis edidit Eugenius IV. in Concilio Florentino. Cum enim dissidiis omnibus, quae hactenus fuerant, amotis, stabilita fuisset Latinae, Graecaeque Ecclesiae concordia, etiam Armeni ejus participes esse voluerunt, et ideo data est eorum Legatis *Instructio*, qua ea, quae pertinent ad Ecclesiae dogmata antiquioribus Conciliis definita, ad sacramenta, et quosdam festos dies, ritusque a Romana Ecclesia observatos, accurate explicantur (2). Cujus in Instructionis praescripto, ictoque faedere cum Ecclesia Romana nunc etiam Armeni perseverant; licet Graeci promissis non steterint, atque a data in Concilio Florentino fide, et a Romanae

Ecclesiae communione discesserint. Novissimum, atque usu fidelium, et observantia celeberrimum est symbolum, quod ad removendam novandi libidinem, qua ejus etatis haeretici rapiebantur, Synodus Tridentina fieri jussit, atque a Pio IV. in lucem emissum est (3).

(1) Symbolum Concilii Viennensis describit Clemens V. *in Clem. 1. hoc tit.*

(2) Haec Instructio pro Armenis extat in Concilio Florentino *tom. 18. concil. Labbaei col.* 542.

(3) Haec fidei professio, qua hodie omnes utuntur, comprehenditur in Bulla *In sacrosancta* 102. Pii IV. *Bullar. tom. 4. par. 2. pag.* 203. *edit. Mainardi Romae.*

§. XIII. Hoc symbolum, sive hanc fidei professionem emittere debent Episcopi (1), quorum aliquis si huic legi parere recusaverit, comprovinciales Episcopi ea de re Summum Pontificem certiorem facere, seque interim ab ejus communione abstinere debent; Praelati Ordinum Regularium, etiam militarium (2); qui alicujus universitatis, aut publici gymnasii regimini praeficiuntur, qui publico Lectoris munere functuri, aut Doctoris gradum, et dignitatem in Sac. Theologia, vel Jure Canonico, ac Civili, vel Medicina, ceterisque hujusmodi facultatibus consequuturi sunt (3); qui Dignitates, aut Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, aut beneficia curata obtinuerunt (4). Et qui haec, quorum est facta mentio, beneficia adepti sunt, saltem intra duos menses hanc fidei professionem facere coguntur coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, quod Canonici, ac Dignitates non tantum coram Episcopo, ejusve Vicario, sed etiam coram Capitulo praestare debent (5). Quam legem si qui despexerint, ii suos non faciunt beneficii fructus (6). Sed et qui baptizandi sunt (7), et haeretici, qui catholicae Ecclesiae dogmata amplectuntur (8), et qui sacris initiantur ordinibus catholicam fidem profiteri expresse debent. (9).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *Cap.* 2. *de reform.*

(2) Pius IV. *Const. Injunctum* 103. *tom.* 4. *par.* 2. *Bullar. p.* 204.

(3) Idem Pius IV. *Const. In Sacrosancta* 102. *ibid. pag.* 201.

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.*

(5) Ea tamen lege collegiatarum Ecclesiarum Canonicos minime obstringi, docet Benedictus XIV. *Instit. Jur. Eccles.* 60. §. 1. *pag.* 139. *edit. Venet.* 1760.

(6) Adversus eos, qui intra duos menses fidei professionem facere neglexerunt, sunt haec Tridentini Concilii verba *loc. cit.* » alioquin praedicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos; nec illis possessio suffragetur » Quae verba perspicue definiunt quaestionem, in qua plures Interpretes otio, ac tempore intemperanter abusi sunt, ut quaererent, num hujusmodi Beneficiati ipso jure, an potius per Judicis sententiam fructus amittant. Nam si possessio datur eum ea lege, ut fidei professio duos intra menses emittatur, manifestum est, nullam esse possessionem; quoniam non impleta est conditio, qua eadem nitebatur. Et si captam possessionem alieni *suffragari* negat Concilium, propterea quod conditioni satisfactum non est, nulla certe opus est sententia judicis, ut haec possessio declaretur irrita, minusque idonea ad fructus percipiendos. Ceterum quod de beneficii fructibus sancitum est, id minime ad quotidianas distributiones pertinere ostendit Benedictus XIV. *Instit. Eccles. Ins.*. 60. *num.* 11. *pag.* 140.

(7) Can. 58. 59. *et* 73. *dist.* 4. *de consecrat.* (8) Cap. 9. *de haeret.*

(9) Can. 6. *dist.* 23. Omnes, qui fidei professionem emittere debent, accurate recenset Remigius Maschat *Instit. Canon. lib.* 1. *tit.* 1. *tom.* 1. *pag.* 513. *edit. Romae* 1757.

DE CONSTITUTIONIBUS

TITULUS II.

I. Quid sit constitutio? Quis jus universale constituat?
II. Quale sit jus particulare, et speciale?
III. Quae legum ecclesiasticarum materia sit?
IV. Legis et legislatoris officium versatur in praecipiendo, vetando, permittendo, puniendo.
V. In iis, quae permittuntur, non eadem divini, et humani juris ratio est.
VI. Sanctio legis.
VII. Voluntas Legislatoris. Lex exteriori actu patefacienda est, ut omnibus nota sit.
VIII. et IX. Legis promulgatio arbitrio legislatoris quovis in loco sibi subjecto fieri potest.
X. Leges Romae editae a Summo Pontifice fideles omnes obligant, ubicunque commorentur.
XI. Dispensationes legum.
XII. Leges speciales, et privilegia.
XIII. Regulae de omnibus legibus constitutae.

De hac materia agitur in 6. *lib.* 1. *tit.* 2. in Decreto *dist.* 1. *usque ad* 22. *fere per tot. et dist.* 29. 38. 96. Concil. Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.* in Instit. *lib.* 1. *tit.* 1. 2. in Pandect. *lib.* 1. *tit.* 1. 2. 3. 4. *in* Codice *tit.* 14. *ad* 18. *et* Novell. 66.

§. I.

Recte atque ordine fit progressus ad titulum de Constitutionibus, posteaquam de iis, quae ad catholicam fidem pertinent, superiore loco actum est. Constitutio vocabulum est a constituendo ductum, eoque nomine intelligimus omnes leges, quae a legitimo Superiore latae, promulgataeque sunt, quibusque subditos obtemperare oportet. Neque enim aliquis in actionibus, aut in judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed illarum auctoritate duci debet (1). Ex his legibus efficitur Jus Ecclesiasticum (nam de eo tantum nobis hoc loco disputatio est) idque jus vel *universale*, vel *particulare*, vel *speciale* est. Universale cunctos fideles obstringit; quare illud nonnisi ab eo, qui in omnes fideles auctoritatem habet, ferri potest. Quae auctoritas inest in Summo Pontifice Ecclesiae capite, atque in Concilio oecu-

menico, nimirum in collegio omnium Episcoporum, qui cum suo capite conjuncti Ecclesiam referunt universam. Itaque leges ab his duobus latae fideles omnes afficiunt, quoniam his cuncti subjecti sunt; nisi forte iisdem placuerit jus particulare, aut speciale pro certis regionibus, certisque hominibus constituere.

(1) Cap. 1. *de constit.*

§. II. Particulare jus a Patriarcha in suo Patriarchatu, a Metropolita in sua provincia, a Primate in natione, cui praeest, ab Episcopo in dioecesi constituitur. Idem praestat Concilium patriarchale, provinciale, nationale, dioecesanum. Eodem jure fruuntur Praelati exempti in eo regionis tractu, in quo quasi episcopalem jurisdictionem obtinent; eodem Legati Sedis Apostolicae in ea provincia, quae ipsis commissa est (1); eodemque in suis titulis Cardinales (2). His omnibus jus est particulares condendi leges; exceptis rebus, Summo Pontifici reservatis, aut jure communi rite, et recte constitutis (3). Jus autem speciale constituunt privilegia, quae vel personae, vel rei tribuuntur, et ideo vel *personalia*, vel *realia* appellantur; illa cum persona, cui concessa sunt, exspirant, haec vero ad successores transmittuntur. Cuicuimodi haec privilegia sint, demonstranda sunt ab eo, qui iisdem nititur (4); quaeque rem certam, certumque locum attingunt, ad aliam rem, locumque alium traduci nequeunt (5).

(1) Cap. *ult. de offic. Legat.*
(3) Cap. 11. *de major. et obed.* Agam ea de re postea diligentius.
(3) Can. 7. 11. 12. *caus.* 25. *q.* 2. Cap. 9. *de majorit. et obedien.*, Clem. 2. *de elect.*
(4) Cap. 7. *de privileg.*
(5) Cap. 9. *et* 16. *eod. tit.*

§. III. Materia, quam scholae vocant, legis ecclesiasticae sunt liberae fidelium actiones, quae praecipiuntur, cum honestae sunt, et saepe etiam cum ἀδιάφοροι, *indifferentes* videntur, vel vetantur, cum malae, minusque honestae sunt. Hae autem actiones, quae legibus subjiciuntur, possibiles, ac futurae, non praeteritae esse debent; nisi nominatim, et de praeterito tem-

pore, et adhuc pendente negocio lex lata sit (1) Omnes hujusmodi actiones, quae externae sunt, legis imperio obnoxias esse constat; sed non ita exploratum est, num etiam actus interni ex eo sint genere actionum, ad quas vis legum et auctoritas producitur. Divinis sane legibus interius, exteriusque homines obtemperare debere certum est. Verum de ecclesiasticis legibus non ita res expedita videtur. Interiores quidem actus ab iisdem praecipi *indirecte*, ut ajunt, posse, inter omnes convenit. Sic divinum officium *attente*, ac *devote* recitare jubet Ecclesia (2), et cum preces ad Deum mittimus, scitum est, ut *hoc versetur in corde*, *quod profertur in ore* (3). De interioribus quidem actibus *directe* ab Ecclesia praecipiendis non eadem consensio est, sed plerique ad eos etiam Ecclesiae potestatem pertinere arbitrantur. Nam eadem hos actus etiam ab omni externo opere sejunctos dirigit, ut recte fiant, poenasque constituit, cum eos iniquos, pravosque deprehendit; ex quo patet, omnem in eosdem actus jurisdictionem Ecclesiam exercere (4).

(1) Cap. 2. et 13. *de Constit.*

(2) Concilium Lateranense IV. *cap. dolentes* 9. *de celebrat. Missar.*, *Clem.* 1. *eod. tit*, ubi sancitum est, ut horae legantur in puritate conscientiae, et animi devotione.

(3) S. Augustinus *in Reg. cap.* 3. *t.* 1. *col.* 1008. *edit. Venet.* 1756. Vide etiam S. Bernardum *serm. de divers.* 25. *t.* 2. *n.* 7. *pag.* 181. *edit. Venet.* 1765.

(4) Sic in *Clementin.* 1. *de stat. Monach.* excommunicantur Monachi, qui se animo accusandi Praelatum ad Curiam conferunt; eademque poena *Clem.* 2. §. *verum eod. tit.* constituitur in fidei Quaesitores, qui prava voluntate, vel odio contra justitiam, et conscientiam sese ignaviter gerunt. Etiam in *can.* 8. *dist.* 30. anathema dicitur in eos, qui jejunia Ecclesiae contemnunt superba Eustathianorum superstitione; putantes scilicet, sese in sua conscientia esse perfectos. Similiter Martinus V. in Concilio Constantiensi *sess. ult. tom.* 16. *concil. Labbaei col.* 763. singulis dominicis, festisque diebus nuntiari jubet tamquam excommunicatos non solum qui Wicleffi, et Hussii haereses palam professi fuerint, verum etiam, qui pro defunctis haeresiarchis preces fuderint, aut illos sanctos, aut non recte damnatos crediderint; idque etiamsi ipsorum dumtaxat confessione interna haeresis innotescat. Consule Bertium *de theolog. disciplin. lib.* 20. *cap.* 15. *tom.* 2. *pag.* 128. *seqq. edit. Romae* 1740. Secus tamen sentit inter ceteros Amortius *Theolog. eccletic. tract. de legib.* §. 4. *num.* 6. *tom.* 4. *pag.* 11. *edit. Bonon.* 1753.

§. IV. Cumque hominum actiones, in quibus legis materiam positam esse diximus, vel praecipi, vel vetari vel permitti, vel puniri possint, hinc in praecipiendo, vetando, permittendo, puniendo versatur legis, et legislatoris officium. Non tamen singulae haec omnia simul praestant, sed aliae aliud; punitio autem cunctis aliquo modo communis est. Nam poena plectuntur et qui non faciunt, quae lex facienda praescribit, et qui ea faciunt, quae sunt vetita; iis vero, quae permittuntur, licet nulla adjecta sit poena, tamen lege cautum est, ne quis quidquam agat adversus eos, qui permissione uti volunt.

§. V. Atque haec quidem omnia Juri universo sive divino tum naturali, tum revelato, sive humano communia sunt. Sed in iis, quae permittuntur, non eadem divini, atque humani Juris ratio est. Jus divinum, quae mala sunt, nullo modo permittit, imo cuncta singillatim vetat. Jus humanum ecclesiasticum in eo convenit cum Jure divino, ut numquam malum aliquod impune fieri posse statuat; verum non omnia punit, prohibetque peccata, sed in eorum quaedam, de quibus nihil sancitum ab se est, animadversio integra relinquitur judicio Praesulum ecclesiasticorum. Jus autem civile, quamquam nulla probet mala, tamen quaedam leviora permittit, ut graviora removeantur, vel ut quaedam bona serventur, quoniam aliter fieri nequit, ut alterutrum obtineatur (1). Neque enim per leges effici potest, ut in magna hominum multitudine, cui leges dantur, nonnisi perfecta sint omnia, ac satis est ea praescribere, quae plerique homines ferre possunt, atque arcere, quae societati plus afferunt detrimenti (2). Indifferentia, quae talia sunt, cum retinent naturam suam, ab omni jure tum divino, tum humano permittuntur, cum de iis nihil lege constitutum sit; sed eadem divinae legis praescriptione ad Deum referenda sunt (3).

(1) S. Thomas 1. 2. *quaest.* 39. *art.* 3. *ad.* 3. *opp. tom.* 21. *pag.* 480. » Lex humana, *inquit*, dicitur aliqua permittere, non quasi appro» bans, sed quasi ea dirigere non potens. Multa autem diriguntur divina, » quae dirigi non possunt lege humana; plura enim subduntur causae superiori, quam inferiori »

(2) Idem 1. 2. *quaest.* 96. *art.* 2. *tom. cit. pag.* 495. » Lex poni» tur, *inquit*, ut quaedam regula, vel mensura humanorum actuum. Men-

» sura autem debet esse homogonea mensurato . . . . Lex autem humana ponitur multitudini hominum non perfectorum virtute. Et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora, a quibus possibile est, majorem partem multitudinis abstinere, et praecipue quae sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset »

(3) S. Paulus I. *ad Corint. cap. X. vers.* 31. » Sive ergo manducatis, *inquit*; sive bibitis, sive aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite » De cujus praecepti, quo perperam Bajunistae, Jansenìani, Quesnelliani abutuntur, natura, ac vi legendus est S. Thomas 1. 2. *quaest.* 88. *art.* 1. *ad* 2. *et quaest.* 100. *art.* 10. *ad* 2. *opp. tom.* 21. *pag.* 454. et alibi passim.

§. VI. Omnes leges, quae ad totius reipublicae utilitatem, incolumitatemque pertinent, sanctionem habere solent; quo nomine intelligimus eam legis partem, qua vel praemia proponuntur, vel contra legis mandato repugnantes poenae indicuntur. Privatorum negocia in judiciis expediuntur per leges, quibus constituitur jus unicuique reddendum, ac secundum illas alteruter litigantium superior ex judicio discedit, neque ullus est vel praemio, vel poenae locus. Sed in rebus publicis poenis coercentur homines, ne societati noceant, ac praemiis ad bene de ea merendum excitantur (1). Proprie Legislatoris est praescriptio poenae, quoniam ea in re opus est auctoritate, quae tantum inest in eo, qui summo potitur imperio, neque illam sibi adscribere sine ejus offensione quisquam potest. Verum ob aliquod recte factum et a privatis hominibus praemia constitui possunt, neque quis sua hac munificentia Principi injuriam, sed potius rem gratam facit. Accedit quod Princeps nullis praemiorum incitamentis opus habet, ut omnes parere debeant legibus, quae ab se latae sunt. Sola potestas, quam ipse habet in subditos, satis est, ut omnes velint nolint obediant, eaque fretus potestate poenis afficit eos omnes, qui suis legibus refragantur. Itaque proprie in hac poenae praescriptione legis sanctio consistit (2).

(1) S. Thomas 1. 2. *quaest.* 107. *art.* 1. *ad* 2. *tom.* 21. *pag.* 195. » Ad facienda autem, *inquit*, virtutum opera aliter incitantur imperfecti, qui nondum habent habitum virtutis, et aliter illi, qui sunt per habitum virtutis perfecti. Illi enim, qui nondum habent habitum virtutis, inclinantur ad faciendum virtutis opera ex aliqua causa extrinseca, puta ex comminatione poenarum, vel ex promissione aliquarum extrinsecarum remunerationum, puta honoris, vel divitiarum, vel alicujus hujusmodi, et ideo Lex Vetus, quae dabatur imperfectis, idest

» nondum consequutis gratiam spiritualem, dicebatur lex timoris, in quantum inducebat ad observationem praeceptorum per comminationem quarumdam poenarum, et dicitur habere temporalia quaedam promissa. Illi autem, qui habent habitum virtutis, inclinantur ad virtutis opera agenda propter amorem virtutis, non propter aliquam poenam, aut remunerationem extrinsecam; et ideo Lex Nova, cujus principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris, et dicitur habere promissa spiritualia, et aeterna, quae sunt objecta virtutis, praecipue caritatis »

(2) Cumberlandus *de Legib. natural. in Prolegom.* §. 14. *et cap.* 5. §. 40. *et seq.* contendit, sanctionem legis praemiorum promissione potissimum niti debere. Sed quis hanc sanctionem positam dicat in re minime necessaria, cum legislator non praemii pollicitatione subditos alliciat, sed auctoritate, qua pollet, eos ad parendum cogat, in re item, quae non est unius legislatoris propria, quaeque ejus vires superat, ejusque voluntati adversatur? Nam si ipse cunctis legibus praemii pollicitationem adjungeret, quomodo in ingenti illa multitudine hominum, qui legi obtemperant, suam liberare fidem posset? Et si tanto huic oneri sustinendo par non est legislator, quis credat, eum voluisse illud suscipere, quod praestare nequit?

§. VII. Lex omnis, quae justa est, uti diximus, parendi necessitatem imponit iis, qui legislatoris imperio subjecti sunt; quia et eorum conscientiam obstringit, ita ut qui in legem peccat, gravioris, leviorisve sceleris, uti gravior, leviorve res est a lege constituta, reus efficiatur (1). Verum ut ipsi praestare illud possint, compertam habere debent legislatoris voluntatem, hoc est legem, a qua regendi sunt. Quamdiu voluntas legislatoris in animo inclusa geritur, neque eam noscere, neque ei parere quisquam potest; et ideo signo aliquo exteriori, quod publicum, cunctisque manifestum sit, suam legislator voluntatem patefaciat necesse est. Exinde subditi intelligunt, quid ab se observandum, quid contra fugiendum sit. Exterius hoc signum palam propositum, ut omnes noscant vim, et naturam legis, cui morem gerere oportet, est promulgatio, quae eadem indicitur publica auctoritate, qua lex emittitur. Sine hac promulgatione nulla lex est, quae suas in republica vires obtineat (2); ea vero non singulis est indicenda, sed satis est, quod in publico sit proposita, ut omnes eamdem observare cogantur.

(1) Vide-sis Thomam M. Cerbonium *de jur. et leg. disciplin. lib.* 16. *cap.* 3. *et* 4. *tom.* 2. *pag.* 190. *seqq. edit. Romae* 1776.

(2) Confer quae scripsi *tom.* 1. *cap.* 12. §. 5. *et not.* 1. *pag.* 238. *et seq.*

§. VIII. Pendet autem ex legislatoris arbitrio, et voluntate constituere, num in sola urbe principe, an potius

in singulis provinciis legis promulgatio facienda sit. Modo enim legislatoris voluntas exteriori signo patefacta sit, hoc est promulgata, eaque omnibus innotescere facile possit, id quidem satis superque est, ut omnes legis imperio obstringantur. Atqui promulgata lex in urbe principe facile omnibus, qui in aliis quoque provinciis, imo et regnis commorantur, comperta fieri potest; nec si quis eam ignorat culpa, et socordia sua, id ei prodesse debet, ut legis mandata impune despiciat. Certe si in singulis provinciis fieret promulgatio, facilius lata lex omnibus innotesceret; verum in eadem promulgatione nulla ejus rei habenda ratio est. Nam si haberetur, jam non tantum in singulis provinciis, sed in singulis quoque civitatibus, vicis, atque oppidis promulganda lex esset; quin et nuncianda unicuique familiae, coetui, collegio, cunctis, qui in civitatibus, in oppidis, atque etiam ruri commorantur. Quis autem minutam hanc, et morosam sedulitatem, per quam sine dubio leges multo facilius omnibus notae fiunt, necessariam judicet, ut legis promulgatio rite, et recte absolvatur? Itaque modo sit facilis legum cognoscendarum modus, nihil interest, quod paulo facilior alius haberi possint; ac legislatoris, a quo res tota pendet, voluntati parendum est, cum ea facili plus, minusve ad eam noscendam modo patefacta est.

§. IX. Hinc Ecclesia, cum suas promulgavit leges, modo unam, modo alteram adhibuit methodum, neque ullam habuit rationem civilium legum, quibus promulgatio in provinciis singulis praecipitur (1). Nec si quis umquam non justa auctoritate praeditus obstitit promulgationi, id impedimento fuit, quominus Ecclesiae leges ubique obtinerent (2). Quod sane consentaneum est regulis, quae sunt de finibus, modoque jurisdictionis constitutae. Nimirum cum superior, qui ejusdem generis habet potestatem vel majorum, vel saltem aequalem illi, a quo lex profecta est, ejus promulgationi alicubi intercedit, haud sane illi, qui eo in loco commorantur, eadem lege obstringuntur. Sed si intercessio ab illo procedat, qui in eo genere vel nullam, vel minorem habet auctoritatem, eadem nullius momenti est, et qui legislatoris auctoritati subjiciuntur, ejus leges ratas firmas habere debent.

(1) Nihil igitur est cur Van-Espenius *in tractat. de promulg. leg. eccles. par. 1. cap. 2. §. 1. tom. 6. pag. 3. edit. Lovan.* 1732. Ecclesiae opponat civilium legum auctoritatem; nam quae de Ecclesiae dominatu dicit, alio loco refutabimus. Neque item est, cur §. 2. plura exempla commemo-

ret, ex quibus efficit, aliquando Ecclesiam suas leges in provinciis promulgari voluisse: nam quod ipsa modo unam, modo alteram ea in re methodum adhibere voluit, id evidenter ostendit, rem omnem ab ejus voluntate, et arbitrio semper pendere consuevisse. Ejusdem momenti est quod inquit §. 3., scilicet durum quid, atque asperum continere eam legis promulgationem, quae tantum fit in urbe principe, quoniam hoc modo etiam ii, qui legem ignorant, ejus mandato subjiciuntur. Quasi vero etiam ii, qui sine culpa legem ignorant, eamdem observare debeant, et hunc etiam legislator, qui tantum in urbe principe legem evulgavit, obstrictum velit, aut velle possit.

(2) Consule quae dicta sunt *tom.* II *cap.* 12. §. 6. *et seqq. pag.* 239. *et seqq.*

§. X. Ex quibus etiam intelligimus, facile expediri quaestionem, de qua aliqui Theologi, Jurisque Canonici Periti disputant, num scilicet Fideles ubivis tandem locorum commorentur, parere debeant legibus, quae Romae a Summo Pontifice emittuntur, ut ab omnibus observentur. Neque enim ambigi potest, quin Christiani omnes, ubicunque degant, et cujusvis Principis imperio subjiciantur, obnoxii sint ei, quem Christus toti Ecclesiae praefecit, et cujus auctoritas sese effundit in orbem universum. Consequens ergo est, ut quidquid ipse pro suprema potestate sua decernit, Fideles omnes afficiat, atque ab omnibus observandum sit, qui illud cognitum, ac perspectum habent (1).

(1) Recte Mauclerus Doctor Sorbonicus *lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. operis *de Monarchia etc.*, quod Summo Pontifici Gregorio XV., et Ludovico XIII. Galliarum Regi dicavit, quodque probarunt Theologi Sorbonici sex » Tam igitur late patet, *inquit*, legum, Pontificiorumque canonum auctoritas per universum orbem, ut ab illius obedientia, observationeque Fidelis adultus, quocumque in loco terrarum consistat, quantacumque dignitate, sublimitateque, sive Imperiali, Regia, Principali, Ecclesiasticaque polleat, nullus immunis, et liber esse possit; alias ab ovili Domini, gregeque extorris crederetur. Est enim Pontificis potestas non angustis terrae finibus, sicut Regum, Principumque saecularium, conclusa, sed sine termino, per omnia mundi climata pervagata, dilatata, diffusa super omne Christi Domini corpus mysticum, quod est Ecclesia, generalissima ab omnibus de grege Fideli recognoscitur. Et quo latissime Pontificia potestas extensa provehitur, eo etiam leges ejus potestatis deductae penetrant: ut non possit esse, aut dici Romanus Pontifex Princeps, et Pastor universalis ovilis Christiani, quin simili jure omnes ubique terrarum sparsae hujus ovilis animae Fideles, legum Pontificis observandarum vinculo teneantur »

§. XI. Cessant interdum leges, quod fit vel pro omnibus universe, cum lex vel recentiori lege, vel contraria consuetudine abrogatur; vel speciatim pro ceteris hominibus, quos

legislator, cum ita rerum ratio postulat, lege solvendos judicat. Atque huc spectant *dispensationes*, ut vocant, per quas laxantur leges, itaut qui eo beneficio donatus est, neque facere cogatur, quod lex faciendum praecipit, neque quod eadem vetat, facere prohibeatur. Quae *dispensationes*, per quas legi derogatur, ab eo tantum concedi possunt, cui potestas est in eamdem legem (1); concedendae sunt ex justis causis, cum legum disciplina, quantum fieri potest, integra servanda sit (2); atque intra constitutos fines coercendae sunt diligenter. Quare pro certo negocio, certoque tempore concessa dispensatio ad aliud negocium, ac tempus produci nequit. Hinc si illegitimo, laxata lege, facta sit copia ordinum suscipiendorum, non ei similiter facta videtur copia obtinendi beneficia, aut majores ordines, cum minores concessi sunt; nec cui permissum est beneficium unum plura adipisci licet (3); nec qui a Principe veniam obtinuit, ut in rebus civilibus tamquam legitimus habeatur, aptus efficitur ad ecclesiastica beneficia, aut ad ordines suscipiendos (4).

(1) Consule *glos. cap.* 5. *caus.* 1. *quaest.* 7. Rupertus Coraltius, qui omnes Febronii, Eybelii, similium errores complexus est in opere, cui titulus *Principj genuini di tutta la giurisprudenza sacra cap.* 24. *n.* 5. *tom* 2. *pag.* 136. *edit. Prati* 1787., eamdem, quae inest in Summo Pontifice, dispensandi facultatem Episcopos omnes habere contendit. Verum si singuli Episcopi sine dubio inferiores sunt Summo Pontifici, et Concilio oecumenico, quo jure aliquem solvere poterunt legibus, quae ab alterutro latae sunt? Inferiorem nullam in superiorem, ejusque decreta potestatem habere posse, notissima est regula tum canonici, tum civilis juris. Ac recte S. Thomas 1. 2. *quaest.* 97. *art.* 4. *ad tertium opp. tom.* 21. *pag.* 503. animadvertit, quod » in lege humana publica non potest dispensare, nisi il» le, a quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit » Atqui lex Ecclesiae universalis non habet auctoritatem ab ullo particulari Episcopo, sed vel ab ipsa Ecclesia, vel a Summo ejus Rectore, quem unum Romanum Pontificem esse certum est. Ergo evidenter constat, Episcopos universali Ecclesiae lege inferiores, eidemque subiectos in ea dispensare non posse. Revera, ut inquit Pius VI. P. *in Brevi Apostol. ad Archiep. Colonien.* 20. *Januarii* 1787. » si jus esset Episcopis relaxare legem ab Ecclesiae pote» state constitutam, et ubique in catholicis ditionibus receptam, tota ever» teretur Ecclesiae disciplina, caput subjiceretur membris, ac proinde actum » esset de ecclesiastica hierarchia divinitus instituta, ut generaliter decla» ravit S. Nicolaus P. I. *in epistola ad Michael. Imper.* relata in *can.* » *inferior. dist.* 21.; Fidei dogma est, Episcoporum auctoritatem, et juris» dictionem subjectam esse Summi Pontificis auctoritati, ut subesse debe» ant Sedis Apostolicae statutis: ut patet ex jurisdictionis Primatu singula» ri Christi munere Petro, ejusque successoribus divinitus collato » Neque quod Episcopi amplam habent in sua dioecesi jurisdictionem, id argumento esse potest, quod habeant auctoritatem laxandi leges, quae sunt a

Superiore constitutae. Semper enim haec potestas obnoxia est Ecclesiae capiti Summo Pontifici, totique Ecclesiae; et ideo semper redit, quod antea dicebamus, eos alterutrius leges laxare non posse, quoniam his eorum potestas inferior est. Graviter hoc ipsum argumentum refellit doctissimus inter Gallos Theologus Tournelyus *praelect. theolog. tom.* 6. *de legib. cap.* 6. *art.* 2. » Nec nocet, *inquit*, quod Episcopus vi officii in sua dioecesi » posse dicitur, quidquid potest Papa in tota Ecclesia. Nam axioma illud » nec in jure canonico habetur, nec nititur firma ratione, imo veritati re- » pugnat, si generaliter accipiatur, ut verba sonant; alioquin enim posset » Episcopus ponere impedimenta matrimonium dirimentia, confirmandi po- » testatem simplici Presbytero committere: quae omnia falsa sunt, et inau- » dita. Citatum igitur axioma hoc solum sensu verum est, quod Episcopus » ea in dioecesi sua possit, quae ad ordinariam ejus gubernationem neces- » saria sunt, cum debita tamen canonicis legibus subordinatione » Argumentum persequuntur Ballerinius *de potest. eccl. Pontif. et Conc. c.* 3. §. 2. *et* 3. *p.* 42. *seqq. et c.* 4. *p.* 184. *ed. Aug.* 1770., et Auctor *Quis est Petrus? par.* 3. *corol.* 3. *p.* 211. *seqq. ed Ratisb.* 1791. Ceterum de hoc Curaltii opere, quo collecti sunt errores Febronii, Eybelii, Synodi Pistoriensis Scipionis de Riccis proscripti a Pio VI., similium alibi in decursu hujus operis occurret mentio. Quae dicuntur contra Primatum Summi Pontificis, et ejus potestatem, ac jura, a nobis refutata sunt priore tomo, cum de Summo Pontifice ageretur: ideoque in iis longiori sermone immorari supervacaneum ducimus, cum in hoc opus eadem quadrent, quae contra Febronium, ceteros dicta sunt. Tantum attingemus ea, quorum incidet sermo, quaeque rerum tractandarum ratio explanari postulabit.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.* » Sicut, » publice expedit, *inquit*, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius » evenientibus casibus, et necessitatibus pro communi utilitate satisfiat; sic » frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, » rerumque delectu petentibus indulgere nihil aliud est, quam unicuique » ad leges transgrediendas aditum aperire Quapropter sciant universi, sa- » cratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri potest, indi- » stincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio, et major quandoque » utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cogni- » ta, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispen- » satio pertinebit, erit praestandum, aliterque facta dispensatio subreptitia » censeatur ».

(3) Cap. 1. et 2. *de fil. Presbyter.*

(4) Confer Schmalsgrueber. *Jus. eccles. univers. par.* 9. *tit.* 17. *num.* 109. *pag.* 265. *edit. Venet.* 1738.

§. XII. Constitutionibus generalibus opponuntur speciales, quae et privilegia, quasi *privae leges* appellantur (1). Nam privilegium nihil aliud est, quam jus peculiare, quod summa potestas constituit, vel ut alicujus merita remunerentur, vel ut extra ordinem aliquid decernatur, quod praesens rerum ratio postulat, ita tamen ut ad exemplum traduci non debeat. Dantur privilegia vel personae, vel rei; illa personalia sunt, et cum persona extinguuntur; haec vero transeunt ad successores. Rursus vel perpetuo conceduntur, vel intra certi temporis intervallum coercentur. Qui leges condendi idem etiam pri-

vilegia impartiendi habet potestatem, atque ejus est definire, quem beneficii sui modum esse velit; et qui illo donatus est, modo privilegium ostendat, eodem frui sine molestia debet. Qua in re privilegia sunt leges; quia scilicet omnibus dicta lex est, ut liberam eorum fruitionem non impediat, donec ea sarta tecta sunt. Nam amittuntur renunciatione, revocatione, morte concedentis, cum ejus voluntate, et arbitrio servata sunt, abusu, praescriptione. Eadem quoque cessant elapso tempore, quo tributa fuerant, aut sublata causa, qua nitebantur.

(1) Confer quae scripsi *prolegomen. cap.* 15. §. 5. *tom.* 1. *pag.* 306. *not.* 5., ubi etiam exposui discrimen, quod inter privilegia, ac beneficia legis intercedit.

§. XIII. Quaedam autem de omnibus generatim legibus constituae sunt regulae, quarum prima est, quod omnis lex non praeterita, sed futura respiciat, nisi secus cautum sit nominatim (1); altera quod cum radix, seu causa mali cujusdam prohibetur, ea quoque prohibita censetur, quae ex eadem causa efficiuntur (2); tertia quod indicta in contumaces poena, non perpetua, sed temporalis habenda est (3); quarta quod per novam legem derogatur antiquiori, quae ei repugnat quamquam id minime expressum sit (4). Sed speciales consuetudines, et peculiaria statuta locorum per novam legem non tolluntur, nisi sublata nominatim fuerint, quoniam ea legislatori haud comperta videntur, uti antiquiores generales leges compertae esse debent. Similiter Episcoporum statuta, in quibus censura, aut alia poena plectuntur, qui iisdem non obediunt, minime obstringunt qui eadem ignorant, nisi crassa, et culpae non expers horum ignorantia sit (5); praeterea si Episcopus in reos cujuspiam criminis statuat excommunicationis sententiam, ea non afficiuntur, qui extra dioecesim crimen admiserunt (6).

(1) Cit. cap. 2. et 13. *de constit.*
(2) Cap. 4. *eod.*
(3) Cap. 11. *eod.*
(4) Cap. 1. *eod. in* 6.
(5) Ibidem *cap.* 2.
(6) Cap. 2. mox laudatum.

DE RESCRIPTIS

TITULUS III.

De hac materia agitur *in* 6. *lib.* 1. *tit.* 3. in Clement, *Lib*, 1. *tit.* 2. in Decreto *dist.* 97. *et c.* 25. *quaest*, 1. *et* 2. *per tot.* Concil. Tridentin. *sess.* 22. *cap.* 5. 6. *et sess.* 25. *cap.* 10. *de reform.*, In Pandectis *L.* 1. §. 1. *ff. de constit. Princ.*, In Codice *lib*, 1. *tit*, 19, *usque ad* 23.

§. I.

Rescripta speciales constitutiones sunt, quae legem faciunt pro iis saltem negociis, ac personis, pro quibus edita fuerunt. Sed saepe etiam emittuntur, ut certam in re simili regulam, normamque praebeant, sintque loco universalis legis, qua omnes teneantur. Nam quodvis responsum scripto datum rescriptum est; ejusque omnis vis, ratio, modus pendet ex voluntate Principis cujus est decernere, num ea, quae ipse scripto mandavit, jus constituant commune omnibus, an potius tantum illud certum negocium, atque personam afficiant, Sunt autem rescripta alia *gratiae*, alia *justitiae*; illa ex mera Summi Pontificis liberalitate, ac beneficio, haec ex juris ordine procedunt; illis beneficium, privilegium, exemptio postulanti conceditur, his autem aliquo rogante jus dubium explicatur, vel alicui datur judex, qui causam noscat, aut alio modo justitia administrari jubetur.

§. II. Rescriptum jus facit; et ideo nonnisi ab eo, qui

summam obtinet auctoritatem, emitti potest, qualem in rebus spiritualibus, et ad totius Ecclesiae disciplinam pertinentibus Romanum Pontificem esse constat. Omnes illud recte postulant, atque impetrant; exceptis illis, qui mandatio carent, haereticis, majori excommunicatione irretitis, nisi illud postulent, ut ea poena liberentur (1). Neque interest Jure Civili, num pro semetipso, an pro alio quis rescriptum impetraverit; sed, quae gratiae sunt, hujus ratihabitionem quae justitiae, mandatum exigunt (2). Contra omnes, qui subjecti sunt potestati ejus, qui rescriptum concedit, impetrari hoc quidem potest; sed in eo designatis personis minoribus, atque vilioribus, ac levioribus, minoribusque negociis, neque spectabiliores, majoresque personae, neque graviora, ac majora negocia sub generali clausula comprehensa intelliguntur (3).

(1) Cap. 26 et 33. *de rescript.*, *Cap.* 1. *eod. in* 6.
(2) *L.* 6. *Cod. de precib. Imper. offeren. L.* 26. *Cod. de procurat.*
(3) *Cap.* 15. *de rescript.* Quare si in rescripto expressa sit clausula: *et quidam alii*, item: *res aliae*, in ea sane neque digniores personae, neque negocia expressis graviora comprehenduntur.

§. III. Ut rescripta vim habeant, veritate nitantur necesse est; eaque conditio, etiamsi expressa non sit, in omnibus rescriptis inesse censetur. Itaque in eo, qui datur, libello, ut rescriptum impetretur, omnia, quae narrantur, vera sint oportet, cunctaque in eo scitu necessaria ingenue patefacienda sunt. Si quid omissum est, quod si fuisset enarratum, obtinendo rescripto impedimentum opposuisset, hoc *subreptitium* dicitur; si quid falsi narratum est, quo fretus Pontifex forte rescriptum dedit, *obreptitium* appellatur. Quare inferiores Magistratus primum inquirant necesse est in rescripti veritatem, quam cum abesse sentiunt, illud minime exequuntur; ut interim e medio tolli possit auctoritate ejus, a quo datum est (1). Quod etiam faciendum est in rescriptis, quae lite pendente impetrantur ante definitivam sententiam, vel etiam post, interposita tamen appellatione, per quam judicatum suspendi constat, ut quid celeriter emendetur, puta ut possessio retineatur (2). Sed non omnis falsi narratio, aut omissio

veri rescriptum vitiat. Nam quae leviora sunt, neque rescripti fundamentum efficiunt, plane despiciuntur, et cum dubia res est, semper illud ratum firmum judicatur (3).

(1) Confer Cap. 2. 5. 8. 10. 17. 20. 24. 26. 27. *de rescript.*, Cap. 6. *de praeben.*, Cap. 2. *de offic. Judic. delegat.*, *L.* 5. *Cod. Si contr. jus vel utilit. public.* Atque adeo verum est, cum, cui commissa fuit executio, in precum veritatem inquirere oportere, ut preces ipsae, ac relatio inseri rescripto debeant Cap. 5. *de cohabit. cleric.* Ipsi sane Pontifices sese rescripta revocare profitentur, cum ea falsa rerum narratione ediderunt Cap. ult. *de rescript. in* 6., et laudant illos, ad quos rescripta mittunt, cum sibi fraudem ostendunt Cap. 2. 5. 8. 10. *h. tit.* Cap. 6. *de praeben. et dignit.*

(2) Huc equidem referendas arbitror tum canonici in *Cap. Ex parte* 2. *de rescript.*, tum civilis juris sanctiones in *L. Etsi non cognitio* 4. *Cod. si contr. jus vel utilit. public.*, qua ex lege vulgus interpretum male colligit, quod ille, cui nuda, et simplex rei judicatae executio commissa est, opposita, et probata falsi exceptione, rursus possit de omni negocio cognoscere, contra perspicuam Juris definitionem in *L.* 6. *et L. penult. Cod. de execut. reijudic.*, quod tamen usus invexerat ob pravam interpretationem *cit. L. etsi non cognitio*, uti patet ex *Cap. de cetero* 5. *de sentent. et re judic.*; ubi immerito Cujacius *in lib.* 2. *decretal. opp. tom.* 6. *col.* 904. *edit. Venet.* 1758. reprehendit Alexandrum III., quasi *d. Cap. de cetero* pugnet cum *d. L. etsi cognitio.* Nam ea lex pertinet ad ea, quae supra memoravi, rescripta lite pendente edita, non ad rescripta, quibus mandatur executio rei judicatae. Quorum rescriptorum praeclarum exemplum habet Symmachus *ep.* 53. *lib.* 10. *pag.* 429. *edit. Neapol. Nemet.* 1617., ubi Constantinus Suarius mota lite de quibusdam bonis contra absentem Theodosium judicis sententia missus est in possessionem bonorum, de quibus quaerebatur. Quod ut Theodosius comperit, statim appellavit, et post interpositam appellationem a Theodosio Imperatore rescriptum obtinuit, quo Symmachus Praefectus Urbis jussus est statim emendare damnum, quod Theodosius absens judicis sententia acceperat. Symmachus autem, cui et cognitio praecipuae causae appellationis jam a Theodosio interpositae delegata fuerat accepto rescripto, totius negocii cognitionem suspendere coepi, ut illud exequeretur, prius admissa precum quaestione, quae in omni rescripto praejudicialis est, ut inquit ipse Symmachus *eod. lib.* 10. *ep.* 58. *pag.* 436. Ad hujusmodi rescripta, quibus executio, non cognitio mandatur, referenda est *L. et si non cognitio*, in qua propter commissam meram executionem, dubitatum fuit, num in precum veritatem inquirere oporteret. Ex quibus evidens est, eamdem plane esse civilis, et canonici Juris disciplinam.

(3) Cap. 3. *de rescript.*

§. IV. Quare nullum inest hujusmodi vitium in rescripto, quo aliquis beneficium obtinuit, licet in eo nulla sit mentio alterius beneficii, quod eidem sese inscio ab alio collatum est (1); in quo item nulla occurrit mentio prioris rescripti,

quod impetravit quidem adversarius, sed quo ipse intra annum usus non est suo dolo, ac negligentia (2), aut in quo nullum est verbum appellationis, quam adversarius interposuit, sed quam tamen deseruit, aut persequi neglexit (3); quod denique ad Abbatem monasterii sine Conventus mentione datum est (4). Contra subreptitia, atque obreptitia, ac nullius momenti habentur rescripta, in quibus occurrit solaecismus, qui librario adscribi non potest (5); quae suspecto, hoc est praecipuo loco abrasa, ac vitiata apparent (6); quae non memorant antiquius contrarium rescriptum, quod ab adversario impetratum est (7); aut rescriptum similiter antiquius, cum duo eadem de re obtenta rescripta sunt (8), aut reliqua beneficia, quibus aliquis tranquille potiebatur, antequam novum per rescriptum consequeretur (9), aut modum, quo beneficium vacuum factum est (10), aut dioecesim, ad quam pertinet, qui rescriptum obtinuit (11). Idem sit judicium de reliquis vitiis, quae in rescriptis inesse possunt, puta in salutatione ejus, ad quem ea missa sunt, in sigillo, carta, stylo, die, mense, anno, quo ea sunt data; nam similiter haec rescripta suspecta sunt, neque ulla eorum ratio habenda est (12).

(1) Cap. 7. *de rescript. in* 6.
(2) Cap. 9. *et* 23. *de rescript.*
(3) Cap. 12. *eod.*
(4) Cap. 21. *eod.*
(5) Cap. 11. *eod.*
(6) Cap. 5. *eod. in* 6.
(7) Cap. 9. *de rescript.*
(8) Cap. 16. *eod.*
(9) Cap. 8. 42. *eod.*
(10) Cap. 6. *eod. in* 6.
(11) Cap. 28. *de rescript.*
(12) Cap. 11. *et* 13. *eod. Cap.* 11. *de fid. instrum.* Consule Cironium *Paratitl. de rescript.* §. 15. *et seqq. tom.* 1. *pag.* 19. *seqq. edit. Vindobon.* 1761. Heinneccium *de sigillis par.* 1. *cap.* 6. §. 6. *et cap.* 12. §. 8. Mabillonium *de re diplom. lib.* 2. *cap.* 19. *pag.* 150. *edit. Paris* 1709.

§. V. Possunt et alia esse rescripti vitia, quae omnia ex eodem fonte procedunt, quando scilicet fraude aliqua illud impetratum apparet. Sed et duo, quae quis ad diversos judices data obtinuit rescripta non valent, nisi alterum mentionem habeat prioris, atque illud e medio tollat. Quod si

dubium, incertumque sit, alterum ne abrogatum fuerit, an secus, simul illi judicabunt, quibus nisi convenerit, ad arbitros ire oportebit (1). Quinimo neque potest actor in negociis personalibus pluribus diversos obtinere judices, ne reus temere per plura judicia distrahatur; quae juris disciplina ad reum quoque pertinet, qui ex pluribus causis reconventionem habet (2).

(1) Cap 3. 14. 16. *h. tit.*
(2) Cap. 10. et ult. *eod.* et *Cap.* 3. *eod. in* 6.

§. VI. Causae a Sede Apostolica, ejusve Legatis committi non soleut, nisi viris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Canonicis Ecclesiae Cathedralis, expediendaeque sunt in civitatibus, aut locis insignibus, ubi commodo haberi possit copia peritorum (1). Quando actor, et reus sunt ejusdem civitatis, vel dioecesis, extra eam judex non eligitur, nisi adsit litigantium consensus, vel causa sit inter dioecesanum, et Episcopum, vel Capitulum Ecclesiae Cathedralis, vel universitatem civitatis, aut nisi in dioecesi vel actor tuto agere, vel reus tuto respondere non possit. Quae res coram judice delegato extraneo comprobanda est, debetque exprimi in literis commissionis; neque ipse judex ultra diaetam, hoc est viginti milliaria, a dioecesi abesse debet, eique non licet litigantes trahere extra suam civitatem, aut dioecesim, nisi expressus eorum consensus accedat (2). Quod si diversae sint litigantium dioeceses, bene, et sapienter constitutum est, ut Judex in dioecesi rei ab actore impetretur, nisi actori graviter sint suspecti judices diocesani; quia tunc extra eamdem dioecesim judex dabitur, sed reus ultra unam diaetam minime trahendus est (3).

(1) Cap. 11. *de. rescript. in* 6., Clem. 2. *eod.*
(2) Cap. 2. et cap 11. *cit. eod. in* 6.
(3) Cit. Cap. 11. §. *cum vero et* §. *cum autem.*

§. VII. Exspirant, ac vim omnem amittunt rescripta modis pluribus. Scilicet generale a posteriori speciali revocatur, quamquam nulla illius mentio facta sit (1), ac si rescripti lege conveniendus re adhuc integra moriatur, ita ut in jus

vocatus non fuerit, successor conveniri non potest. Rescripta *justitiae* concedentis morte abrogantur, si res adhuc sit integra, neque ante ejus obitum aut lis contestata, aut saltem, ut multi sentiunt, emissa citatio fuerit (3). Verum rescripta *gratiae*, etiam post obitum concedentis, quamquam res integra sit, rata firma sunt (4). Rursus vita functo eo, qui *gratiae* rescriptum obtinuit, hoc quidem exspirat, quod secus est de rescriptis *justitiae*, quae et proderunt heredi, ubi ipse eamdem controversiam aut illaturus, aut passurus sit (5). Nam rescripta gratiae potissimum in personam, rescripta justitiae in causam praecipue concipiuntur. Denique rescripta gratiae concessa cum clausula *usque ad nostrum beneplacitum* concedentis morte extinguuntur, non item rescripta, quibus adjecta est clausula *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae*, quia Sedes ipsa non moritur (6).

(1) Cap. 14. *de rescript.*
(2) Cap. 36. *eod.*
(3) Cum litis contestatio facta est, dubitandi locus esse non potest, quin res integra esse desierit, adeout justitiae rescriptum omnino ad exitum perducendum sit. Sed non ita explorata res est, cum ante obitum rescribentis tantum emissa citatio, non item facta litis contestatio est. Necessariam esse litis contestationem videtur tradere Lucius III. in *Cap.* 19. *de offic. et potest. jud. delegat.*, contra vero satis esse citationem videtur definivisse Urbanus II. *in Cap.* 20. *eod. tit.*, *maxime si delegatus non sit certus de obitu delegantis.* Fortasse nulla certa, ac generalis regula ea in re tradi potest; sed omnis controversiae definitio pendet aut ex specialibus adjunctis causarum, aut ex singularibus rescripti formulis, aliisque hujusmodi, quorum gratia factum est, ut interdum per solam citationem res non amplius integra haberetur. Nunc intelligo, quamobrem alia Lucii, alia Urbani sententia fuerit, quorum decreta inter se minime pugnant, ut quibusdam visum est.
(4) Cap. 16. *de regul. jur. in* 6. *Cap.* 9. *de offic. delegat. in* 6.
(5) Non obstat *Cap.* 6. *de rescript.* Nam ibi non de herede agitur; sed de successore feudali, qui mutui actione, non sicut successor hereditarius conveniri poterat; praesertim cum ibidem rescriptum non certam designatam personam respiceret, sed adjectam haberet clausulam *quidam alii*, quae personalis videbatur, aut saltem ad certas tantum personas contrahi debebat.
(6). Cap. 5. *de rescript. in* 6.

§. VIII. Solent aliquando Romani Pontifices rescriptis justitiae clausulam adjungere *appellatione remota*, ex qua efficitur, ut a sententiis delegatorum appellari non possit (1). Sane quemadmodum in civili republica solius Principis est

interdum adimere beneficium appellationis (2), ita in rebus ecclesiasticis pertinet ad solum Romanum Pontificem causas expediendas ea formula committere, per quam appellandi facultas eripiatur; cum scilicet satis explorata est probitas, atque doctrina judicis delegati, et justae sunt causae, propter quas controversia exitum habere debet celeriorem. Haud tamen hujusce clausulae vis, et potestas eo usque progreditur, ut qui causa cecidit nullam umquam sui juris experiundi spem reliquam habeat, ita ut qui semel judicio victus est, perpetuo victus habeatur. Est quidem utile reipublicae, quod quorumdam temere litigandi libido coerceatur, rataque firma sit sententia lata a judice, quem probitas, et doctrina commendat; sed perniciosum esset causam finire judicio, a quo judicis religio, integritas, sapientia, sedulitas abfuisse videtur. Itaque Summi Pontifices etiam post illam adjectam clausulam appellandi facultatem concedunt, cum sentiunt justam esse causam, propter quam aliquis eo justitiae, aequitatisque praesidio dignus videtur (3); contra vero eamdem denegant, cum sententiae aequitas perspicua est, ac statim apparet, id tantum agi longiori judicio ut adversarius diuturnis litium ambagibus, atque involucris defatigetur (4).

(1) Cap. 12. *de appellat.* Cap. 1. *de rescript.*

(2) L. 1. *ff. a quib. appell. non licet*, *L.* 1. §. 1. *ff. de offic. praefect. praetor.* Svetonius in Caligula » Magistratibus, *inquit*, liberam jurisdi-» ctionem, et sine sui appellatione concessit »

(3) Cap. 15. 27. §. *si vero et Cap.* 28. §. *praeterea de offic. et potest. delegat.*, *Cap.* 46. *et* 47. *de appellat.*

(4) Cap. 21. *de rescript.* Cap. 12. *de offic. jud. ordin.* Revera siculi ex juris definitione appellatio non conceditur, ut qui justa petit multiplici judicio vexetur dolo temere litigantium *Cap.* 3. 19. 22. *de appellat.* ita nec eadem denegatur, ut inique oppressis omnis praecludatur aditus separandi damni, quod injusto judicio acceperant.

DE CONSUETUDINE

TITULUS IV.

I. Consuetudo quid? Alia dicitur praeter jus. II. Alia contra jus.

Agitur de hac materia *in* 6. *lib.* 1. *tit.* 4. in Extravag. commun. *Tit.* 1. in Decreto *can.* 2. 4. 5. *dist.* 1. *et can.* 3. 5. *in fin. dist.* 4. *et dist.* 8. 11. 12. *per tot.* in Tridentino *sess.* 21. *cap.* 2. *sess.* 22. *cap.* 3. *sess.* 23. *cap.* 1. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* In Pandectis *lib.* 1. *tit.* 3. *L.* 32. *seqq.* In Codice *lib.* 8. *tit.* 53.

§. I.

Consuetudo jus est non scriptum, sed inductum hominum moribus; atque usu diuturno (1), semperque observato spatio saltem annorum quadraginta (2). Eadem ratio, quae legem, commendat etiam consuetudinem (3); neque refert, num juris inducendi voluntas verbis expressa, an rebus, et facto ipso patefacta sit. Multa ea de re exempla commemorat Raymundus, quibus cognitis facile est de reliquis judicare. Sic non omnia, quae ad ecclesiasticas pertinent dignitates, canonibus definita sunt; itaque in iis totum efficit consuetudo, quae legis loco est (4). Alicubi adversus Ecclesias nullo scripto jure, sed vetusta consuetudine donationes, ac testamenta fiebant signis, et indiciis quibusdam; per quae Ecclesiae Praelatus vel manu accipiebat, vel pallio retinebat terrae glebam, vel ea super altare ponebatur, quae res *scotatio* dicebatur (5). Hujusmodi consuetudinem ad instar legis habendam esse statuit Innocentius III. (6), probatque eo modo factas hujusmodi donationes, ac testamenta. Atque haec quidem consuetudo est, quem *praeter jus* appellamus, quia nimirum explet, quod illi deest, et jus inducit, quod scripto sancitum non est (7).

(1) Consuetudo ab Isidoro definitur *in can. 4. dist.* 1 „ Jus quoddam » moribus introductum, quod pro lege observatur, cum deficit lex » In » *L.* 20. §. 3. *Cod. de agricol.* appellatur *mos solitus* in *L.* 1. §. 1. *ff. de offic. ejus etc. mos majorum*, in *L.* 2. *Cod. quae sit long. consuetud. usus longaevus.*

(2) Cap. *Abbate* 25. *de verbor. signific. Glossa in Cap. ult. de Consuetud.* Vulgus Interpretum decem annorum spatium satis esse existimat, ut consuetudo inducatur; sed eos recte erroris arguit Cujacius *paratil. in Cod. lib.* 8. *tit.* 52. *opp. tom.* 2. *col.* 501. *et seq.*

(3) Tertullianus *de coron. milit. cap.* 4. *pag.* 103. *edit. Venet.* 1744. Consuetudo autem, *inquit*, etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, » cum deficit lex ; nec differt scriptura, an ratione consistat, quando et » legem ratio commendat „.

(4). Cap. *Cum olim* 6. *de consuetud.*

(5) De hoc *scotationis* vocabulo, quod satis explicat Innocentius III. in *Cap.* 2. *de consuet.*, ubi res tota accurate demonstratur, late agunt Cironius *observ. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 11. *edit. Vindobon.* 1761., et Du-Cangius *Glossar. med. et infim. latinit. verb. scotare.* Haec autem *scotatio*, quae ex antiqua consuetudine in omnibus generatim testamentis, ac donationibus obtinebat, non tantum factae donationis, sed etiam traditae, ac translatae possessionis argumentum erat. Sic antiquo jure Romano in gleba de fundo allata vindiciae apud Praetorem fiebant, qua de re videndus Heineccius *antiquit Roman. lib.* 4. *tit.* 6. §. 24. *opp. tom.* 8. *pag.* 437. *edit. Neapol.* 1767.

(6) Cap. 2. *cit. de consuet.*

(7) S. Thomas 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 2. *opp. tom.* 21. *pag.* 502. » Leges humanae, *inquit*, in aliquibus casibus deficiunt. Unde possi- » bile est quandoque praeter legem agere, in casu scilicet, in quo » deficit lex ; et tamen actus non erit malus : et cum tales actus « multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc mani- » festatur per consuetudinem, quod lex ulterius non est utilis ; sicut » etiam manifestaretur, si lex contraria verbo promulgaretur „

§. II. Est et consuetudo *contra jus*, per quam juri scripto derogatur, eaque legem vincit, modo ratione nitatur, longoque usu firmata fuerit. Sic consuetudine induci potest, quod una Ecclesia ex alterius gremio sibi Praelatum constituat, (1). At, quae rationi repugnat, consuetudo nullius momenti est (2), eaque recte a Pontifice *corruptela*, aut vetustas erroris appellatur (3). Sic rejicitur consuetudo, per quam in causis ecclesiasticis quivis e populo judicat (4) ; quae contra certissimam juris rationem invaluit (5); quae Ecclesiae libertati repugnat (6) ; quae generale interdictum ab omnibus non observari permittit (7); per quam sine venia Superioris sese abdicare quis potest ecclesiasticis dignitatibus (8). Idem de similibus judicium sit. Reliqua, quae ad hunc locum perti-

nent, alio loco exposuimus (9); et ideo nihil hic addemus, ne actum agere videamur.

(1) Cap. *cum dilectus* 8. *de consuetud.*
(2) *L.* 3. *Cod. quae sit long. consuetud.*
(3) Cap. *ult. de consuet.*
(4) Cap. *ad nostram* 3. *eod. tit.*
(5) Cap. *ex parte* 10. *eod.*
(6) Cap. *consuetudines* 1. *eod.*
(7) Cap. *cum inter* 5. *eod.*
(8) Cap. *cum venerabilis* 7. *eod.*
(9) Confer quae supra diximus in prolegomenis cap. 16. §. 5. *et seqq. tom.* 1. *pag.* 325. *et seqq.*

DE POSTULATIONE

TITULUS V.

Lib. 1. *tit.* 5. *in* 6. Extravagant. Commun. *tit.* 2. Decretum *can.* 1. *et seqq. dist.* 61. *et can.* 14. *dist* 63. *et can.* 5. *dist.* 61.

§. I.

Ecclesiastici Juris fundamenta sunt haec, quae antea descripsimus; nunc progredimur ad eos, quibus ejusdem Juris constituendi, et reddendi potestas est. Hi sunt Praelati, qui ecclesiasticas dignitates, et officia consequuntur per electionem, ac per postulationem (1). Electio ordinarius est modus obtinendi easdem dignitates, et officia, extraordinarius postulatio; sed quod per hanc promoventur homines praecipua aliqua dignitate antecedentes, de ea recte agit Raymundus, antequam explicet, quae ad electionem pertinent. Postulationis, electionis, et nominationis vocabula olim promiscue usurpabantur (2); sed nunc alia est singulorum vis, ac significatio. Postulare idem est ac petere; et ideo postulatio nihil est aliud, quam petitio, ut Episcopus renuncietur, qui propter canonicum impedimentum eligi non posset. Ex quo intelligimus, quale inter postulationem, et electionem discrimen intercedat. Nominatio autem imperfecta quaedam electio est (3), ac tantum designat personam, cui beneficium tribuendum est.

(1) Cap. 3. *et* 4. *de postulat.*

(2) In *can. Valentinianus* 3. *dist.* 63. S. Ambrosius, quem vulgo animadvertunt fuisse postulatum, cum nondum esset baptizatus, electus dicitur, ipseque Ambrosius *ep.* 63. *ad Eccles. Vercellen. opp.* 3. *col.* 1110.

nullum facit discrimen inter eligendum, et postulandum; quod etiam videri potest *in can.* 14. *dist.* 63. apud Gregorium M. *lib.* 3. *ep.* 14. *opp. tom.* 3. *col.* 634., *in Supplemento diurni Rom. Pontif.* apud Mabillonium *Museum Italie. tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 33. *edit. Paris.* 1724. Sic quoque electio, institutio, vel ordinatio interdum cum nominatione confunditur *can. contra sanctorum c.* 16. *q.* 7. *et in Ordine Romano* eligi dicitur, qui designatur, aut nominatur Lector, *eligimus Petrum de titulo S. Stephani Lectorem ad eumdem titulum.* Verum in *can. Osius* 10. *dist.* 6. postulationis vocabulum in propria significatione accipitur.

(3) Cap. *cum inter* 21. *et Cap. quod sicut* 28. *de elect.*

§. II. Definitur postulatio collegii electorum petitio Superiori oblata; ut ecclesiasticae dignitatis perticeps esse queat qui propter canonicum impedimentum eligi non potest. Itaque venia opus est, ut hoc impedimentum removeatur. Sacris Canonibus sancitum est, ne quis ex una ad aliam Ecclesiam transferatur, ne laicus, vel minor triginta annis Episcopus fiat, aut qui natus non est ex legitimo matrimonio ordinetur. Hi omnes eligi non possunt; sed tamen recte postulantur (1); et forte nomen postulationis, resque ipsa orta est ex precibus populi, qui aliquando unum, aut alterum eorum, quem pietate, ac doctrina praestare sentiebat, Episcopum postulavit. Ita Ambrosius Mediolanesi Ecclesiae praepositus est (2), ita aliis Ecclesiis alios insignes viros Episcopos datos constat. Atque in his quidem, quae commemorata sunt, vitiis venia a Superiore dari solet, et potest; itaque in his valet postulatio. At cum tale vitium est, in quo aliquis lege solvi non potest, neque etiam solet, inutilis est postulatio; imo ejus auctores pro ea vice postulandi jure privantur (3). Qua poena plectuntur postulantes hominem omnino literarum rudem (4), simoniacum (5), falsi reum (6), criminosum, moribusque infamem. (7) bigamum, natum ex damnata corporum conjunctione (8). ceteros, qui ob magnum corporis, aut animi vitium omnino repelluntur.

(1) Cap. *ult. de postulat. Cap.* 7. 10. 22. 29. *de elect.*

(2) Theodoritus *Histor. Ecclesiast. lib.* 4. *cap.* 7. *pag.* 135. *edit. Taurin.* 1748. Quod ipse Ambrosius suo etiam testimonio confirmat *de offic. ministr. lib.* 1. *cap.* 1. *opp. tom.* 3. *pag.* 3. inquiens » Ego » raptus » de tribunalibus, atque administrationis infulis ad Sacerdotium docere vos » coepi, quod ipse non didici » Simili modo Athanasium ab universo populo Episcopum psotulatum constat *ex epist. synodi Alexandr.* apud eumdem Athanasium *apol. contr. Arian. num.* 6. *opp. tom.* 1. *pag.* 101. *et seq.*

(3) Cap. 1. *de postulat.* ibique Glossa *verb. privare.*

(4) Cap. 22. *de elect.*

(5) Cap. 12. *in fin. et* 59. *eod. tit.*

(6) Cap. 7. *de crimin. falsi.*
(7) Can. 3. *dist.* 50. *Cap. ult. de tempor. ordinat.*, *Cap.* 87. *de Reg. Jur. in* 6.
(8) Cap. 10. *de renunc.*

§. III. Differt ab electione postulatio, quod haec ex gratia, et beneficio procedit, illa autem juri innititur; hac Superiori offertur qui idoneus non est, ut amoto vitio, et impedimento veniam tribuat, illa qui est idoneus, ut electus confirmetur; in electione, quae rite, et recte facta est electores consilium mutare non possunt, possunt in postulatione (1), antequam ea superiori offeratur (2); electus consentire in suam electionem potest, postulatus non potest, nisi adjecta conditione, si eadem Superiori probetur; denique ut electio rata firma habeatur, satis est pars major suffragiorum, postulatio ut probetur, duas saltem eorum partes desiderat (3). Cum pars Capituli aliquem elegit, pars alium postulavit, in hoc dissensu, pugnaque sententiarum postulatio electioni praefertur, cum postulantium numerus duplo major est numero eligentium (4).

(1) Cap. 58. de elect.
(2) Cap. 4. *de postulat.*
(3) Cap. 3. *eod. tit.*
(4) Cap 40. *de elect.*

§. IV. In reliquis eadem est postulationis, atque electionis ratio, et quibus eligendi, iisdem etiam postulandi jus est. Utraque noscenda, atque expendenda diligenter est, electio, ut confirmetur, postulatio, ut approbetur. Quod utrumque ad eumdem Superiorem pertinet; et in postulationis quidem literis accurate significanda sunt vitia, quae impedimento sunt, quominus quis canonice eligatur. Nefas vero est in iisdem literis incertas, interque se pugnantes adhibere formulas, quales illae sunt: *eligo*, *et postulo*, *postulo eligendum*, *eligo postulandum etc.* quamquam in re dubia, cum incertum est, num eligi quis possit, an potius sit postulandus, minime improbetur ea formula; *eligo et postulo*, *prout melius de jure valere potest* (1). Hodie omnes, qui propter aetatem, vel alium Episcopatum, vel aliud quodvis impedimentum participes fieri nequeunt ecclesiasticarum dignitatum, a Sede Apostolica veniam, sive, ut vocant, *Breve eligibilitatis* impetrare solent.

(1) Cap. unic. *de postulat. in* 6.

DE ELECTIONE

TITULUS VI.

Lib. 1. *tit.* 6. *in* 6. Clementin. *lib.* 1. *tit.* 3. Extravag. Joannis XXII. *tit.* 1. Extravag. Commun. *lib.* 1. Decretum *dist.* 60. 61. 62. 63. 69. *c.* 1. *q.* 6. *c.* 8. *q.* 1. 2. 3. *c.* 18. *q.* 2. Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 4. *de reform. sess.* 22. *cap.* 2. *sess.* 24. *cap.* 1. *et* 12. *sess.* 25. *cap.* 6. *et* 7. *de Regul.*

§. I.

Electio ordinarins est modus quo ecclesiasticae dignitates, et officia acquiruntur. Ea definitur idoneae personae ad ecclesiasticum Magistratum, aut Dignitatem vacantem canonice facta vocatio. Proprie electio pertinet ad majores Ecclesiae Dignitates, ad Summum Pontificem, ad Episcopos, ad Praelatos sive saeculares, sive regulares, qui aliis praeficiuntur. Etiam in collegiis, quae ex multorum societate conficiuntur, praefecturae, et officia, ut plurimum, electione conferuntur; verum illa, quae in his observatur, eligendi ratio potius ex consuetudine, et peculiari statuto locorum, quam ex regulis Juris communis repetenda est.

§. II. Neminem sacerdotali aliquo munere fungi oportere decrevit Christus Dominus, nisi vocatus esset (1); ipseque Servator hominum Christus Jesus Apostolos, ac Discipulos elegit, non ipsi sese in sacrum officium intruserunt (2). Divino hoc exemplo edocti Apostoli, cum ageretur de subrogando Judae proditori Apostolo, sortes miserunt, ut per eas Dominus ostenderet, quem ipse eligeret „ et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis „ septem autem viros „ boni testimo-

„ nii, plenos spiritu S., et sapientia „ a multitudine designatos Diaconos ordinarunt (3). Sed quoniam Christus eligendi modum Ecclesiae arbitrio reliquit, hinc non una semper eademque methodus in electionibus perficiendis servata est. Matthias per sortes, septem Diaconi per suffragia electi sunt; sed vita functis Apostolis, Episcoporum electio modo fuit penes Episcopos comprovinciales, modo penes Clerum, et Episcopos provinciae; tum concessa est Capitulis Canonicorum, tum Summo Pontifici justis de causis reservata, tum etiam a Sede Apostolica tributa quibusdam laicis Principibus, quibus secundum pacta conventa jus est nominandi idoneum hominem, qui a Summo Pontifice in consistorio, re primum cognita, et expensa diligenter, designatae Ecclesiae Episcopus constituitur.

(1) Paulus *ad Hebraeos cap. V. vers.* 5. *et* 6. » Nec quisquam, *inquit*, sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et » Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret. »
(2) Joannes *cap. XV. ver.* 16. » Non vos me elegistis, *inquit Christus*, sed ego elegi vos, et posui, ut eatis, et fructum afferatis. »
(3) Act. Apostol. *Cap. I. et VI.*

§. III. In illis Ecclesiae primordiis Apostoli ipsi Episcopos constituerunt; in primis autem Petrus, caput, et princeps omnium, a quo praesertim Occidentalium Ecclesiarum origo repetenda est (1). A Paulo Titum, et Timotheum, a reliquis Apostolis alios ubique terrarum Episcopos creatos fuisse certum est. Verum fuit hoc extraordinariae potestatis, quae cum Apostolis exspiravit, non ad eorum in Episcopatu successores delata est; tantum Petri potestas, cui ceteri obnoxii erant, ordinaria fuit, atque in ejus successores migrare debuit. Itaque vita functis Apostolis tantum Petri successores, Romani Pontifices, Episcopos constituere potuerunt; atque haec sane fuit vetustissima Ecclesiae disciplina.

(1) Celebre est illud, quod repugnante nemine scriptum reliquit S. Innocentius I. *ep.* 25. *ad Decentium Eugubin. num.* 2. apud Coustantium *Epist. Rom. Pontif. col.* 856. » Praesertim cum sit manifestum, in omnem » Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque adja- » centes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus,

» aut ejus successores constituerunt Sacerdotes. » Quo spectat Bossuetus *serm. sur l' Unité opp. tom. 6. pag.* 479. *edit. Leod.* 1766. » Quelle Eglise, » *inquit*, a enfanté tant d'autres Eglises? D'abord tout l'Occident est ve- » nu par elle, et nous sommes venus des premiers. » Et paulo post conversa ad Deum oratione dicit haec » C'est vous, Seigneur, qui excitates » Saint Pierre, et ses successeurs à nous envoyer dès les premiers temps » les Evêques, qui out fondé nos Egli es. C' etoit le conseil de Dieu, » que la Foi nous fut annoncée par le Saint Siége, afin qu' éternelle- » ment unis par des liens particuliers à ce centre commun de toute l'uni- » té catholique, nous puissions dire avec un grand Archeveque de Rhe- » ims : *La sainte Eglise Romaine, la Mere, la Nourrice, et la Maitresse de toutes les Eglises, doit etre consultée dans tous le doutes, qui regardent la Fois, et les moeurs, principalement par ceux, qui, comme nous, ont été engendrés en Jesus Christ par son ministere, et nourris par elle du lait de la doctrine catholique.*

§. IV. Verum extincta cum Apostolis extraordinaria potestate constituendi Episcopos per orbem universum, alia in his eligendis ratio usurpari coepit; salva semper auctoritate Pontificium Romanorum, ad quos omnia delata sunt jura Primatus, quibus vivens Petrus fruebatur. Nam etiam post illam, quam mox explicabimus, eligendi formam inductam saepe ipsi Episcopos suo arbitrio elegerunt (1), dederuntque leges, cum quibus eorum electiones faciendae erant (2); et ortas de iisdem controversias judicarunt (3), et rejectis iis, qui minus idonei electi fuerant, alios suo lubitu Episcopos constituerunt (4), Alexandriae quidem a Marco usque ad Heraclam, et Dionysium, hoc est ab anno 43. usque ad annum 265., a Presbyteris semper unum ex se electum, atque in excelsiori loco collocatum Episcopum nominatum fuisse, scribit Hieronymus (5). Sed iisdem temporibus Cyprianus, qui anno 258. martyrium pertulit, eam fuisse docet non tantum in Africana Ecclesia, sed etiam *fere per provincias universas* consuetudinem, ut „ Episcopi ejusdem „ provinciae proximi quique conveniant, et Episcopus de- „ ligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissi- „ me novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione „ perspexit „ Mox pergit, atque ait hoc modo Sabinum Episcopum fuisse creatum „ de universae fraternitatis suffra- „ gio, et de Episcoporum, qui in praesentia convenerant, „ quique de eo ad vos literas fecerant judicio „ (6). Habes hic praesentiam, ac testimonium plebis, suffragium cleri,

judicium Episcoporum. Singuli nimirum suas habebant in electione partes. Plebs aliquem postulabat, ac de eo testimonium ferebat; Clerus petitionem expendebat; et eam, cum aequa esset, suo suffragio probabat; Episcopi de re tota judicabant, hoc est eum quem plebs, clerusque laudaverant, modo Episcopatu dignum agnoscerent, Episcopum constituebant. Quae omnia fieri debuerunt cum consensu, et auctoritate Summi Pontificis, a quo tantum missio, et ecclesiastica jurisdictio dari potuit, et in quem solum, uti diximus, translata est potestas, quae propter Primatus praerogativam in uno Petro ordinaria, in ceteris Apostolis extraordinaria fuit.

(1) Confer *Institutiones nostras lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 1. §. 6. *not.* 1. *tom.* 1. *pag.* 175. *edit. Romae* 1792.

(2) Vide *easdem Institutiones lib.* 1. *tit.* 5. *sect.* 1. §. 5. *not.* 1. *pag.* 303.

(3) Ita Minicii, et Rufini ad Innocentium I., uti constat ex ejus *epist.* 3. apud Coustantium *epist. Rom. Pontif. col.* 763., Silvani, et Irenaei causam ad Hilarium delatam constat, uti colligitur ex ejusdem *epistolis* 1. 2. 3. apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 56. *seqq.* Haec, aliaque similia exempla commemorat Bianchius *Della potestà, e della polizia della Chiesa tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 3. §. 2. *pag.* 314. *seqq.*

(4) Cum Caeciliani causa ageretur, duos Episcopos, Eunomium, et Olimpium, in Africam missos fuisse narrat Optatus Milevitanus *de schism. Donatist. lib.* 1. *pag.* 28., *ut remotis duobus unum ordinarent.* Quo in loco Albaspinaeus rectissime animadvertit » necesse est fateri, hos duos Epi- » scopos a Summo Pontifice fuisse missos; alioquin potestatem non habuissent alium in Africa ordinandi. » Similia sunt ea, quae Simplicius *ep.* 2. apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 95. scripsit contra Joannem Ravennatem, quem graviter objurgavit, quod Gregorium Mutinensem Episcopum invitum ordinaverat, ac palam edixit » quod si posthac quidquam tale prae- » sumpsisset, et aliquem seu Episcopum, seu Presbyterum, seu Diaconum » invitum facere forte credidisset, ordinationes sibi Ravennatis Ecclesiae, » vel Æmiliensis nosset auferendas. » Neque dissimilis fuit agendi ratio, qua usus est Gregorius M. qui *ep.* 48. *lib.* 5. *opp. tom.* 2. *col.* 776. duos electos Ravennatis Ecclesiae Metropolitas rejecit, atque ipse Marinianum elegit; *et ep.* 57. *lib.* 1. *col.* 548. Ocleatinum Ariminensis Ecclesiae electum Episcopum repulit, datisque ad Severum Episcopum literis, aut alium eligi jussit, si quis idoneus Arimini reperiretur, aut alium Ecclesiae praeficeret arbitratu suo. Neque haec a Gregorio fieri potuerunt jure metropolitico, aut in Ravennate Ecclesia, quae Metropolitana erat, aut in Ariminensi, quae Ravennati Metropolitae subjicebatur. Consule Zaccariam *Antifebron. vindic. dissert.* 8. *cap.* 1. *pag.* 351. *par.* 3. *edit. Caesenae* 1771.

(5) S. Hieronymus *ep.* 146. *ad Evangelium num.* 1. *opp. tom.* 1. *col.* 1082. » Nam et Alexandriae, *inquit*, a Marco Evangelista usque ad » Heraclam, et Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se ele-

» etum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant. » Quid et multo post eamdem Alexandriae fuisse consuetudinem, non obscure tradit Epiphanius *haeres.* 49. *sive* 69. *num.* 11. *tom.* 1. *pag.* 735.

(6) S. Cyprianus *ep.* 67. *pag.* 289. *edit. Amstelod.* 1700.

§. V. Atque hæc quidem generatiam ubique obtinebat Episcopos eligendi ratio (1). Cum Metropolita de alicujus Episcopi obitu certior factos fuerat, omnes provinciæ Episcopos ad electionem, et ordinationem successoris per literas convocabat (2). Hi venire omnes cogebantur, nisi justam haberent causam, propter quam venire non possent, et eam quidem per literas cum suo consensu significare debebant (3). Constituta die electio fiebat praesente clero, ac populo, ne Episcopus daretur invitis, atque ut omnium testimonio explorata fierent merita, ac mores ejus, qui eligebatur (4). Praecipuae tamen erant in electione partes Metropolitae, et Episcoporum provinciae (5), qui proprie eligebant Episcopum, quibusque integrum erat suo arbitratu unum, aut alterum constituere, quem magis idoneum judicarent. Itaque cleri, et populi suffragia, ac testimonia eo tantum spectabant, ut postularetur antistes (6); sed Episcopi, ad quos electio pertinebat, suo lubitu poterant nominatum, aut postulatum rejicere, cum minus dignus Episcopatu videretur (7). Jus hoc ferendi testimonii, quod initio proprium fuit totius populi, lapsu temporum translatum est ad *Honoratos*, et *Optimates* civitatis, ut confusio imperitae multitudinis, studiaque partium, ac dissidia removerentur (8).

(1) S. Athanasius *ep. ad Episc. Orthod. num.* 2. *opp. tom.* 1. *pag.* 89. Gregorii invasionem in Sedem Alexandrinam, inter cetera, ex eo demonstrat, quod ejus electio facta non fuerit. » Secundum verba Pauli congre» gatis populis, et spiritu ordinantium eum virtute D. N. Jesu Christi ... » praesentibus populis, et clericis, qui illum postularent » Habes hic » Episcopos constituentes, clericos, et populos postulantes. Ita in Ecclesia Latina Cornelium Papam electum constat ex ejus *epist.* ad Cyprianum *inter Cyprian.* 49. *pag.* 235., in Graeca vero Stephanus Episcopus Ephesinus hoc modo se canonice electum affirmat in Concilio Chalcedonensi *act.* 11. *tom.* 4. *Concil. Labbaei col.* 1606. Consule Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 10. *pag.* 232; Petrum Alexandrinum Episcopum apud Theodoritum *Histor. eccles. lib.* 4. *cap.* 22. *pag* 155. *edit. Taurin.* 1748., ubi irrita dicitur Lucii Ariani Episcopi electio, propterea quod fuerat » non in ortho» doxorum Episcoporum synodo; non suffragio legitimorum clericorum; » non postulatione plebis electus, sicut ecclesiasticae leges requirunt. » Concilium Carthaginiense IV. *can.* 1. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 1437., Leonem M. *ep.* 10. *cap.* 6. *et ep.* 14. *cap.* 5. *et* 40. *opp. tom.* 1. *col.* 639. 683.

890. Ipse Leo non easdem in Episcoporum electionibus partes clerum, et populum habuisse docet *ep.* 167. *Inquisit.* 1. *col.* 1420., atque ab hoc Episcopos tantum *expetitos*, ab illo vero *electos* tradit. Ait enim » Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, » nec a plebibus sunt expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati.» Adi-sis etiam Ambrosium *ep.* 15. *num.* 12. *opp. tom.* 3. *col.* 863., Theodoritum *Histor. eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 23. *edit. Taur.* 1748., Apollinarem Sidonium *ep.* 25. apud Sirmondum *opp. var. col.* 553. *edit. Venet.* 1728., Concilium Laodicenum *can.* 13. *tom.* 1. *Concil. Labbaei col.* 1534. Totum hoc argumentum late persequitur Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *et seqq. tom.* 2. *pag.* 187. *et seqq. edit. Venet.* 1773.

(2) Concilium Antiochenum *can.* 19. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 594., et Arelatense II. *can.* 5. *tom.* 5. *col.* 3.

(3) Concilium Nicaenum 1. *can.* 4. *ibid. tom.* 2. *col.* 31., Antiochenum *can.* 19. *ibid. tom.* 2. *col.* 594., Regense *can.* 2. *ib. tom.* 4. *col.* 533., Toletanum IV. *ib. can.* 19. *tom.* 6. *col.* 1458., Nicaenum II. *can.* 3. *ib. tom.* 8. *col.* 1247., Sardicense *can.* 6. *ibid. tom.* 2. *col.* 662.

(4) S. Cyprianus *ep.* 67. *pag.* 289. » Episcopus, *inquit*, deligatur » plebe praesente. quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit. » Et paulo ante *pag.* 288. sacerdotales ordinationes fieri dixerat. » Ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, et sit ordinatio » justa, et legitima, quae omnium suffragio, et judicio fuerit examinata. »

(5) Confer Concilium Antiochenum *can.* 19. *tom.* 2. *Concil. collect. Labbaei col.* 594. et Laodicenum *can.* 12. *et* 13. *ib. col.* 1534.

(6) Populum in Episcoporum electionibus unum dedisse testimonium ostendunt Sixtus Senensis *lib.* 5. *Biblioth. adnot.* 118. *pag.* 625. *edit. Neapol.* 1742., Bellarminus *de cleric. lib.* 1. *cap.* 6. *opp. tom.* 1. *p.* 258. *edit. Venet.* 1721, Petrus de Marca *concord. sacerd. et imper. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 2. *et seq. pag.* 430. *edit. Roboret.* 1763., Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *et seqq. tom.* 2. *pag.* 187. *seqq.* Testimonia, quae laudantur a Binghamo *Origin. ecclesiast. lib.* 4. *cap.* 2. §. 2. *et seqq. tom.* 2. *pag.* 96. *et seqq. edit. Halae Magdeburg.* 1751., aliisque, qui clerum, et populum suas in electionibus partes habuisse contendunt, hoc tantum efficiunt, ut illae fierent praesente, ac testimonium dicente, et postulante populo, ne Episcopus daretur invitis, atque ut omnes noscerent, qua virtute praediti homines Episcopatum obtinerent. Verum quae propria est electio, per quam aliquis Episcopus constituitur, quaeque a postulatione distinguitur, propria semper fuit provincialium Episcoporum. Hinc integrum iisdem erat populi petitiones rejicere, et saepe ipsi eo prorsus ignaro Episcopos constituerunt, uti ab Athanasio Frumentium Indorum Episcopum creatum, scribit Rufinus *histor. Lib.* 10. *cap.* 9. *pag.* 221. *edit. Basil.* 1523., ab Episcopis, postesquam Narcissus discesserat, alium Jerosolymitanum Episcopum ordinatum, tradit Eusebius *Histor. lib.* 6. *cap.* 10. *pag.* 232. Quamquam vero saepe cleri, et populi suffragia confundantur, ita ut uterque easdem videatur habuisse partes, tamen plus Clero, quam populo datum constat, quoniam ab hoc tantum Episcopos *expetitos*, ab illo autem, uti paulo ante animadverti, *electos* testatur S. Leo M. *cit. ep.* 167. Quo etiam spectat Petrus Episcopus Alexandrinus apud Theodoritum, cujus similiter locum supra dedimus, quique

distinguit *suffragium clericorum a postulatione plebis*. Ac recte Julius Laurentius Selvagius *antiquit. christian. lib.* 1. *cap.* 22. §. 3. *tom.* 1. *pag.* 204. *edit. Patav.* 1780. Ita populi, clerique partes distributas monet, ut populus proponeret, peteret, ac testimonium ferret, clerus autem haec testimonia, ac petitiones expenderet, antequam ab Episcopis provinciae electio perficeretur.

(7) Caelestinus I. *epist.* 5. *ad Episcop. Apul. et Calabr.* apud Coustantium *epist. Rom. Pontif. col.* 1074. » Docendus est populus, *inquit*, non » sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, » commonere, non his consensum praebere. » Sirmondus *in praef. de formul. Episcopal. promotion. tom.* 2. *Concil. Galliae*, Christianus Lupus *in not. ad can.* 4. *Concil. Nicaen. opp. tom.* 1. *pag.* 239. *edit. Venet.* 1724., Schelestratius *Concil. Antiochen. can.* 19. *pag.* 600. *edit. Antuerp.* 1681., aliique putant, post editum Nicaenum canonem 4. antiquam disciplinam abrogari coepisse, neque amplius populum ad Episcoporum electiones convenisse. Verum hanc sententiam refellit Leo M., cujus verba paulo ante descripsimus; refellunt Julius I. *ep.* 1. *num.* 14. *et* 22. apud Coustantium *col.* 375. *et* 387., qui populi postulationem requirit, neque Episcopum vult dari invitis; Caelestinus I. *ep.* 4. *num.* 7. *ibid. col.* 1070., cujus haec verba sunt » Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis, et » ordinis consensus, ac desiderium requiratur » denique, ut mittam cetera, quae pene innumera sunt, Concilium Aurelianense V. an. 549. *can.* 11. apud Labbaeum *tom.* 5. *col.* 1380. diserte statuit *Episcopus ne invitis detur*, additque ea verba, *sicut antiqui canones decreverunt*. Testimonia haec sunt omnia Nicaeno Concilio recentiora, ex quibus patet, etiam post conditum ejusdem Concilii canonem, quem memoravimus, eas, quas antea habebat, partes in Episcoporum electionibus populum retinuisse. Revera eodem Nicaeno canone non de electione agitur, sed de ordinatione, et confirmatione Episcoporum, uti Meletiani schismatis tunc oborti occasio postulabat. Scilicet initio quarti saeculi Meletius in Thebaide constitutus solus sine aliis Episcopis turbarum concitandarum causa Episcopos consecrabat. Ut haec abnormis licentia coerceretur, conditus est Nicaenus Canon, quo sancitum est, ut Episcopales ordinationes cum conventu suffraganeorum absolvantur. Quamquam autem Nicaeno canone minime sublatum fuerit testimonium populi in Episcoporum electionibus, tamen, uti dixi, semper integrum fuit Episcopis illud rejicere, cum minus idoneus homo postulatus fuisset.

(8) Quinto primum saeculo laicorum turbae ab electionibus removeri coeperunt, vocatique sunt *honoratiores*, sive populi proceres, qui seditiosae, et tumultuosae multitudinis locum occuparent, postquam scilicet Laodiceni canones passim fuere recepti, atque in codice canonum descripti *can.* 6. *dist.* 63., quo spectat Justinianus *Novell.* 123. *cap.* 1., ubi memorantur *Primates Civitatis*, qui Episcoporum electionibus intersunt.

§. VI. Episcopis, qui ad faciendam electionem convenerant, reique universae praeerat Metropolita; verum si ipse praesens esse non posset, ad viduatam Ecclesiam mittebat Episcopum visitatorem, qui ejus partes sustineret. Is populum edocebat praescripta canonum in Episcoporum ele-

ctionibus, monebat ut dignum Episcopum hominem postularent, cavebat, ne quid per ambitum, aut fraudem fieret, et motus componebat animorum qui contrariis studiis raperentur (1). Ita clerici, monachi, laici cum Episcopo Visitatore certum hominem laudabant, atque inde decretum conficiebatur. Re perlata ad Metropolitam, is, accitis provinciae Episopis, aut eum, de quo canonicum decretum factum fuerat, Episcopum consecrabat, vel alteri consecrandum committebat (2), aut si quid ei officere, et obstare animadverteret, alium Episcopum eligebat.

(1) Episcopi visitatoris crebra mentio est in epistolis S. Gregorii M., praesertim *lib.* 1. *ep.* 78. *col.* 562. *ep.* 41. *lib.* 4. *col.* 721. *ep.* 21. *lib.* 6. *col.* 808. *ep.* 17. *lib.* 10. *col.* 1052., *et ep.* 13. *lib.* 13. *col.* 1227. *opp. tom.* 2. Operae pretium est verba ipsa describere ejusdem Gregorii *cit. ep.* 13. *lib.* 13., ut pateat, quod munus esset Episcopi visitatoris, et quas in Episcoporum electionibus partes ea tempestate clerus, et populus haberent. » Ideo dilectio tua, *inquit Gregorius*, ad praedictam Ecclesiam ire » properabit, et assiduis adhortationibus clerum, plebemque ejusdem Ec- » clesiae admonere festinet, ut remoto studio, uno eodemque consensu ta- » lem sibi definiendum expectant Sacerdotem, qui et tanto ministerio di- » gnus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. » Qui dum fuerit postulatus cum solemnitate decreti omnium subscriptioni- » bus roborati, et Dilectionis tuae testimonio literarum, ad nos sacrandus » occurrat. » Iisdem verbis conceptae sunt reliquae Gregorii epistolae, quibus Visitator constituitur. Ex his autem evidens, apertumque est, clerum, et populum tantum laudasse, aut postulasse Episcopum, sed veram, propriamque electionem ad eum pertinuisse, cujus erat approbare, aut respuere postulationem, et Episcopum consecrare. Ad multas quidem Ecclesias, cum de eligendo Episcopo agebatur, a Metropolita, qui per se ipsum ire non poterat, visitatorem mitti consuevisse constat; sed non eadem generatim in omni Ecclesia agendi ratio servata fuisse videtur, licet ubique praecipuae semper fuerint in Episcoporum electionibus Metropolitae partes. Plures autem formulae decreti, quod a clero, et populo fiebat describuntur a Balutio *Formul. antiq. promot. episcop. num.* 7. 10. 21. *tom.* 2. *Capitular. col.* 418. 420. 435. *edit. Venet.* 1772.

(2) Integrum erat Metropolitae vel per semetipsum electum Episcopum consecrare, vel cum impeditus esset, alicui ex suffraganeis consecrationem committere, uti rescripsit Innocentius III. *in Cap. quod sedem* 10. *de offic. judic. ordin.* Ita Augustinum Carthaginiensis Episcopus Aurelius, cum quo per literas egerat Valerius, ut eum sibi coadjutorem habere liceret, a Megalio Calamensi Episcopo Numidiae Primate consecrari permisit, sicuti narratur in vita Augustini *lib.* 4. *cap.* 1. *ejus opp. tom.* 15. *col.* 208., contra vero alios ab se consecrandos quotidie ad Ecclesiam Carthaginiensem vocare solebat, adeo ut quovis fere dominico die Episcopos consecrandos in sua Ecclesia habere declararit in Concilio Carthaginiensi III. *can.* 39. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 1405. Sic etiam Victorem Carthaginiensem vicinis Episcopis consecrandum commisisse S. Ful-

gentium Ruspensem, scriptum est in ejus vita, quae extat *ante opp. S. Fulgentii num.* 35. *pag.* XXII. *edit. Venet.* 1742. S. Gregorius M. *lib.* 2. *ep.* 25. *et* 38. *et lib.* 3. *ep.* 40. *col.* 588. 601. 653. *opp. tom.* 2. electos Cumanae Ecclesiae, Crotonensis, Nucerinae Romam venire jubet; contra vero *lib.* 9. *ep.* 97. *col.* 1001. electum Capreae Episcopum a Mariniano pontificia auctoritate consecrari permittit. In provinciis, quae plus Episcopis abundabant, liberior fuisse videtur licentia Metropolitis vocandi quos vellent Episcopos, qui consecrationi interesse debebant; quamquam viciniores, ut plurimum, vocarentur.

§. VII. Fuit haec, quae diu obtinuit, Episcoporum eligendorum ratio; donec decretis primum Concilii Nicaeni II. (1), deinde Constantinopolitani IV, (2) statutum est, ut laici homines omnino ab iisdem electionibus excluderentur. Quae disciplina prius a Graeca, quam a Latina Ecclesia recepta videtur (3); et apud Graecos quidem jus omne eligendi sine ullo populi testimonio, aut suffragio ad Episcopos, apud Latinos ad Canonicos Ecclesiae cathedralis delatum est (4). Quod jus universim obtinebat, cum editae sunt decretales Gregorii IX., quas inter extant rescripta Summorum Pontificum Gregorio ipso antiquiorum, quibus Capitulo Ecclesiae cathedralis Episcopi electio committitur, quin etiam a Metropolitae electione repelluntur Episcopi suffraganei, nisi eorum consensus *de antiqua, et approbata consuetudine* requiratur (5). Sed deinceps jus hoc Ecclesiae cathedralis tantum in Germania perseveravit.

(1) Concilium Nicaenum II. *can.* 3. apud Beveregium *pandectae canonum tom.* 1. *pag.* 288. *edit. Oxonii* 1682., cujus verba sunt haec, » Omnem electionem Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, quae fit a » Magistratibus, irritam manere, ex canone dicente: si quis Episcopus » saecularibus Magistratibus usus, per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur, et segregetur, et omnes, qui cum eo communicant. Oportet enim » eum, qui ad Episcopatum promovendus est, ab Episcopis eligi »

(2) Concilium Constantinopolitanum IV. oecumenicum VIII. *can.* 22. *tom.* 10. *Concil. Labbaei col.* 647., cujus haec sunt verba » Promotiones, » atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, ele» ctione, ac decreto Episcoporum collegii fieri, et sancta haec, et univer» salis Synodus definit, et statuit; atque jure promulgat, neminem lai» corum Principum, vel Potentum semet inserere electioni Patriarchae, » vel Metropolitae, aut cujuslibet Episcopi etc. cum nullam in talibus po» testatem quemdam potestativorum, vel ceterorum laicorum habere conve» niat; sed potius silere, ae attendere sibi, usquequo regulariter a colle» gio ecclesiastico suscipiat finem electio Summi Pontificis. Si vero quis » laicorum ad concertandum, et cooperandum ab Ecclesia invitatur, licet » hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit, obtemperare se asciscentibus»

(3) Sunt qui putant ab Innocentio II. *in can.* 35. *dist.* 63. fuisse

sancitum, ut sine populi testimonio, ac suffragio a Canonicis Episcopi electio absolveretur, cum ab eo constitutum fuit, ut non excludantur *viri religiosi*, quorum, nomine cum tantum *ecclesiasticos* intelligant, exinde educunt argumentum, laicorum testimonium fuisse rejectum. Glossa *religiosorum virorum* nomine *Praelatos aliarum Ecclesiarum* comprehendi existimat; sed fallitur egregie. Nam etiam laici ea tempestate *religiosi* dicebantur, uti manifestum facit Concilium Lateranense II., quod ipso Innocentio Pontifice habitum est, *can.* 25. *tom.* 12. *Concil. Labbaei col.* 1506., qui canon ita conceptus est » Laici, quamvis religiosi sint, nul» lam tamen habent disponendi de ecclesiasticis facultatibus potestatem » Quod etiam, occurrit apud Goffridum Abbatem Vindocinensem, qui eadem aetate floruit, quique etiam memorat *laicos religiosos* apud Sirmondum *opp. var. tom.* 3. *col.* 589. *opusc.* 4. *edit. Venet.* 1728. Neque vero incerta, aut obscura causa est, propter quam ex laicis aliqui *Religiosi* dicerentur, alii ab hac appellatione removerentur. Prodierat ea aetate Arnaldus a Brixia, qui contra clerum turbas concitaverat, cunctisque ecclesiasticis hominibus acerrimum bellum indixerat. Qui ad Arnaldum non defecerant, ejusque erroribus obstiterant, religiosi, hoc est verae Religionis cultores appellati sunt, quo nomine nefas erat vocare eos, qui illius partes sequebantur, et hi quidem, non autem illi ab Episcoporum electionibus exclusi sunt. Sed qualis tandem cumque sit ejus canonis interpretatio, fatendum est, saeculo XII. nullas amplius partes in electionibus laicis fuisse relictas; quamquam monumenta non desint, ex quibus constat alicubi populum aliquas adhuc in illis partes obtinuisse. Nam S. Bernardus, qui iisdem temporibus vitae usura fruebatur, quique decennio post Innocentium II. obiit, *ep.* 13. *et* 27. *opp. tom.* 1. *pag.* 13. *et* 19. *edit. Venet.* 1765. electiones memorat Catalaunensis, et Gebennensis Episcoporum *cum cleri populique consensu celebratas.* Ex quibus effici videtur posse, consuetudine potius, quam jure scripto ab Episcoporum electionibus amotum fuisse populi testimonium, eamque consuetudinem alibi citius, serius alibi inductam fuisse.

(4) Van-Espenius *Jus Ecclesiast. univers. par.* 1. *tit.* 13. *cap.* 2. *num.* 2. *tom.* 1. *pag.* 82. *edit. Lovanii* 1732. tantum saeculo XII. Canonicos Ecclesiae cathedralis jure eligendi Episcopos potiri coepisse existimat; sed in hac quoque epoca, ut in ceteris plerisque, falsus est. Nam ex aperto testimonio Ditmari Merserburgensis *Chronic. lib* 2. *et* 4. apud Leibnitium *Scriptor. Brunsvicen. tom.* 1. *pag.* 330. *et* 347. *edit. Hannov.* 1707. constat, Ottonum aetate, hoc est in exitu saeculi X., et initio XI. Capitula Magdeburgense, et Halberstadiense jus eligendi habuisse. Id autem in locis compluribus consuetudine inductum videtur; sed initio saeculi XIII. ubique obtinebat.

(5) Cap. 4. *de postulat.*, *Cap.* 55. *de elect.*

§. VIII. Laici quoque Principes suas in sacris electionibus partes habuerunt, ut dissidia componerent, Ecclesiaeque utilitati, ac tranquillitati consulerent (1). Nulla umquam ab ipsis data est, quae tantum dari ab Ecclesia potest, sacra potestas ac jurisdictio, sed tantum aut designatus, vel postulatus Episcopus, aut consensu probata electio, quae rite, et recte

fuerat absoluta. Eo jure usi sunt Episcopatuum fundatores, quorum e numero fuere praesertim saeculo X. et XI. Othones, et S. Henricus Imperatores, qui ab se institutos Episcopatus compluribus reditibus, bonisque ditarunt, quique vel eorum antistites nominare, vel jam factam electionem approbare consueverunt. Quin et hi cum traderent possessionem bonorum, vel jurium, quae Episcopatui erant annexa, externa quaedam signa adhibere coeperunt, quibus ea res significaretur; dabant nimirum annulum, et baculum pastoralem, unde ortae sunt *investiturae per annulum, et baculum*, quae gravia inter sacerdotium, et imperium dissidia excitarunt. Romani Pontifices novam hanc methodum concedendi bona cum Episcopatu conjuncta, sive *investituras* initio tolerandam putarunt, cum in ea mali nihil latere videretur. Integra semper erat Ecclesiae auctoritas, quoniam ab ea tantum dabatur missio, et sacra jurisdictio; et ideo cum piis illis Principibus, qui et Episcopatus fundaverant, et semper insignes pietate, ac doctrina viros Episcopos designabant, toleranda videbantur externa illa signa, quae temporalium bonorum possessionem significabant (2).

(1) Videndi Socrates *Histor. eccles. lib. 7. cap.* 29. *pag.* 317. et Sozomenus *l.* 8. *c.* 2. *p.* 301. *edit. Taurin.* 1747. Palladius *in vit. S. Jo. Chrysostomi opp. S. Jo. Chrysost. t.* 13. *c.* 5. *p.* 17. Concilium Toletanum XII. *can.* 6. *t.* 7. *Concil. col* 1439. Guillelmus Malmesburiensis *de gest. Reg. Angliae lib.* 2. *c.* 8. *p.* 55. *int. Script. rer. Anglic. Francofurt.* 1601. Sirmondus *in praefat. append. ad tom.* 2. *Concil. Galliae.*

(2) Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 1. *tom.* 2. *pag.* 250. » Indubium est, *inquit*, a tribus Othonibus Imperatoribus Ecclesias Episcopales, et Abbatiales donatas fuisse, » donatas et earum per Pedum investituras. Sed tria sunt, quae in eo » observari conducat. 1. Illos ipsos fuisse primo institutores sub Romani » Pontificis authoritate, et fundatores complurium Episcopatuum eorum, » in regionibus Germaniae non ita pridem Christo subjugatis. 2. Semper » fere spectatissimae pietatis et sapientiae viros ab eis designatos fuisse. » 3. Non semper exclusas fuisse ab eis electiones, sed vel toleratas, vel » perpetuo privilegio quibusdam Ecclesiis indultas; denique pro virili operam datam fuisse, ut Regiae nominationes Cleri, et populi electionibus permiscerentur. » Deinde pluribus allatis exemplis ex chronico Ditmari Episcopi Merseburgensis omnia confirmat. De his investituris late agunt Gretserus, a quo praecipui veteres Scriptores, qui S. Gregorii causam defenderunt, colliguntur *in Apologia pro Gregorio VII.*, quae tomo *VI.* ejus operam edita est, Juretus *observ. in epist.* 236. *Ivonis Carnot. opp. par.* 2. *p.* 191. *edit. Paris* 1647., Baronius *ad an.* 1077. *n.*

n. 60, *et* 61. *an.* 1078. *num.* 27. *an.* 1080, *num.* 3. *an.* 1087. *num.* 13. *t.* 17. *pag.* 461. *seq.* 478. 496. 582. *an.* 1097. *num.* 38. *an.* 1100. *num.* 22. *an.* 1101. *num.* 1. *an.* 1103. *num.* 8. *an.* 1106. *num.* 33. *an.* 1108. *num.* 2. *an.* 1111. *num.* 29. *an.* 1119. *num.* 10. *an.* 1122. *num.* 6. *tom.* 18. *pag.* 54. 121. 132. *seq.* 154. 183. 199. 227. 325. 357., Pagius *ad an.* 1075. *num.* 1. *tom* 17. *p.* 1075., Raynaldus *ad an.* 1460. *num.* 51. *tom.* 10. *pag.* 238., Thomassinus *loc. cit.*, Christianus Lupus *dissert.* 4. *de laica Antistit. investitur. opp. tom.* 4. *pag.* 153. *edit. Venet.* 1724., Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 11. *et* 12. *dissert.* 4. *pag.* 306. *seqq. edit. Venet.* 1776., Norisius *Istoria delle Investiture delle Dignità Ecclesiastiche*, Mabillonius *Act. SS. Ord. S. Benedicti saec.* 6. *tom.* 9. *in praefat. pag.* 29. *seqq. edit. Venet.* 1733. Melchior Goldastus Haimivafeldius Calvinianus in collectione constitutionum, et recessuum Imperialium descripsit apologias eorum, qui a partibus steterunt Henrici IV. adversus S. Gregorium VII. in illis utriusque dissidiis, easque contra Jacobum Gretserum Hannoviae an. 1611. evulgavit. In hoc volumine, praeter lucubrationes Schismaticorum, qui vitas S. Gregorii, et Henrici scripserunt, atque hujus apologias, duodecimo loco inseruit Waltrani Naumburgensis Episcopi tractatum *de investitura Episcoporum pro juribus Imperatorum, et Regum contra Paschalem Papam*, quo egregius hic Henrici satelles investituras defendere conatur. Sed deliramenta hominis male animati in Pontificem gravissimis argumentis refutavit Theodorus M. Rupprechtus *not. histor. in univ. jus canon. tit.* 6. *dissert. de investitur. pag.* 115. *edit. Venet.* 1764.

§. IX. Sed cum laici iisdem investituris ita abusi sunt, ut venales haberent Episcopatus, et ecclesiasticas dignitates, iisque donarent homines, qui uberiorem quaestum offerebant, non qui ceteris doctrina, ac pietate antecellebant, haud sane ferendus erat turpissimus hic mercatus ecclesiasticorum beneficiorum (1). Primus investituras vetuit, et condemnavit S. Gregorius VII. (2), cujus exemplum imitati sunt ceteri, qui eo vita functo Pontificatum maximum obtinuerunt (3). Contra quos recentem illam (4) earumdem investiturarum consuetudinem mordicus retinuerunt duo Henrici IV., et V. Imperatores, aliique Principes (5); quam ob rem gravia in Ecclesia dissidia exarserunt. Negocium denique inter Calixtum II., et Henricum V. Vormatiae compositum, atque in generali Concilio Lateranensi I. an. 1123. absolutum est. Henricus sese investiturarum jure abdicavit, canonicasque electiones, et consecrationes libere fieri consensit; Calixtus autem ejus imperii Episcopos, et Abbates praesente Imperatore eligi, ab eoque post canonicam electionem *regalia per sceptrum* accipere permisit (6). Ita pacata omnia, et tranquilla evaserunt. Nam restituta est libertas electionum, et simul etiam provisum, ut libere electi Episcopi, et Abbates non per virgam,

et annulum, quae sacrae jurisdictionis indicia sunt, sed per sceptrum *regalia* a Principe obtinerent (7).

(1) S. Anselmus Lucensis Episcopus, qui ea aetate floruit, *lib.* 1. *contr. Guibertum* apud Canisium *Thesaur. monument. eccles. tom.* 3. *pag.* 374. *edit. Antuerp.* 1725., paucis exponit, quam graves in hujusmodi investituras abusus irrepsissent magno cum ecclesiasticae libertatis, ac disciplinae detrimento, Antipapam Guibertum compellans » Rex tuus sine in- » termissione vendit Episcopatus, Edicta proponens, ut nullus habeatur Epi- » scopus, qui a Clero electus, vel a populo fuerit expetitus, nisi praeces- » serit honor Regius, quasi ipse sit hujus ostii Ostiarius, de quo Veritas » dicit: Huic Ostiarius aperit » Et infra » Vos, *inquit*, Ecclesiae Catho- » licae, quam invasistis per totum Regnum, membra distrahitis, et in ser- » vitutem redacta, quasi vile mancipium, in dominium vestrum redigitis; » et divini juris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes, omnia Im- » peratoris juri esse subjecta, Episcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei » Ecclesias, cum Dominus dicat: Ecclesiam meam, columbam meam, oves » meas. Paulus dicit: Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est » a Deo tamquam Aaron. In parte tua quis praeficitur, nisi quem aut gra- » tia exhausto foenore, vel munus a manu, vel munus a lingua, vel mu- » nus ab obsequio attraxerit? Quis moribus, quis honestate, quis vitae in- » tegritate eligitur? Persequendi sunt itaque Lupi; etc. » Et in ipso libri II. exordio » Opitulante, *inquit*, Domini nostri clementia, qui nos, et ser- » mones nostros suo mirabili nutu regit atque disponit, accingimur respon- » dere his, qui dicunt, Regali Potestati Christi Ecclesiam subjacere, ut ei » pro suo libito, vel prece, vel pretio, vel gratis, liceat Pastores impo- » nere: ejusque possessiones vel in sua, vel in cujus libuerit jura trans- » ferre. » Eadem fere habent Sigismundus Monachus in *Chronic. Augustan. lib.* 2. *c.* 4. apud Struvium *rer. German. Script. pag.* 667. *t.* 3. *ed. Ratisb.* 1726., et Germaniae Episcopi, qui ea de re adversus Henricum V. coram Paschali II. P. graviter conquesti sunt, uti tradit Helmoldus in *Chronic. Slavor. lib.* 1. *cap.* 32. apud Leibnitium *Script. Brunsvic. t.* 2. *p.* 564. *ed. Hanov.* 1710. Idem narrant Guillelmus Malmesburiensis *de gestis Reg. Anglorum lib.* 2. *pag.* 226. *seqq. int. rer. Anglic. Script. edit. cit.* Guillelmus Archiepiscopus Tyrius *Histor. lib.* 1. *c.* 13. *p.* 17. *ed. Basil.* 1549. Gesta Trevirensium Archiepiscoporum apud Martenium *veter. Script. collect. t.* 4. *pag.* 174. *num.* 30. *edit. Paris.* 1724. Humbertus Cardinalis *adversus Simoniacos* praesertim *lib.* 3. apud eumdem Martenium *Anecdot. tom.* 5. *col.* 637. *seqq. edit. Paris.* 1717. Ebbo *in vit. Othonis Bambergensis*, qui in Henrici IV. aula vixit, *lib.* 1. § 8. *et* 9. *in act. SS. mensis Jul. tom.* 1. *pag.* 426. » Nec multo » post, *inquit*, annulus cum virga pastorali Bremensis Episcopi ad aulam » regiam translatus est. Eo siquidem tempore Ecclesia liberam electionem » non habebat... sed cum quilibet antistes viam universae carnis ingressus » fuisset, mox Capitanei civitatis illius annulum, et virgam pastoralem ad » palatium transmittebant, sicque regia auctoritate, communicato cum au- » licis consilio orbatae plebi idoneum constituebant praesulem .... Post pau- » cos vero dies rursus annulus, et virga pastoralis Bambergensis Episcopi » D. Imperatori transmissa est. Quo audito, multi nobiles .... ad aulam re- » giam confluebant, qui alteram harum prece, vel *pretio* se comparare » tentabant. » Quis denique ignorat schisma, quod an. 1063. eam ob rem

Florentiae exarsit inter Episcopum, cujus pater, homo simplex, se ter mille libras Regi solvisse confessus est, et Monachos quos inter S. Joannes Gualbertus principem locum obtinebat? Hujus schismatis comprimendi causa S. Petrus Damiani ab Alexandro II. Florentiam missus est, sicuti in illius vita narratur *opp. S. Petri Damiani tom.* 1. §. 6. *pag. XLVI. edit. Venet.* 1743.

(2) Decretum ipsius Gregorii, quo proscriptae sunt laicorum investiturae per annulum, et baculum latum est in secunda synodo Romae ab eodem habita an 1075. *tom.* 12. *Concil. Labbaei col.* 578., posteaque confirmatum in V. Synodo an. 1078. *can.* 2. *col.* 620. et in VII. an. 1080. *can.* 1, *et* 2. *col.* 635. Illud non omittendum, quod in aliqua ex Synodis Romanis, quas habuit S. Gregorius VII., editus fertur ejus *Dictatus*, quo nomine propositiones quaedam, et effata significantur, quemque describit Labbaeus *tom.* 12. *Concil. col.* 340. Eum commentitium esse arbitrantur Pagius *in Baronium ad an.* 1077. *num.* 8. *tom.* 17. *pag.* 453. *seqq.*, et Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec. XI. et XII. dissert.* 3. *tom.* 7. *pag.* 271. *seqq.* Contra Gregorio revera adscribendum putat Cajetanus Cennius *dissert.* 5, *tom.* 1, *pag.* 163. *seqq. edit. Pistorii* 1778.

(3) Victor III. in Synodo Beneventana an. 1087. *tom.* 12. *Concil. col.* 710., Urbanus II. in Synodo Melfitana an. 1089. *ibid. can.* 8. *col.* 781. et in Claromontana an. 1095. *ibid. can.* 16. *col.* 831., denique in Romana an. 1099. *ibid. can.* 15. *col.* 959., Paschalis II. in Guastallensi an. 1106. *ibid. col.* 1127., in Trecensi an. 1107. *tom.* 12. *ibid. col.* 1136., cujus canones describit Martenius *vet. Scriptor. tom.* 7. *pag.* 67., ac in duabus Lateranensibus an. 1110. et 1112. apud eumdem Labbaeum *tom.* 12. *col.* 1149. *et* 1163. investituras damnarunt.

(4) Investiturae, quales ea aetate usurpabantur, primum adhiberi coeperunt a duobus Othonibus, atque a S. Henrico Imperatoribus, et hoc quidem earum initium constituit Humbertus Cardinalis *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 7, *pag.* 780. *et cap.* 11. *pag.* 787. Adamus Bremensis *Histor. Eccles. lib.* 1, *cap.* 32. *et* 39. *pag.* 10. *et* 12. apud Lindembrogium *Scriptor. Septemtrion.* tradit, saeculo nono Ludovicum Pium novis Episcopis jus fruendi bonis Ecclesiarum, quibus praeerant, per baculum concessisse. Sed forte ipse secundum suae aetatis, hoc est saeculi undecimi, consuetudinem de rebus temporum superiorum loquutus est. Nam saeculo nono Episcoporum electiones fere ubique fiebant ex veteri more, quem supra descripsimus, ideoque ejusmodi investitura nihil opus erat. Adde quae contra Adamum animadvertit Daniel Papebrochius *in Actis Sanctor. tom.* 1, *Februar. p.* 557. Itaque investiturarum origo ab Othonibus repetenda videtur; et in his quidem toleratae fuerunt, propterea quod plures Episcopatus fundaverant, eosque multis bonis, reditibusque ditaverant, dabantque operam diligentem, ut tantum qui essent Episcopatu digni eumdem obtinerent. Praeterea non sacram jurisdictionem, quae unius Ecclesiae propria est, sed temporalia bona, et regalia concedebant, et vero concedebant sine ullo vitio, ac simoniae nota. Cum autem Gregorius VII. unum post saeculum floruerit, ratio illa investiturarum ea aetate recens habebatur; ac merito ab eodem Pontifice proscripta est, cum et vetustae Ecclesiae consuetudini repugnaret, ac per eam duo Henrici sacram potestatem usurparent, et quaestui haberent ecclesiasticas dignitates. Sunt qui investiturarum initia repetunt ab Adriano I. P., quem ajunt in Carolum M. jus contulisse eligendi Romanum Pontificem, Sedemque Apostolicam ordinandi, dandique Episcopis investituras, ita ut eorum nemo sine iis consecrari posset: quo exemplo idem

privilegium, eamdemque facultatem Leo VIII. Othoni fertur concessisse. Sed fabula haec est, quam etiam Gratianus descripsit imprudens *can.* 22. *et* 23. *dist.* 63. Nam hujus rei, de qua ne nuum quidem verbum faciunt Auctor Pontificalis, Eginardus, aliique antiqui Scriptores, qui res gestas Caroli M. literis consignarunt, inventor, et architectus fuit Sigebertus, qui eam retulit in fine suae chronographiae an. 1111., ut Henrici, cui se totum addixerat, partes tueretur: seu potius, ut videtur Pagio, ac Petro de Marca, alius homo schismaticus, qui hoc commentum Sigeberti operi adjecit. Quod gravissimis argumentis ostendunt viri eruditi, praesertim Christianus Lupus *cit. dissert. de laic. Antist. investit. cap.* 1. *opp. tom.* 4. *pag.* 156., Baronius *ad an.* 774. *num.* 10. *tom.* 13. *pag.* 102. *seqq.*, Petrus de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 8. *cap.* 12. *num.* 4. *seqq. pag.* 446., Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec. VIII. cap.* 1. *art.* 9. *tom.* 6. *pag.* 11., Rupprechtus *cit. dissert. num.* 71. *pag.* 118. Praecipua haec sunt, quod nulla ejus rei mentio est penes antiquos scriptores; quod investiturae vocabulum ad significandam Episcoporum institutionem Caroli M. aetate recentius est; quod Adrianus, quemadmodum ibi narratur, nullum attribuit Carolo Patriciatum, quoniam Stephanus III. eum cum Pipino patre, et Carolomanno fratre Patritium Romanum appellaverat, quod credibile non est, tam multa, quae ibi narrantur, Carolum brevi temporis intervallo conficere potuisse; quod commentitio illo jure eligendi Romanum Pontificem neque Carolus, neque ejus filii umquam usi sunt; quod denique post quatuor decemque annos, quibus privilegium illud concessum tradit Sigebertus, Adrianus in epistola ad Carolum M. data an. 787. indicat ejusdem Imperatoris desiderium, ut suis Missis praesentibus Ravennatis Episcopi electio absolvatur. Respondet Pontifex id numquam factum fuisse, sed vivo etiam Pipino Rege illud semper fuisse in ejus gentis more, institutoque positum, ut *decreto cleri, atque populi* ad Apostolicam Sedem perlato ab ea Episcopus consecrandus peteretur. Quod omnem adimit commentitio privilegio fidem. Nec praetereundum, quod anno, qui idem privilegium proxime consequutus est, ipse Adrianus ad Carolum scribit; *factas a se Episcoporum in regno Longobardico a Carolo nuper subacto constitutorum ordinationes, post cleri, et plebis decretum ad se missum.* Ergo jus investiendi, sive instituendi Episcopos in Synodo Romana Carolo concessum non fuerat. Quod si antiquiori aetate aliquos Episcopos a laicis institutos fuisse, proditum memoriae est, id factum fuit injuria, et cum abusu potestatis, uti de Bonito narrat S. Petrus Damiani *opusc.* 19. *cap.* 1. *et opusc.* 20. *cap.* 2 *opp. tom.* 3. *pag.* 212. *et* 222. *edit. Venet.* 1743. » Nec » te, felix Bonite, praeter eam, qui hac dumtaxat occasione percepta, quo» niam de manu Regis, laici videlicet hominis traditionem Ecclesiae te » suscepisse contigerat, cathedram contempsisti, atque ad remotioris vitae » custodiam te protinus contulisti. »

(5) Prae ceteris Angliae Rex Henricus I. ab se retinendas investituras magnopere contendebat; sed ei vehementer restitit Summus Pontifex Paschalis II., ad quem ipse legatos misit, ut regni mores ea in re servari pateretur. Sed nihil proficere potuit, firmiter repugnante Pontifice; donec post grave dissidium res omnis ea lege composita est, ut Rex investituras dare prohiberetur, ac tantum *dominium* ab Episcopis pro feudis, sive regalibus acciperet. Videndus S. Anselmus Cantuariensis, qui Summi Pontificis sententiam, partesque sequebatur, et hujusmodi investituras detestabatur, uti patet ex ejus *epist.* 59. 73. 88. 100. *lib.* 3. *pag.* 389. 393. 398. 404. *et ep.* 4. *lib.* 4. *pag.* 428. *edit. Paris.* 1675., et videndus, qui rem

omnem narrat; Eadmerus perpetuus S. Anselmi Comes *Histor. novor, lib.* 3. *in calce opp. ejusdem Anselmi pag.* 57. De his investituris in illa dissensione, motuque animorum quaesitum est, num eae viderentur haeresim continere, quae sententia fuit Goffridi Abbatis Vindocinensis *opusc.* 2. *et* 3. apud Sirmondum *opp. var. tom.* 3. *pag.* 586. *seqq. edit. Venet.* 1728. Contra S. Ivo Episcopus Carnotensis, a quo ipse Goffridus Abbas inauguratus fuit, quamquam easdem non ferendas existimet, tamen in iis haeresim fuisse negat *ep.* 236. *opp. par.* 2. *pag.* 100. *edit. Paris.* 1647. Inquit autem » Si quis vero laicus ad hanc prorumpit insaniam, ut in » datione, et acceptione virgae putet se tribuere posse sacramentum, vel » rem sacramenti ecclesiastici, illum prorsus judicamus haereticum, non » propter materialem investituram, sed propter praesumptionem diabolicam. Si vero congrua volumus rebus nomina dare, possumus dicere, » quod manualis illa investitura per laicos facta, alieni juris est pervasio, et sacrilega praesumptio, quae pro libertate Ecclesiae, et honestate, salvo pacis vinculo, si fieri potest, funditus abscindenda est » Videndi ea de re sunt Natalis Alexander *loc. cit. art.* 12. *pag.* 324., et Christianus Lupus *loc. cit. pag.* 161. *cap.* 3.

(6) Henrici abdicatio; et Calixti concessio extant in Concilio Lateranensi I. *tom.* 12. *Concil. Labbaei col.* 1338. *et* 1339.

(7) Humbertus Cardinalis *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 6. *col.* 779. » Quid ad » laicas pertinet personas, *inquit*, sacramenta ecclesiastica, et Pontificalem, seu Pastoralem gratiam distribuere, camyros scilicet (*curvos nimirum, et leviter a summo inflexos*) baculos, et annulos, quibus » praecipue perficitur, militat, et innititur tota Episcopalis consecratio? » Equidem in camyris baculis .... designatur, quae eis committitur, cura » pastoralis .... Porro annulus signaculum secretorum caelestium indicat, » praemonens praedicatores, ut secretam Dei sapientiam cum Apostolo » designent .... Quicunque ergo his duobus aliquem initiant, procul dubio omnem pastoralem auctoritatem hoc praesumendo sibi vindicant „

§. X. Acta haec sunt omnia saeculo XII.; at saeculo XIII. primum Otho IV., deinde Fridericus II., postremo Rodulphus I. omni se, quod habere putabant, jure, et auctoritate in Episcoporum electionibus abdicarunt (1). Ita ea tempestate Episcoporum electiones libere factae sunt a Capitulis Ecclesiarum cathedralium; sed eas lapsu temporum Romani Pontifices justissimis de causis sibi ipsis reservare debuerunt. Removenda nimirum erant mala gravissima, quae in easdem electiones irrepserant, cum ambitio, et pecunia ubique dominaretur, ac saepe Ecclesia diu careret Pastore suo propter studia partium, ex quibus odia, dissidia, ac discordiae nascebantur (2). Erat omnino Summi Pontificis, cui jure divino credita est totius Ecclesiae gubernatio, curare diligenter ut res summi momenti, qualis est electio eorum, qui Christi Ecclesiae praeficiuntur, secundum divinas, atque ecclesiasti-

cas leges absolveretur, ratioque haberetur meritorum, atque ab ea procul essent ambitio, simonia, dissensiones, cetera, quae rem tam gravem vitiis inficiunt.

(1) Sacramentum ab Othone emissum, quod refert Raynaldus *ad an.* 1209. *num.* 10. *tom.* 1. *pag.* 281. *edit. Lucae* 1747. his est conceptum verbis „ Illum igitur abolere volantes abusum, quem interdum quidam Prae» decessorum nostrorum exercuisse dicuntur, in electionibus praelatorum, » concedimus, et sancimus, ut electiones praelatorum libere, ac canoni» ce fiant, quatenus ille praeficiatur Ecclesiae viduatae, quem totum Ca» pitulum, vel major, et sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummo» do nihil ei obstet de canonicis institutis » Iisdem utitur verbis Fride» ricus apud eumdem Raynaldum *ad an.* 1213. *num.* 24. *pag.* 340. *d. tom.* 1.; et iisdem etiam Rodulphus *ibid. ad an.* 1275. *num.* 38. *tom.* 3. *pag.* 386. Alia ejusdem rei monumenta collegit Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. lib.* 2. *par.* 2. *cap.* 37. *pag.* 249. *tom.* 2.

(2) Multa in corpore Juris Canonici referuntur testimonia dissidiorum, quae in electionibus oriebantur. Leo X. *in Constit. Primitiva* §. 6. *tom.* 3. *par.* 3. *pag.* 434. *edit. Mainardi*, quae complectitur concordata Galliae, ex his causis repetit Episcopatuum reservationes; et apposite Innocentius III. apud Sanmartanos *Gallia Christiana tom.* 1. *pag.* 520. *edit. Paris.* 1656. post descripta vitia gravissima, quae in Episcoporum electionibus dominabantur, inquit » ne si denuo restitueremus vobis licentiam eligendi, denuo Aposto» lica licentia abutentes Rhemensem scinderetis Ecclesiam » Atque haec quidem dissidia, et hae turbae una cum ceteris electionum vitiis, uti ostendit Thomassinus *loc. cit. cap.* 33. *pag.* 238. *seqq.*, ex populi factionibus oriebantur, et saepe etiam in caedes erumpebant, adeout in Ecclesiis quibusdam Episcoporum electiones intermittere oportuerit, quod in Ecclesiis Bituricensi, Lugdunensi, Burdegalensi, Carnotensi evenisse constat. Rem hanc testatissimam facit canon I. Concilii Bituricensis anni 1276. *tom* 14. *col.* 574. *collection. Labbaei*, cui praefuit Legatus Pontificius, a quo anathematis poena indicta est adversus tantorum facinorum auctores » Mul» titudine populi, *inquit*, per iniquitatis filios concita, in electores im» petum faciente, electiones ipsae in nonnullis Ecclesiis impediuntur totaliter » Alias quoque poenas constituit haec Synodus contra eorum criminum reos; quae poenae renovatae fuerunt in Concilio Auscensi anni 1279. *ibid. col.* 602.

§. XI. Hinc reservationum initia repetenda sunt. Neque vero Summi Pontifices aliquid de alieno jure usurparunt, uti jactant homines in Sedem Apostolicam male animati, sed potius repetiere jus suum, quod Ecclesiae solicitudo, ac ratio temporum repetere coegerunt. Nam jus constituendi Episcopos, quod initio proprium erat omnium Apostolorum, in solo Petro, uti demonstratum supra est, ordinarium fuit, ideoque migravit ad ejus vicarios (1), qui eadem habent jura Primatus, quae vivens habebat Petrus, quaeque Christus ad conservandam unitatem in Ecclesia perpetua esse voluit. Quae in

electionibus datae sunt partes populo, Clero, Episcopis provinciae, Matropolitis, dari debuerant cum consensu, et auctoritate Summorum Pontificum, qui jus a Petro transmissum una cum Primatu aliis concedere voluerunt. Cum hi omnes concessa sibi potestate abusi sunt, cum leges despexerunt in electionibus observandas, cum in iis dominari coepit ambitio, simonia, studia partium, dissidia, ut gravia haec mala averterentur, Episcoporum creatio ad eum redire debuit, in quo hoc jus semper haeserat, et a quo potestas omnis in inferiores derivata fuerat (2). Ita *jure devolutionis* (3), justissimisque de causis, rursus exercere coeperunt potestatem, cujus aliis usum, non abusum dederant. Quid quod etiam stante vetusta illa disciplina, quam memoravimus saepe Romani Pontifices suo lubitu Episcopos constituerunt? Ex quo manifestum est, eos non ita suo se jure abdicasse, ut non illud, cum vellent, repeterent, atque exercerent suo arbitratu (4).

(1) Vetus est, et a multis usurpata *Vicarii Petri* appellatio, qua Romanus Pontifex designatur. In Pontificali Romano *par.* 1. *de consecrat. elect. in Episc.* Summus Pontifex *Petri Vicarius* dicitur; eadem occurrit formula in sacramento, quod a schismate recedentes praestare debent, apud Gratianum *can.* 9. *caus.* 1. *quaest.* 7. eademque etiam *in Libro diurno Rom. Pontif. Cap.* 3. *tit.* 8. *pag.* 69 *edit. Garnerii Paris.* 1680., ubi Bonifacius Moguntinensis Episcopus Gregorium P. vocat *B. Petri vicarium.* Alia ejus rei exempla post Baluzium collegit Catalanus *ad Pontifical. Roman. tit.* 18. §. 8. *not.* 2. *tom.* 2. *pag.* 195. *edit. Romae* 1738. Neque vero haec appellatio quidquam detrahit de auctoritate Romani Pontificis, quasi ipse inferiorem Petro gradum, ac dignitatem obtinere videatur. Nam Vicarius idem est ac successor, eoque nomine designatur, qui parem cum eo, cui succedit, tum dignitate, tum auctoritate jure successionis locum est consequutus. Ita S. Cyprianus *ep.* 67. *p.* 280. *ed. Maurin. Venet.* 1758. Stephanum Pontificem Cornelii, et Lucii *vicarium* appellat, quod ipsis in Pontificatu maximo successisset. Alia ejusdem generis exempla collegerunt Petrus Ballerinius *de vi et auctor. Prim. Rom. Pontif. cap.* 1. *num.* 3. *pag.* 3. *edit. August. Vindelic.* 1770. *et* Cl. Cardinalis Borgia *Vaticana Confessio pag.* 198. *not. a et de Cruce Veliterna pag.* 24. *not.* 6. Ac jure quidem et merito singularis illa appellatio ad designandum Romanum Pontificem usurpata est Cum enim omnes olim Episcopi *Christi Vicarii* dicerentur, quoniam Christi creduntur agere vices, sicuti inquit Goffridus Vindocinensis *opusc.* 10. *loc. cit. p.* 597. ut Summus Pontifex a ceteris distingueretur, non modo Christi vicarius, quod nomen omnibus Episcopis commune erat, sed etiam vicarius Petri vocatus est, quod nomen proprium tantum est eorum, qui cum Petro successerint eumdem plane cum illo retinent auctoritatis, et dignitatis locum. Itaque tantum abest, quod eadem appellatio quidquam adimat Summo Pontifici, ut potius eminentem ostendat Petri successorum supra omnes Episcopos auctoritatem et dignitatem.

(2) Petrus Alliacensis, a quo certe omnis procul abest suspicio, quod Romano Pontifici assentari voluerit, in opusculo, quod edidit in Concilio Constantiensi apud Von der Hardt *Conc. Constan. tom.* 6. *pag.* 50. habet haec » Papa jure potuit ordinationes majorum, et electivarum Dignitatum, » ac collationes aliorum beneficiorum sibi, et Apostolicae Sedi reservare, » quia haec antiquissimo jure sibi competebant. Haec etiam non solum jure universali administrationis Papalis potuerunt competere, sed etiam ex » speciali causa, ratione materiae subjectae, utpote quia inferiores in suis » electionibus, et ordinarii collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, et per potentiam laicalem saepe jure suo non libere uti permittebantur, seu aliqua speciali ratione » Consule Cardinalem Gerdilium *Confutazione di due libelli diretti contro il Breve super soliditate tom.* 1. *pag.* 21. 108. *seqq. et* 187., et Benedictum XIV. *Const. in postremo* 64. §. 15. *ejus Bullar. tom.* 4. *pag.* 305. *edit. Venet.* 1758.

(3) Jus devolutionis secundum receptam ubique doctrinam egregie declarat Thomassinus *respons. ad not. Scriptor. anonym. praemis. tom.* 1. *oper. de vet. et nov. Eccles. disciplin.* » Ubi jus *inquit*, ab inferiori ad » Superiorem devolvitur, verbi gratia a Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, a Metropolitano ad Primatem, non accipit ab » inferiori, non usurpat in inferiorem Superior, non facit injuriam inferiori Superior, non repetere potest a Superiori inferior . . . . . . » Ratio porro ista potiundae potestatis alicujus oppido magnificentissima est. » Solemne est enim, jura omnia ad Superiores ab inferioribus devolvi, » et omnium prorsus spiritualium Potestatum jura ad Summum Pontificem » devolvi posse, quia summus omnium vertex est. Nec flocci ergo facias » jus devolutionis, quo splendidius aliud vix fingi potest. Si autem haec » jura a Conciliis provincialibus ad Romanum Pontificem devolvuntur, quia » summus omnium vertex est; perperam ergo inde infertur, quod ea ex » sese non habeat, quod ea usurpet, quod contrario usu possit amittere » Scripserat autem paulo supra » non ergo eam potestatem a Conciliis provincialibus vel accepit, vel extorsit Romanus Pontifex: sed quam semper habuerat, semper alicubi exercuerat, eam supersedentibus conciliis » provincialibus coepit ubique terrarum solus exercere »

(4) Multa hujusmodi exempla sunt, quorum aliqua indicabo, ne alm longo sermone molestior. Porro a Sixto Pontifice septem in Gallia Episcopos constitutos fuisse narrat Gregorius Turonensis *Histor. Franc. lib.* 1. *cap.* 28. *col.* 23. *edit. Paris.* 1699., ab eodemque Pontifice *primum ad Rhemensem Metropolim directum* fuisse Sixtum, scribit Hincmarus *opusc.* 33. *cap.* 16. *pag.* 431. *opp. tom.* 2. *edit. Paris.* 1645. Caelestinus Scottis Episcopum dedit Palladium, eoque vita functo Patritium, sicuti tradunt Prosper *lib. cont. collat. cap.* 21. *num.* 58., et Beda *Histor. gen. Angl. lib.* 1. *cap.* 13. *pag.* 55. *edit. Cantabrig.* 1643. Huc etiam referenda sunt quae de duobus Episcopis a Summo Pontifice in Africam missis, dum Caeciliani causa ageretur, dicta sunt, quaeque similiter a S. Gregorio M. in Ravennatensi, et Ariminensi Ecclesia gesta narravimus *tit.* 6. §. *IV. not.* 4. *pag.* 57. Neque in sola Italia a Romanis Pontificibus constituti Episcopi videri possunt. Nam, etsi cetera deessent argumenta, vel illud, quod memoriae prodidit Auctor Pontificalis, rem omnem conficit. Narrat enim Sylvestrum *fecisse per diversa loca Episcopos septuaginta quinque*, Damasum *septuaginta duos*, Innocentium I. *quinquaginta quatuor.* Quis credat, his Pontificibus vivis tot in sola Italia Episcopatus vacare potuisse? Rursus Sixtus III., qui no-

vem annos Pontificatum obtinuit, Episcopos ordinavit *quadraginta sex*, Coelestinus *quinquaginta duos*, Leo M. *centum octuaginta quinque*, et ex his duobus, alter octo, alter autem viginti annos, pontificia dignitate potitus est. An est credibile intra annos triginta septem in sola Italia ducentos atque octuaginta Episcopos fuisse constitutos? Suo igitur jure usi sunt Romani Pontifices, eum justis de causis repetierunt facultatem aliis datam; quemadmodum nulla esset querelarum causa, si qui Pontifex repetere voluisset quod a Gregorio M., deincepsque ab Honorio I. Londinensi, et Eboracensi Archiepiscopis concessum scribit Beda *Histor. Angl. lib.* 2 *cap.* 18. *p.* 152., ut non Romae, sed in suarum Ecclesiarum synodis consecrarentur » ne sit necesse ad Romanam usque Civitatem per tam prolixa terrarum, et maris spatia pro ordinando Archiepiscopo semper fatigari » » Id postremo animadvertam, quod est definitum a Concilio Tridentino *sess.* » 25. *can.* 8. » Si quis, *inquit*, dixerit, Episcopos, qui auctoritate Ro» mani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros Episcopos.... » anathema sit » Itaque si a Concilio tamquam catholicum dogma definitum est, veros, ac legitimos esse Episcopos, qui a Summo Pontifice creati sunt, facile intelligitur, legitimam esse Pontifici creandorum Episcoporum potestatem, sine qua illi veri, ac legitimi Episcopi haberi non possent. Confer Hallierum *de sacr. elect. par.* 3. *lib.* 1. *sess.* 5. *cap.* 4. §. 1. *num.* 18., *et art.* 3. §. 6. *num.* 45. *et* 55. Bertium *de theolog. disciplin. lib.* 36. *cap.* 13. *num.* 8., et Cardinalem Gerdilium *Confutazione di due libelli contro il Breve Super soliditate tom.* 1. *pag.* 12. *et seq.*

§. XII. Initio Clemens V. Sedi Apostolicae reservavit Ecclesias, quae Clero, et populo Christiano carent (1), itemque Ecclesias, quarum Episcopi ex hac vita migrant, dum in Romana Curia versantur (2). Benedictus XII., praeter Episcopatus in Curia vacantes, alias etiam reservationes fecit (3). Denique post editas Regulas Cancellariae generatim Summo Pontifici servata est collatio omnium Cathedralium Ecclesiarum. Qua de re gravia in Ecclesia dissidia exarserunt, quae denique sublata sunt per *concordata*, hoc est pacta conventa inter Sedem Apostolicam, et potentissimos Europae Principes.

(1) Clement. *in plerisque* 5. *de elect.*
(2) Extravag. 3. *etsi in temporalium de Praeben. int. communes.*
(3) Extravag. 13. *ad regimen eod. tit.*

§. XIII. Nicolaus V. ita cum natione Germanica rem composuit, ut in Germania Episcopi a Canonicis eligantur, atque electi deinceps a Summo Pontifice confirmentur (1). Leo X. abrogata pragmatica sanctione, quam Carolus VII. in conventu Bituricensi ediderat adversus pontificias reservationes, Galliarum Regi permisit nominationem idonei viri, qui tamen a

Summo Pontifice in Consistorio creandus esset Episcopus Ecclesiae, ad quam fuerat nominatus (2). Denique alia etiam inita sunt pacta, sive concessa indulta, et privilegia Regibus Hispaniarum, Lusitaniae, Pannoniae, aliisque Principibus, qui nunc secundum pacta conventa pro cathedralibus Ecclesiis ditionum suarum vel nominationem habent, vel praesentationem, vel supplicationem, ut Pragmatici loquuntur, pro viris idoneis, et Episcopatu dignis (3). Ceteri Praelati Episcopo inferiores vel saeculares, vel regulares aut nominantur a Principibus, ut eos Pontifex confirmet, vel eliguntur a collegio illorum, quibus praesunt.

(1) Concordata Germaniae a Nicolao V. comprobata fuerunt in Bulla *ad sacram*. 1. *tom*. 3. *par*. 3. *pag*. 61. *Bullar. Mainardi*.

(2) Vide Leonis X. Bullam *Pastor aeternus* 21. *ibid. pag*. 430. *seqq*., qua abrogatur Pragmatica sanctio, et Bullam *Primitiva pag*. 433. qua comprehenduntur pacta conventa inter Leonem X., et Franciscum I. Galliarum Regem.

(3) Consule Rigantium *ad Regulam* 2. *Cancell*. §. 1. *per tot*., ubi omnia inter Sedem Apostolicam, atque Europae Principes pacta conventa, eisque concessa indulta, et privilegia accurate recensentur.

§. XIV. Electio, ut rata firma sit, convenire debet cum praescriptione canonum, a quibus de ejus recte expediendae ratione multa sunt constituta. Ergo defuncto, ac sepulto Episcopo, cui dandus est successor (1), qui Capitulo praesidet, vel per epistolam, vel per nuncium vocare omnes debet, quibus eligendi jus est, atque electio intra trimestre absolvenda est, quo elapso, jus eligendi devolvitur ad proximum superiorem (2). Vocandi sunt autem non modo qui praesentes, sed etiam qui absentes sunt, quique *interesse debent*, *volunt*, *et commode* possunt (3); quales habentur omnes, qui in provincia commorantur. Non enim necesse est vocare eos, qui extra provinciam sunt, cum praesertim valde distant, ita ut statuto loco, ac tempore convenire ad electionem faciendam nequeant (4). Qui neglectus fuit, cum et posset, et vellet electioni interesse, etiam si vel unus sit, is merito suam proponere judicio querelam potest, ut electio irrita declaretur (5); nisi forte certior electionis factus in electum consenserit. Nihil attinet vocare eos, qui venire nolunt, quoniam ne-

mo invitus ad veniendum cogendus est, nisi cogat Ecclesiae necessitas, vel lex, aut consuetudo (6), itemque eos, qui nequeunt venire, quique inutiliter vocarentur.

(1) Cap. 36. *de. election.*, *can.* 4. *c.* 8. *q.* 1., *can.* 7. *dist.* 79. Mihi vero non displicet sententia Glossae, quae placuit etiam Gonzalezio, qui ait *in d. cap.* 36. irritam fuisse judicatam electionem, quod unus ex electoribus contemptus fuerat, adeout ea vim habere debuisset, si tantum ante sepultum defunctum Episcopum fuisset absoluta.

(2) Cap. 41. *de elect* Olim eligendi tempus semestre erat, uti patet ex *Novella* 123. *cap.* 1,

(3) Sic Innocentius III. in *Cap.* 42. *de elect.*

(4) Verum et longius absentes vocandi sunt, cum vocari commode, atque accedere ad locum electionis possunt. *Cap.* 18 *de election.*, ubi videndus est Gonzalezius.

(5) Cap. 28. *eod. tit.* Ergo ipso jure irrita non est electio, sed ut irrita declaretur, opus est querela ejus, cui per contemptum injuria illata est. Cum enim de privato negocio agatur, nisi is, cujus interest, jus suum prosequatur, Judex officium suum ordinarie impertiri non potest. *L. dies* 4. §. *hoc autem ff. de damn. infect.*

(6) Nam suo se jure abdicare quisquis potest, nisi in re aliqua peculiari aliud lege, vel consuetudine cautum sit. *Cap.* 6. *de privileg.*

§. XV. Omnes, qui e gremio Capituli sunt, jus habent eligendi, exceptis furiosis, et amentibus, in sacris non constitutis (1), suspensis (2) personali interdicto (3), aut majori excomunicatione irretitis (4), canonicis supra numerum (5), carentibus aetate, quam Statuta postulant (6): denique prohibetur quis semetipsum eligere (7). Quidam etiam ad tempus amittunt eligendi potestatem, et hi sunt, qui inter eligentes laicorum suffragia admiserunt, quae electio nullius momenti est (8), praeterea negligentes eligere intra tempus a lege definitum, et canonicam in eligendo formam contemnentes (9), et indignum scienter eligentes (10). Quae potestas pro ea vice, qua ii deliquerunt, defertur ad reliquos canonicos non delinquentes, et si omnes deliquerint, statim delabitur ad Summum Pontificem; si tantum neglexerint, ad proximum Superiorem (11).

(1) Clement, 2. *de aetat. et qualit. et ordin. praeficien.*

(2) Confer. Schmalzgrueber *Jus eccles. univers. lib.* 1. *tit.* 6. §. 1. *n.* 9., et Pirhing, *Jus Canon. lib.* 1. *tit.* 6. *sect.* 1. *num.* 30., a quibus explicatur genus suspensionis, quae canonicos a jure eligendi repellit.

(3) Vide Schmalzgrueber *loc. cit.*

(4) Cap. *postulatis*, et Cap. *ult. de Cler. excommun, ministran;* Sed

(7) Cap. *quicunque* 2. §. *haeretici*, et Cap. *statutum* 15. *de haeretic. in* 6.

(8) Cap. *Quia diligentia* 5. *de elect.*

(9) Cap *quisquis* 43. *eod. tit.*

(10) Huc referendi sacrilegi *argum. cap. venerabilem* 34. *hoc tit.* quia hi et ab aliis legitimis actibus repelluntur *can. nulli* 11. c. 3. q. 4., qui in Apostolicis literis falsi crimen admiserunt *Cap. ad falsariorum* 7. *de crim. fals.*, qui palam, ac manifeste usuras faciunt, quoniam hi ne ordinandi quidem sunt *Can. de Petro* 4. *dist.* 47. *Cap. inter dilectos* 11. *de excess. Praelat.*, Perjurii, quoniam hi ne digni quidem sunt qui Ecclesiam regant *Cap. querelam* 10. *de jurejur.*, qui se frequenti sodomiae crimine inquinarunt, quoniam hi privantur etiam beneficio, ac dignitate jam acquisita: S. Pius V. *Constit. Horrendum* 95. *tom.* 4. *par.* 3. *Bullar. pag.* 33.

(11) Cap. *postulatis* 7. *et cap. ult. de Cleric. excommun.*

(12) Cap. 9. *Cit. et Cap. cum bonae* 8. ibique Glossa *verb. suspensus de aetat. et qualit.* et Glossa *in cap. cupientes* 16. §. *ceterum verb. beneficiis de elect. in* 6.

(13) Cap. *ult. de Cleric. excomm. Cap. ad haec* 1. *de postulat. Praelat. Cap. is qui* 18. §. *is vero de senten. excommun. in* 6.

(14) Sive juris, sive facti infamia sit, qui ea laborant ab Episcopatu repelluntur, quoniam his hominibus portae dignitatum patere non debent *Cap. inter dilectos* 11. *de excess. Praelat. L. un. Cod. de infamib. L. neque.* 2. *Cod. de dignit.* Verum qui tenentur infamia facti eligi possunt, postquam recta, et probata vivendi ratione animi sordes eluerunt; sed qui tenentur infamia Juris non possunt, nisi primum a Judice infamiae poena removeatur.

(15) Cap. 54. *de elect.*

(16) Concilium Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 2. *de reform.*

(17) Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.*

(18) Cap. 25. et 26. *de elect.*

§. XVII. Statuta die fit electio, vocatis Canonicis per signa consueta aut per nuncium, aut campanae sonitu, aut viva voce, uti ferunt locorum mores, et consuetudines, eaque, ut plurimum, absolvitur in templo cathedrali (1). Facta vocatione, datoque signo, canitur Missa de Spiritu S., ac deinde, emisso primum a singulis jurejurando de eligendo illo, qui omnium dignissimus judicatur, proceditur ad electionem etiamsi non omnes vocati accesserint; qui autem accesserunt per modum collegii rem totam expedire debent, ut actus vere capitularis habeatur (2). Absentes per literas suffragium ferre non possunt (3), possunt tamen per procuratorem, modo in provincia versentur, et justum habeant impedimentum, quominus ad cathedralem Ecclesiam accedant, atque unum de collegis constituant (4). Qui quidem procurator duos elige-

re non potest, alterum suo, alterum ejus, a quo mandatum accepit, nomine, propterea quod utroque eligere debet quem dignissimum judicat; nisi mandans certum designarit hominem, qui suo nomine eligatur (5). Quin etiam plures dari procuratores possunt, ita tamen ut singulis in solidum id munus committatur, adeout probetur ejus suffragium, qui prior negocium occupavit. Extraneus vero, qui e collegio non est, procurator constitui non potest, nisi Capituli consensus accedat (6).

(1) In Cap. 14. *de elect.* nullus certus designatur locus, in quo fiat electio, sed tamen cautum est, ut *electores in unum locum, in quo fuerit electio celebranda, conveniant.* Itaque ea in re videndum est, quid singularum Ecclesiarum more, et usu receptum sit; quamquam, ut plurimum, in Ecclesia Cathedrali fieri electio soleat.
(2) Cap. 55. *de elect.*
(3) Cap. 46. *de elect. in* 6.
(4) Cap. 42. §. 1. *de elect.*
(5) Cit. Cap. 46. *de elect. in* 6.
(6) Bonifacius VIII. *in cit. cap.* 46. extraneum admittendum negat, si Capitulum dissentiat; ex quo a contrario sensu argumentatur Glossographus, eum consentiente Capitulo admitti posse.

§. XVIII. Ipsa electionis forma triplex est, videlicet per *scrutinium*, per *compromissum*, per *quasi inspirationem* (1). Fit *scrutinium* cum tres a collegio sumuntur integrae fidei scrutatores, quorum officium est singulorum suffragia secreto, et solerter inquirere, eaque scripto excipere, cum viva voce lata sunt. Quae suffragia singillatim a singulis, non conjunctim a pluribus, justoque ordine colligenda sunt, adeo ut scrutatores invicem a seipsis suffragia excipiant, deinde a ceteris secundum ordinem, et praerogativam gradus quem unusquisque obtinet; eaque certa, et non *conditionata*, neque *alternativa*, aut ambigua esse debent (2).

(1) Cap. *Quia propter*. 42. *de elect.*
(2) Cap. 2. *eod. tit. in* 6.

§. XIX. Collectis diligenter omnium suffragiis scrutinium in comuni, nimirum in coetu eligentium Canonicorum publicatur, et quidem statim, quae publicatio actum electionis perficit. Tum conferuntur suffragia, et is canonice electus

habetur, in quem major, et sanior pars Capituli consensit (1). Major pars aestimatur respectu habito ad omnes illos, qui eletioni intersunt; et ideo si eorum collegium constet ex. gr. canonicis quindecim, nemo rite electus habetur, nisi octo suffragia obtinuerit (2). Quae major, eadem et sanior Capituli pars censetur, vincitque minorem, nisi aperte constet, illius suffragia in indignum, atque immerentem fuisse collata (3). Quod rectissime a Bonifacio VIII. sancitum est, ut amoveantur concertationes, quae facile oriri possunt, cum diviso capitulo in partes duas, earum quaelibet sese altera saniorem praedicare, eaque de causa pars minor contendere posset, se majori esse praeferendam. Si desit justus numerus suffragiorum, nihil agitur, sed electio consequenti die iteranda est, ac tamdiu repetenda, donec quis a majori parte eligatur.

(1) Unde efficiunt Juris Canonici Interpretes, non tantum suffragiorum numerum esse aestimandum, sed etiam zelum, ut ajunt, cum zelo, et meritum cum merito esse conferendum. Verum nunc ea zeli ad zelum, et meriti ad meritum collatio obsolevit, ac tantum suffragiorum, quae quidem justa, ac legitima sunt, numerus inspicitur, uti monet Giraldus *Exposit. Jur. Pontif. par.* 1. *lib.* 1. *sect.* 46. *tom.* 1. *pag.* 29. Itaque minori parti, quae majoris electioni adversetur, hoc jam unum reliquum est, ut nullitatis causam, si quam habet, judicio proponat, ut electio irrita declaretur. Quod jus est a Bonifacio VIII. constitutum in *Cap.* 9. *de elect. in* 6. cum pars major duplo minorem superat.

(2) Cap. 48. *de elect.*

(3) Cap. 43. §. *in fin. eod. tit. in.* 6.

§. XX. Alter modus eligendi est per *compromissum*, quando ab universo collegio canonicorum, nemine dissentiente, uni vel pluribus ecclesiasticis, probisque viris, etiamsi e collegio non sint (1). electio committitur (2). Forma haec electionis saepe usurpatur, ne aditus relinquatur concertationibus, quae erumpere possunt inter canonicos; ideoque potestas, quae penes totum capitulum est, in unum, pluresve transfertur. Compromissi leges hae sunt. Prima est ut compromissarii nihil agant extra terminos, finesque mandati (3); altera ut iidem nomine non suo, sed totius capituli, imo et singulorum de capitulo eligere intelligantur (4); tertia ut compromissum re integra revocari possit inchoato negocio non possit (5); quarta ut si compromissarii indignum elegerunt,

aut dignum quidem, sed qui electioni assentiri noluerit, jus eligendi redeat ad capitulum, a quo compromissum factum est, nisi idem capitulum, electionis in indignum collatae particeps fuerit; dum contra delabitur ad proximum superiorem, cum intra legitimum tempus electio celebrata non fuit (6); quinta ut eamdem formam, quae a lege praescripta est in electionibus, quae a capitulo fiunt, servare debeant compromissarii, cum plures designati sunt, ita ut a majore, et saniore parte Compromissariorum electus rite et recte electus habeatur; postrema, ut rata firma habeantur, quae cum datis legibus aut ab omnibus compromissariis, aut a plerisque eorum gesta sunt (7). Ceterum quibus data est per compromissum potestas eligendi, iisdem et postulandi potestas data intelligitur, nisi aliud expresse cautum sit (8).

(1) Cap. 8. et 42. ibi Glossa *de election*,

(2) Hanc eligendi formam memorat Innocentius III. *in Cap.* 42. *de election.*, confirmat autem Bonifacius VIII, *in Cap.* 29. *eod. tit. in* 6,

(3) Cap. 32. *de elect.* Atque huc quidem referendum arbitror *cap.* 33. *eod. tit.*, cujus haec species est. Vita functo cujusdam Ecclesiae Decano, electio ad Capitulum pertinebat, idem Capitulum compromissum fecerat in septem canonicos ea lege, ut quem ipsi ex se, vel ex aliis canonicis de gremio ejusdem Ecclesiae, aut omnes concordi sententia, aut eorum plerique Decanum elegissent, is a Capitulo Decanus haberetur. Unus ex septem compromissariis nominatus fuerat a tribus compromissariis, tres alii hominem extra gremium capituli nominaverant; septimus ex compromissariis neminem nominaverat, tantum nominationis suae a tribus factae assensus fuerat. Merito respondit Innocentius III., Decanum esse habendum compromissarium nominatum, modo nullo canonico impedimento a Dignitate repelleretur. Nam mandati lex erat, *ut illum quem* (compromissarii) *ex se, vel aliis de gremio ejusdem Ecclesiae omnes pariter, vel major eorum pars eligerent, idem capitulum reciperet in Decanum.* Igitur tres illi compromissarii, qui extraneum elegerant, mandati fines excesserant, ideoque amiserant eligendi potestatem, quae quasi jure quodam accrescendi migraverat ad reliquos tres, qui compromissi legem observaverant. Quamobrem horum electio jure, et merito probata est. In hoc uno mihi videtur consistere omnis legis ratio; neque assentior interpretibus quibusdam, qui electionem illam unius ex compromissariis ratam firmam habendam putant, propterea quod ipse cum suae electioni a tribus compromissariis factae assensus est, quasi quartum confecit suffragium, atque ita a majori parte electus fuit. Nihil mihi opus esse videtur tam subtili interpretatione, quando res ipsa apertissima est, qualem fuisse testatur ipse Innocentius, qui miratur, quod ipse a Bojacensi Episcopo Juris perito interrogatus fuerit *super quibusdam articulis, qui nihil, aut modicum dubitationis continere noscuntur.* Revera vel nulla prorsus est, vel levissima du-

bitatio esse potest, quod non valeat electio, quae contra mandati leges a compromissariis facta est. Quid quod absurdum est dicere, consensum compromissarii a tribus nominati pro suffragio esse habendum, uti absurdum esset, quemquam semetipsum eligere posse? Et quamquam id dici vellet, tamen controversiam expediret ipse Innocentius, qui compromissarii electionem probat tamquam factam *juxta tenorem compromissi*.

(4) Cap. 30. *de elect.*
(5) Cit. *Cap.* 30.
(6) Cap. 37. *eod. tit. in* 6.
(7) Cap. 8. 30. 32. *de elect.*
(8) Cap. 30. *de elect.*

§. XXI. Denique electio fieri dicitur *per quasi inspirationem*, non quando praemittitur invocatio Sancti Spiritus, quae generatim in omni electione fieri solet (1); sed quando electores, quasi divino Spiritu instincti, in eum repente consentiunt, de quo antea vix cogitaverant. Ita Alexandrum Jerosolymitanum, Ambrosium Mediolanensem, Martinum Turonensem, Fabianum Romanum Pontificem electos fuisse proditum memoriae est (2); sic et alii insignes pietate viri, nullo primum habito tractatu, sed instinctu, afflatuque divino, ac quasi Deo in omnium ore clamante repente Episcopi sunt constituti.

(1) Cap. 14. *et* 18. *de elect. Cap.* 3. *de caus. possess. et propriet.*
(2) Confer Eusebium *Histor Eccles. lib.* 6 *cap.* 11. *et* 29. *pag.* 233. *et* 255., Paulinum *in vit. S. Ambros. opp. ejusdem tom.* 4. *col.* 11. *num.* 6., Severum Sulpicium *in vit. S. Martini cap.* 9. *tom.* 1. *opp. pag.* 15. *edit. Veronae* 1741.

§. XXII. Absoluta, et patefacta electione, conficitur decretum, quod subscribunt electores (1), quibus tunc omnis variandi potestas adimitur (2). Deinde intra dies octo exquirendus est electi consensus (3), quem ipse intra mensem praestare debet, ne secus jus amittat electione quaesitum (4), denique a Superiore intra tres menses petenda est confirmatio (5). Sed Episcopi, et ceteri, qui a Summo Pontifice confirmandi sunt, intra mensem arripere iter debent ad Sedem Apostolicam, et ab ea petere confirmationem, vel per se ipsos, vel per idoneum procuratorem, sumpto tempore ad itineris longinquitatem necessario (6).

(1) Cap. 20. *de elect. cap.* 9. *c.* 2. *q.* 1.

(2) Cap. 21. et 58. *de elect.*
(3) Cap. 16. *eod. tit. in 6.*
(4) Cap. 6. *eod. in 6.*
(5) Cit. *cap. 6.*
(6) Cap. 16. *eod. in 6. Clem.* 2. §. *ult. eod. tit. in* 6. De jure Summi Pontificis confirmandi Episcopos late agit Franciscus Antonius Zaccaria *Anti-Febron. vindic. par. 3. diss. 8. cap. 2. tom. 3. p. 381. seqq. ed. Caesenae* 1771., ubi plurima ea de re monumenta referuntur.

§. XXIII. Necessaria est confirmatio, primum ut Superior investiget, ac perscrutetur electi mores, et merita, totamque electionis rationem (1); deinde ut electus jurisdictionis potestatem consequatur, resque Ecclesiae suae rite, ac recte administret. Sola electio jus tribuit ad rem, sive ad petendam confirmationem, quo fit ut electores procedere ad aliam electionem nequeant (2); sed qui confirmatus est, quamquam ea, quae sunt ordinis, agere non possit, tamen jure agit, quae ad jurisdictionem pertinent (3). Ante confirmationem si quid horum electus attingat, cadit jure suo (4); exceptis electis ultra Italiam constitutis, modo concordibus suffragiis electi fuerint, atque a Sede Apostolica confirmationem petere debeant. Nam his propter necessitates, utilitatesque Ecclesiarum permittitur earum administratio, perinde ac confirmati fuerint, una dempta alienandi facultate (5). Sed hodie jure novo sancitum est, ut nemo bona, juraque Ecclesiae administrare possit, nisi primum literas Apostolicas impetraverit, ac more solito jusjurandum emiserit, et possessionem apprehenderit (6).

(1) Cap. 19. 22. 44. *de elect.*
(2) Cap. 21. *et* 1.. *de elect.*
(3) Cap. 15. *eod. tit.*
(4) Cap. 17. *eod. tit. Cap.* 5. *eod. in* 6.
(5) Cap. 44. *eod. tit.*
(6) Bonifacius VIII. *in extravag.* 1. *de elect. inter commun.* Confer etiam Julii II. Constitutionem *Romani Pontificis* 6. *tom.* 3 *par.* 3. *pag.* 265., qua, confirmatis ea de re superiorum Pontificum Constitutionibus, similiter cautum est, ut qui Episcopatum obtinuerent in Curia Romana literas Apostolicas intra annum impetrare debeant, atque ut ante eas impetratas administrationem suscipere nequeant. Quid vero est, quod inquit Alexander III. *in Cap.* 7. *de elect.*, cognitionem causae feudalis ad Episcopum pertinere, *ex quo fuerit consecratus*? Sunt qui codicum quorumdam fide legendum putant *ex quo fuerit in Ecclesia consecratus, vel confirmatus.* Verum ea lectio est contra vulgatam Gregorianam editionem, contraque secundam collectionem decretalium *cap.* 3. *eod. tit.* Mihi et vulgata lectio retinenda, et res expedita videtur. Nam, uti supra narravimus,

inter Calixtum II., et Henricum V. Imperatorem ita res composita fuerat in feudis Episcopalibus, ut Episcopus nonnisi post consecrationem regalium investituram acciperet. Itaque hoc singulare in causis feudalibus ab Alexandro constitutum est, ut de iis Episcopus tantum post consecrationem, cum investitura dabatur, judicium ferre possit. Nugae sunt ea, quae literis consignavit Glossographus inquiens, controversiam fuisse de feudi natura, esset ne illud laicale, an potius ecclesiasticum. Neque enim tunc opus fuisset consecratione Episcopi, qui cum omnem per confirmationem acquirat jurisdictionis potestatem, etiam de causis feudalibus judicare potuisset, cum nondum esset consecratus.

§ XXIV. Confirmationem sequitur consecratio, quae intra trimestre expedienda est (1). Qui diutius consecrari distulerit, perceptos fructus restituere debebit, et si adhuc totidem menses negligens fuerit, ipso jure Episcopatu privabitur (2). Olim provinciae Antistites Metropolita confirmabat, vocatis ad Concilium provinciae Episcopis, et cum, ut plurimum, confirmationem statim exciperet consecratio, vix una ab altera distinguebatur, adeo ut Episcopus utramque simul potestatem et jurisdictionis, et ordinis adipisci videretur. Verum confirmatio, et consecratio duo semper distincta fuerunt, ac semper certum exploratumque fuit, per illam jurisdictionis, per hanc vero ordinis conferri potestatem.

(1) Can. 2. *dist.* 75. *can.* 1. *dist.* 100. Concilium Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 9 *de reform.*
(2) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 2. *de reform.*

§. XXV. Nunc primum Episcopi ab aliis electi, aut nominati a Summo Pontifice confirmantur, postea eorum consecratio perficitur. Cum extra Curiam Romanam electi mores, et cetera scitu necessaria expenduntur, *processus* conficitur vel a Nuntio Apostolico, vel ab Ordinario, vel, si hic desit, a vicinioribus Ordinariis (1); et inde ad Urbem transmittitur, ubi cunctis diligentissime perpensis, in Consistorio refertur ad Summum Pontificem, quae *praeconizatio* dicitur, deinde in altero Consistorio judicium fertur, quae dicitur *propositio*, quam statim sequitur decretum, quod, consultis Cardinalibus, a Summo Pontifice emittitur (2). Episcopi Italiae, atque insularum adjacentium coram ipso Pontifice a Cardinalibus, Praelatis, atque aliis Sac. Theologiae, et Juris Canonici peritis viris diligenti, atque improviso examine probantur,

eorumque processus in Urbe conficitur, antequam Episcopatus possessionem adipiscantur (3).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap* 2. *et sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.*, ubi accuratius rei totius expediendae methodus, et ratio explicatur.

(2) Confer Constitutionem *onus Apostolicae* 16. Gregorii XIV. *tom.* 5. *par.* 1. *Bullarii pag.* 268., et instructionem editam an. 1627. ab Urbano VIII., quae extat *in eodem Bullario tom.* 6. *par.* 1. *p.* 33. *Constit.* 234., ubi etiam traditur ratio, quam servare oportet, cum Regulares Episcopatum consequuntur, et ostenditur, quae tenenda sit methodus cum extra Urbem, quae item cum in Urbe processus conficitur.

(3) Vide-sis Fagnanum *in Cap. nisi cum pridem num.* 63. *de renunc.*

§. XXVI. His rebus gestis fit progressus ad electi, confirmatique Episcopi consecrationem, quae vel ab ipso Summo Pontifice, vel ejus mandato perficitur (1). Episcopi, qui Romae consecrationem accipiunt, aut ab aliquo Cardinali, aut ab aliquo ex majoribus Patriarchis, qui in Urbe commorantur, mandato Summi Pontificis consecrandi sunt. Ceteri vero Episcopi, qui extra Urbem ordinantur, suo arbitrio Epicopum eligunt, cui datur mandatum Apostolicum, ut eorum consecrationem absolvat vel in ipsa, cui praesse debet, Ecclesia, vel saltem in provincia (2). Hinc cum a majore ex Episcopis assistentibus consecrandus offertur, Epicopus, cui negocium commissum est, ab eo sciscitatur, num habeat quod cum eum habere intellexit, ad *mandatum Apostolicum* consecrationem expediendam progreditur.

(1) Confer Christianum Lupum *dissert. an. Rom. Pontifex omnib. Eccles. consecr. aut consecran. juber. Episc. opp. tom.* 6. *pag.* 362. *seqq.*, et Zaccariam *in Anti-Febron. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *et* 5.; *et in Anti-Febron. vindic. par.* 3. *dissert.* 8. *cap.* 1. *et* 2.

(2) Videndus Benedictus XIV. *Constit. in postremo* 64. §. 16. *pag.* 306. *tom.* 4. *ejus Bullarii edit. Romae* 1758., et Pontificale Romanum *tit.* 13. §. 2.

§. XXVII. Initio consecrandus Episcopus juramentum emitti fidelitatis, et obedientiae erga Summum Pontificem, cujus juramenti formula descripta est in Pontificali Romano (1); deinde examen instituitur, tum ut ejus doctrina, moresque pateant, tum ut in Episcopali officio erudiatur. Deinceps vero electus Pontificalibus vestibus induitur, crucem-

que accipit, quam ante pectus gestat (2), super ejus cervicem, atque humeros Evangeliorum libri imponuntur, impositis manibus Spiritus S. infunditur, (3), unguntur sacro chrismate caput, et manus (4), recitantur preces, funditur benedictio, benedicuntur (nisi primum haec omnia benedicta fuerint) atque electo traduntur baculus pastoralis (5), annulus (6), mitra (7), chirothecae (8). Cuncta haec, et cetera in Episcoporum ordinationibus observanda in Pontificali Romano diligenter explicantur (9).

(1) Adversus hoc juramentum fidelitatis, et obedientiae, quod erga Summum Pontificem Episcopi emittunt, multae sunt querimoniae Febronii, Eybelii, Guraltii *de' principj genuini di tutta la giurisprudenza sacra cap.* 35. *not.* 4. *tom.* 3. *pag.* 17., ceterorum similium, quorum in Sedem Apostolicam insignis livor, et malevolentia est. Sed quid demum hoc juramento efficitur? Hoc unum efficitur, ut Episcopi Ecclesiae capiti subjecti esse debeant, et cum hoc centro catholicae unitatis, firmam habeant, stabilemque conjunctionem An non hoc a Christo ipso Servatore sancitum est, qui Petri successorem, et Ecclesiae principem, et unitatis centrum constituit? Quid autem obstat, quominus sacramento firmetur id, quod Episcopi Divino jure praestare debent, atque ita sacramenti religione magis magisque ostendatur et divinus Primatus Romani Pontificis, et omnium Episcoporum cum hoc Capite arcta consociatio, unde unitas fidei, et caritatis existit? Nihil igitur attinet quaerere, vetustior ne sit, an recentior ea juramenti formula, quae nunc adhibetur; certe quae describitur *in cap.* 4. *de jurejur.* a S. Gregorio VII. originem ducit, eaque comprehenditur septem articulis, quibus nunc et alii duo adduntur. Sed juramentum obedientiae, et fidelitatis erga Summum Pontificem antiquissimum est, atque occurrit inter epistolas S. Gregorii M. *lib.* 10. *num.* 31. apud Labbaeum *tom.* 6. *Concil. col.* 1221. Gregorio vetustior Gelasius P. apud eumdem Labbaeum *tom.* 5. *col.* 383. *in constitutis, quae Episcopi in sua ordinatione accipiunt*, memorat etiam subjectionem decretis Sedis Apostolicae, qua omnes Episcopi obstringuntur. In libro diurno Pontificum Romanorum, quem Garnerius edidit, *cap.* 3 *tit.* 8. *pag.* 69. extat juramenti formula, qua S. Bonifacius Moguntinensis Antistes sese Gregorio II. Summo Pontifici obligavit; atque aliae formulae generis ejusdem describuntur a Martenio *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 11. *pag.* 76. 81. 86. 91. Addidit quidem Gregorius etiam juramentum fidelitatis simillimum ejus, quod subditi erga Dominos emittebant; sed id faciendum suasit conditio temporum, cum dirum schisma foverent Henrici Imperatores, pluresque Episcopi a catholicae Ecclesiae unitate discessissent. Cum hi ad eamdem unitatem redirent, ut certa esset eorum fides, et subjectio Romano Pontifici, jure ac merito statutum est, ut ad omnem dubitationem removendam fidelitatem jurati promitterent. Illud plane ridiculum, quod objicit Petrus Molinaeus *de Monarch. temp. Rom. Pontif.*, nullam Dei fieri mentionem, sed tantum agi de honore Pontifici exhibendo. At hic Reformatae Religionis Theologus, ac Minister, scire deberet, jurare nihil aliud esse, quam Deum vocare testem, adeout in ipso jurejurando necessario Dei mentio habeatur.

Quia etiam divinum nomen exprimitur, cum ordinandus Episcopus supra Evangelium manus ponit, flexisque genibus inquit, *sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.* Neque refert, quod sacramentum potius ad honorem Pontificis, quam ad fidem custodiendam pertinere videatur. Nam Episcopus duplex juramentum emittit, alterum ante consecrationem de professione fidei, alterum post acceptas Bullas de obedientia, et fidelitate erga Romanum Pontificem. Priore integritati fidei, posteriore tranquillitati Ecclesiae, et unitatis bono consulitur. Late de hujus sacramenti aequitate, et antiquitate disputant Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 2, *cap.* 46. *tom.* 2. *pag.* 269. *seqq.* Catalanus *in Pontif. Roman. par.* 1. *tit.* 13. §. 9. *tom.* 1. *pag.* 179. *seqq. edit. Romae* 1738., Bianchius *della potestà, e della polizia della Chiesa lib.* 3. *cap.* 3. §. 1. *tom.* 5. *par.* 1. *pag.* 262. *seqq.*; Zaccaria *dissert. de reb. ad histor. atq. antiquit. Eccles. pertinen. dissert.* 13. *tom.* 2. *pag.* 264. *seqq.*, Mamachius *ad auctor. opusc. quid est Papa epist.* 3. *num.* 9. *pag.* 225. *seqq.*

(2) Non solum Episcopos, sed etiam laicos olim ante pectus crucem gestare consuevisse, multis ostendit Jacobus Gretserus *de cruce lib.* 2. *cap.* 27. *et* 28. *opp. tom.* 1. *pag.* 223. *et seqq. edit. Ratisbonae* 1734. Gregorius Turonensis *de glor. Martyr. lib.* 1. *cap.* 11. *pag.* 735. *edit. Paris.* 1699. narrat se crucem auream ad collum gestasse, in qua erant reliquiae B. Virginis Mariae, SS. Apostolorum, et B. Martini, cujus ope restinxit incendium, quod aqua mitigari non poterat. Vixit autem Gregorius VI. saeculo, ex quo intelligimus, ea jam aetate Episcupos e collo pendentem crucem gestare consuevisse. Incertum tamen est, quo primum tempore crux eadem inter pontificalia ornamenta numerari coeperit. Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 24. §. 10. *tom.* 2. *pag.* 243. *edit. Taurin.* 1747. *hunc ritum non admodum antiquum* existimat; et vero S. Thomas, cujus aetas pertinet ad saeculum XIII., *in* 4. *lib. sentent. dist.* 24. *q.* 3. *art.* 3. *opp. tom.* 17. *pag.* 45. omnia numerat Pontificalia ornamenta, sed de cruce pectorali nullum verbum facit. Inquit enim » Sed Episcopi addunt » novem ornamenta super Sacerdotes, quae sunt caligae, sandalia, succin» ctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirothecae, annulus, et baculus » Forte, cum pontificalia indumenta recensentur, nulla crucis mentio est, quod eam ante omnium oculos gestabant Episcopi usu quotidiano, uti etiam gestabant laici, hoc discrimine, quod illorum crux omnium oculis exposita erat, horum autem vestibus tegebatur; quae sententia est Roberti Sala *in not. ad Bonam loc. cit. p.* 244. Mihi res facilius expediri videtur posse, Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus, qui pene suppar aetate fuit S. Thomae, quique ex hac vita migravit saeculo XIV., in suo Pontificali apud Martenium *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 12. *tom.* 1. *pag.* 221. cuncta indicat pontificalia ornamenta, quae inter memorat etiam crucem pectoralem, *si quis ea velit uti.* Hanc ego arbitror fuisse causam, propter quam S. Thomas cum pontificalia indumenta describit, nullam crucis mentionem faciat, quia scilicet Episcopi facturi solemniter rem divinam ea uti, ac non uti poterant suo arbitratu. Thomas autem ea tantum numerare voluit, quibus omnes Episcopi utebantur. Post aetatem Durandi inter pontificalia ornamenta crux pectoralis recenseri coepit; idque consuetudine factum videtur, cum omnes Episcopi, quibus pridem erat libera agendi optio, pontificalia exercentes crucem adhibere voluissent. Phylacteria quae S. Gregorius M. *lib.* 14. *epist.* 12. *ad Theodelindam Longobard. Regin. opp. tom.* 2. *col.* 1270. misisse se narrat ad Regem Adoloovaldum

pectoralem crucem quidam interpretantur; sed id valde dubium, obscurumque est, cum eo nomine omnes sanctorum reliquiae sive cruce, sive arca, sive thecis inclusae comprehendantur, sicuti ostendunt Maurini editores *opp. S. Gregorii loc. cit. col.* 1271. et Du Cangius *glossar. med. et infim. latinitatis verb. philacteria*. Sunt etiam qui Graecos Episcopos crucem ante pectus gestasse, eamque *encolpion* appellasse existimant; qua de re videndi sunt Catalanus *in Pontific. Roman. cap.* 13. *prolegomen. pag. XVII. tom.* 1., et Zaccaria *Onomasticon Ritual. verb. encolpium*. Multa de cruce pectorali, qua sacrae reliquiae includuntur, habet Boldettus *Osservazioni sopra i cimiteri de' SS. Martiri lib.* 3. *cap.* 16. *pag.* 731. *seq.*

(3) Ita Paulo, et Barnabae manus impositas scriptum est in Actibus Apostolorum *cap. XIII. vers.* 3. Atque in hac manuum impositione materiam Episcopatus positam esse ostendunt Theologi, quos inter videndi sunt Jueninius *de sacram. dissert.* 9. *quaest.* 1. *cap* 3. *pag.* 559. *edit Venet.* 1740., Drouenius *de re sacrament. lib.* 8. *par.* 2. *sect.* 6. § 8. *tom.* 2. *pag.* 387. *edit. Venet.* 1772., Boucatus *Theolog. Patr. tom.* 8. *dissert.* 6. *sect.* 3. *concl.* 1. *pag.* 93. *seqq. edit. Venet.* 1765., Contensonius *Theolog. ment. et cord. lib.* 11. *par.* 4. *dissert.* 3. *cap.* 1. *tom.* 4. *edit. Taurin.* 1769.

(4) Sacra unctio neque in Episcoporum, neque in Presbyterorum ordinationibus nunc a Graecis adhibetur, sed quaestio est, num ipsi eam olim adhibuerint: qua de re videndi sunt Arcudius *Concord. Eccles. Occident., et Oriental. lib* 6. *cap.* 1. *pag.* 475. *seqq. edit. Paris* 1679., Menardus *in lib. sacrament. S. Gregorii not.* 777. *et* 784. *col.* 516. *et* 526. *opp. S. Gregor. tom.* 3. *edit. Maurin. Paris.* 1705., Hallierus *de sacr. election. par.* 2. *sect.* 8. *cap.* 10. *art.* 1. *et seq. tom.* 3. *pag.* 437. *seqq. edit. Romae* 1739. Extat tamen in *Cap. unic. de sacr. unct.* decretalis Innocentii III., qua etiam Graeci sacram hanc unctionem adhibere jubentur; sed de ea suo loco dicam, interim vide Gonzalezii in eamdem notas, et commentarium, ac vide etiam Giraldum *Exposit. Jur. Pontific. par.* 1. *sect.* 3. *tom.* 1. *pag.* 72.

(5) Baculi pastoralis mentio est in Conc. Toletano IV. *can.* 28. *t.* 6. *Concil. Labbaci col.* 1460., atque in vetustissimo Rituali libro, quem describit Marteuius *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 10. *tom.* 2. *pag.* 52. Ex quo intelligimus antiquissimum esse usum baculi pastoralis, quod et a Joanne Morino *de sacr. ordinat. par.* 3. *exerc.* 2. *cap.* 2. *num.* 5. observatum est. Eo tum Latini, tum Graeci Episcopi utuntur, et apud illos quidem etiam Abbates, apud hos etiam Praefecti monasteriorum. Non eadem tamen utriusque baculi forma est. Latinorum baculus in vertice curvus est, sive retortus; at Graecorum baculus et brevior est, et in summa parte desinit in globum eburneum, vel in crucem vel in lignum transversum instar literae T., vel eburneis serpentibus in sese capitibus mutuo retortis ornatus est. Baculi significationem explicat Innocentius III. *lib.* 1. *c.* 62. *Myster. Missae tom.* 1. *opp. p.* 333. *edit. an.* 1575.; sed et jurisdictionem designat, et ideo Marinus Romanae Ecclesiae Diaconus, et Legatus in Synodo Constantinopolitana oecumenica VIII. *act.* 7. *t.* 10. *Concil. col.* 563. de Photio inquit » Tollite baculum de manu ejus; signum est enim digni» tatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet » Atque in Chronico Novaliciensi apud Duchesnium *Histor. Franc. tom.* 3. *lib.* 6. de Abbate exauctorato habentur haec » Detestabilem Sarabaitam coepit, baculum fre» git, atque superbum de Sede dejecit » Illud non omittam, quod Summus Pontifex » non utatur baculo pastorali tum propter historiam, tum pro-

» pter mysticam rationem » ut inquit Innocentius III, *in Cap. unic. de sacr. unct.* Intelligit Innocentius historiam, quam narrant Honorius Augustodunensis *Serm. de SS. Petro et Paulo*, ac Petrus Cluniacensis Abbas lib. 1. *ep.* 2. de S. Petro, quem ajunt baculum tradidisse S. Eucherio primo Trevirensium Antistiti, a quo per illum S. Maternus ejus socius ad vitam revocatus est. De baculo pastorali fuse scripserunt Josephus Vicecomes *de apparat. Miss. lib.* 3. *cap.* 41, Saussajus *Panopl. Episc. lib.* 2., Ciampinius *vet. monument. par.* 1. *cap.* 15. *pag.* 121, *seqq.*, Georgius *Liturg. Roman. Pontif. lib.* 1. *cap.* 29., Bellottus *Rit. Laudunen. Eccles. tom.* 2. *pag.* 92. *edit. Paris* 1662., Goarius *Ritual. Graecor. pag.* 313. *edit. Paris.* 1647., Catalanus *Prolegomen. ad Pontific. Roman. tom* 1. *cap.* 20. *pag. XXVII, et tit.* 13. §. 26. *de consecr. elect. in Episc. pag.* 207.

(6) Est etiam antiquissimus annuli usus, ejusque meminit Concilium Toletanum IV. *loc. cit. can.* 27. Isidorus quoque Hispalensis *de offic. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 12. *opp. tom.* 6. *pag.* 420. Episcopo, inquit » dum con- » secratur, datur annulus propter signum pontificalis honoris, vel signa- » culum secretorum » Nullam annuli mentionem faciunt Alcuinus, Amalarius, Rabanus; sed id factum credibile est vel quod non eadem fuerit omnium Ecclesiarum consuetudo, vel quod nulla facienda videretur peculiaris mentio ornamenti, quod Episcopi quotidiano usu gestabant. Consule Bonam *rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 24. §. 13. *pag.* 248. *tom.* 2., et Martenium *loc. cit.* Ejus usus per privilegium Abbatibus concessus est; quare Innocentius III. cum tribuens Fulconi Abbati Corbejensi scribit haec » » Inter ceteros siquidem sacramentales ornatus Praelatis Ecclesiarum con- » ceditur annulus, qui est signaculum fidei etc. »

(7) Nullus Graecis Episcopis mitrae usus est; qua de re videndus Goarius *loc. cit. pag.* 314. *et seq.* Tantum Alexandrinus Patriarcha phrygio, seu loro utitur, quod privilegium a Sede Apostolica repetit ipse Schismaticus homo Balsamon *in not. ad nomocanon. Photii tit.* 8. *cap.* 1, apud Justellum *Biblioth. Jur. Canon. tom.* 2. *pag.* 933. *edit. Paris.* 1661. Cidarim adhibent Orientales Maronitae, Nestoriani, et Jacobitae, uti constat ex horum liturgia apud Renaudotium *Liturg. Orient. tom.* 1. *pag.* 479. *edit. Paris.* 1716. Occidentales Episcopos si non omnes, saltem aliquos peculiare aliquod capitis ornamentum semper habuisse dubitari vix potest, sed quale hoc fuerit, incertum est; et forte ejus loco deinceps mitra usurpari coepit, quae sententia est Cardinalis Bonae *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 24. §. 14. *tom.* 2. *pag.* 251. Mitram tamquam Pontificale ornamentum primus forte memorat Theodulphus Aurelianensis Episcopus, qui IX. saeculo floruit, quique habet haec *lib.* 3. *carm.* 3. » Jutius ergo caput resplen- » dens Mitra tegebat » S. Leo IV. an. 849. mitrae usum peculiari privilegio concessit S. Anschario Stamburgensi Episcopo; uti et S. Leo IX. Trevirensibus Archiepiscopis, et praecipuis quibusdam diebus Rambergensibus Canonicis an. 1052. Ex quibus facile intelligitur, XI. saeculo non omnibus Episcopis communem fuisse mitram; secus enim Leo IX. haud illam peculiari beneficio Trevirensibus Archiepiscopis concessisset. Eodem saeculo XI. mitram Pontificalem memorant S. Petrus Damiani *ep.* 20. *ad Cadolaum lib.* 1. *opp. tom.* 1. *pag.* 19. *et serm.* 69. *in dedic. Eccles.* §. 4. *pag.* 180. *tom.* 2. *edit. Venet.* 1743., et S. Bernardus *de offic. Episcopor. c.* 9. *opp. tom.* 1. *pag.* 311. *edit. Venet.* 1765., qui reprehendit Abbates Monachorum, quod mitram, et cetera pontificalia ornamenta quaerebant. Lineam fuisse mitram innuit S. Bruno Signien-

nis tract. de saer. Eccles. myster. etc. opp. t. 2. pag. 605. *edit. Romae* 1789., byssinam Honorius Augustodunensis, et Hugo Victorinus, auro tamen, ac gemmis ornatam. Triplex Mitrarum genus describit Caeremoniale Episcoporum *lib.* 1, *cap.* 17. Illud non omittam, quod olim breviores erant mitrae; et plures quidem hujusmodi antiquae mitrae una cum antiquissimo baculo pastorali in nostra olim Ananiensi Ecclesia cathedrali servantur, Confer Menardum *in not. ad sacrament. S. Gregorii not.* 947. *col.* 557, *opp. S. Gregor. tom.* 3. Martenium *loc. cit. lib.* 1. *c.* 4. *art.* 1. *n.* 14. *tom.* 1. *pag.* 128., Mabillonium *Praefat. in saec. IV. Benedictin. par.* 2. *num.* 182. *tom.* 6. *pag. LXV, edit. Venet.* 1738. Mazochium *de Sanct. Neapol. Eccles. Episc. cult. par.* 3. *cap.* 15. *sect.* 3. *num.* 2., Christianopulum *de S. Exuperantio Cingulan. Episc. cap.* 2. §. 3. *num.* 67. *seqq.*

(8) De Chirothecis Episcoporum videndi Honorius Augustodunensis *lib.* 1. *cap.* 25., Durandus *Rational. lib.* 3. *cap.* 12., Innocentius III. *de myster. Missae lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 322. *tom.* 1. *edit. Coloniae* 1575. Qualis olim esset earum materia, serica ne, an linea, difficile est definire. Bruno Signiensis *loc. cit. pag.* 606. » manus indui chirotecis inquit » ut » castae sint, mundae sint, et ab omni sorditate immunes, et nitidae » sint » Inter pontificalia indumenta chirotecas numerant Missa Illyrici, Missa Ratoldi, et Ordo Romanus ab Hittorpio editus; de earum vero antiquitate copiose disputant Cardinalis Bona *rer. liturg. lib.* 1. *c.* 24. §. 12. *p.* 247., ibique Robertus Sala *in notis*, et Catalanus *prolegomen. in Pontific. Roman. cap.* 16. *tom.* 1. *pag. XXI.*

(9) Pontificale Romanum *par.* 1, *tit.* 13.

§. XXVIII. Consecratio die dominico, vel natali Apostolorum vel etiam festo, si Summus Pontifex veniam dederit, absolvenda est (1), post actum superiori sabbato jejunium, effusasque preces (2), hora tertia, qua scimus Spiritum Sanctum in Apostolos e coelo delapsum (3). Tres adsunt Episcopi, quorum unus, qui consecrationem perficit, *Consecrator*, reliqui duo *Assistentes* nuncupantur (4). Acquirit autem consecratus ordinis potestatem (5); quam tamen Metropolita, et Patriarcha solum post acceptum pallium exercere possunt (6); ejus matrimonium cum Ecclesia consumatum efficitur (7), vacua fiunt beneficia, quibus ipse antea fruebatur (8).

(1) Ante datam Ecclesiae pacem quovis die Episcoporum ordinationes celebratas monet Pagius *in Baronium ad an.* 67. *num.* 18. *pag.* 649. *tom.* 1. Verum id formidulosis illis temporibus persequutionum metus facere coegit Episcopos, cum antiquissima sit regula, qua receptum est, ut hujusmodi ordinationes die dominico absolvantur. Eamdem regulam memorat etiam Anacletus P. *in can.* 1. *dist.* 75., sed haec Decretalis Isidori Mercatoris figmentum est. Quo primum tempore etiam in natalitiis Apostolorum, aliisque festis diebus cum venia Summi Pontificis eaedem ordinationes fieri coeperint, explicat Catalanus *in Pontific. Roman. par.* 1, *tit.* 13. §. 2. *t.*

1. *pag.* 171. Videndus est etiam Franciscus Hallierus *de sacr. elect. et ordinat. par.* 3. *sect.* 7. *cap.* 2. *art.* 1. *tom.* 3. *pag.* 310. *seqq. edit. Romae* 1739.

(2) Sic Paulo, et Barnabae servato jejunio, fusisque precibus manus impositas fuisse, docent Actus Apostolorum *Cap. XIII. ver.* 3.

(3) Act. Apostolorum *cap. II. ver.* 15.

(4) Cap. 6. et 7. *de tempor. ordinat.* Antiquissimo sane Ecclesiae decreto sancitum est, ut tribus saltem Episcopis praesentibus ordinationes absolvantur » Episcopum oportet, *inquiunt* I. Nicaeni Concilii Patres *can.* » 4. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 34, maxime quidem ab omnibus, qui » sunt in provincia, constitui. Si autem sit hoc difficile, vel propter ur- » gentem necessitatem, vel viae longitudinem tres omnino eumdem in lo- » cum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisque » assentientibus fieri χειροτονίαν » Sed hujus canonis interpretatio propter verbum illud χειροτονίαν, quod etiam ad electionem referri potest, inter doctissimos controversa, et plena dissensionis est. Nullam habere dubitationem potest Concilium Arelatense I. an. 314. *can.* 20. *tom.* 1. *Concil. col.* 1453., qui canon his est conceptus verbis » De his qui usurpant si- » bi quod soli debeant Episcopos ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi » praesumat, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis. Si tamen non » potuerit septem, infra tres non audeat ordinare » Eamdem ecclesiasticam regulam, ut mittam ceteros, quos in re notissima piget describere, memorat Theodoritus *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 23. *pag.* 199. *edit. Taurin.* 1748. Quaestio tamen est, num tres Episcopi necessario adhibendi sint, adeout ab uno tantum Episcopo celebrata consecratio vim nullam habeat. Morinus *de sacr. ordinat. par.* 3. *exerc.* 4. *cap.* 2.; et Tournelyus *praelect. theolog. de sacram. ordin. quaest.* 6. *art.* 1. *tom.* 11. *pag.* 186. *seqq. edit. Neapol.* sine duobus comministris Episcopis ab uno tantum habitam Episcopi ordinationem irritam existimant; Aurelius Piette *theolog. quaest. de sacram ordin. par.* 6. *quaest.* 13. §. 1. *et* 2. eam firmam, ratamque habet, si ea res cum auctoritate Sedis Apostolicae gesta est; contra alii ab uno tantum Episcopo factam hujusmodi ordinationem illicitam quidem, non tamen irritam esse arbitrantur; atque ita sentiunt Cabassutius *Notit. Eccles. saec.* 4. *in not. ad Canon.* 4. *Nicaenum*, Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 12. *per tot. tom.* 2. *pag.* 203. Juveninius *de sacram. dissert.* 9. *de ordin. in specie quaest.* 1. *de Episcopat. cap.* 4. *pag.* 560. *et seq. edit. Venet.* 1740., Drouneius *de re sacram. lib.* 8. *sect.* 6. *num.* 10. *tom.* 2. *pag.* 388. *edit. Venet. cit.*, Christianus Lupus *append. ad can.* 4. *Concil. Nicaen. tom.* 1. *opp. pag.* 241. *seqq. edit. Venet.*, Boucatus *Theolog. Patrum dissert.* 6. *de sacram. ordin. art.* 5. *tom.* 8. *pag.* 113. *et seq. edit. Venet. cit.*, Hallierus *de sacr. ordinat. par.* 2. *sect.* 5. *cap.* 2. *art.* 1. *tom.* 2. *pag.* 299.; Cardinalis Gottus *Theolog. tom.* 15. *quaest.* 5. *de Episcop. dub.* 4. §. 1. *et* 2., Catalanus *in Pontif. Rom. par.* 1. *tit.* 13. *tom.* 1. *p.* 198. *seqq.* Quae postrema opinio similior veri est; et certe in sacra antiquitate non desunt exempla Episcopalium consecrationum, quae ab uno tantum Episcopo sine duobus comministris factae sunt, et hae quidem illicitae, non tamen irritae judicantur. Neque vero Sedes Apostolica interdum ex justa causa hujusmodi consecrationes ab uno Episcopo celebrari permitteret, praesentibus duabus, tribusve Dignitatibus, si ad earum vim tres Episcopos omnino necessarios agnosceret. Consule Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 2. *et seq. tom.* 2. *pag.* 350. *edit. Ferrar.* 1764., et Cotelerium *PP. Apostolic. in Constit. Apostolic. lib.* 3. *cap.* 19. *tom.* 1. *pag.* 290. *edit. Antuerpiae* 1698.

(5) Cap. 15. *de elect.*
(6) Cap. 28. §. *super. eo de elect.*
(7) Cap. 2. *de translat. Episc.* Fallitur autem Van-Espenius *in Gratianum can.* 11. *c.* 7. *quaest.* 1., et falluntur ceteri, quibus eadem sententia est, quique putant Innocentium III. *in cit. cap.* 2. spirituale hoc conjugium Episcopi cum Ecclesia sua ex falsa decretali Evaristi Pontificia *in laud. can.* 11. arripuisse. Nam hujus matrimonii diserte meminerunt antiqui Patres, nimirum S. Cyprianus, Patres Concilii Alexandrini anni 339., S. Siricius, seu S. Innocentius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, atque alii, quos enumerat Carolus Blascus *de collect. canon. Isidor. Mercator, cap.* 8. *num.* 2. *pag.* 77. *edit. Neapol.* 1760. Vide etiam eumdem Blascum *loc. indic. not.* 6. *et cap.* 10. *num.* 2. *pag.* 120., qui solide, vereque defendit ea de re Innocentii III. sententiam.
(8) Cap. 7. § *cum vero de elect.*

§. XXIX. Electionis confirmationi, et electi Episcopi consecrationi saepe moram, aut impedimentum infert appellatio, quae interponitur aut quod electio facta sit contra canonum disciplinam, aut quod in hominem non dignum Episcopatu eadem collata sit. Nam utraque de causa adversus electionem appellatur. Verum non omnibus indiscriminatim facultas appellandi conceditur, sed iis tantum, quorum interest, probari, aut improbari electionem (1); eaque carent, qui se jure electione quaesito abdicarunt, quoniam hi per appellationem novam electionem remorari non possunt (2); item qui suum in electione tulere suffragium, eamve ratam habuerunt, nisi deinceps apparuerint, aut contracta sint, quae antea latebant, aut aberant contra electum, sive electionem vitia (3). Per appellationem res tota consistit (4), et omnis ejus controversia devolvitur ad Summum Pontificem, nisi manifeste inanis eadem appellatio sit (5).

(1) Cap. 16. *de elect.*
(2) Innocentius III. *eod. cap.* 16.
(3) Gregorius X. *cap. nulli eod. tit. in* 6.
(4) Cap. 7. *de elect.*
(5) Cap. 10. *eod. in* 6.

§. XXX. Pertinent haec ad electiones Episcoporum; sed eorum pleraque ad ceteras quoque electiones, maxime Praelatorum, et Superiorum Regularium transferuntur. Nam in his etiam eadem est observanda eligendi methodus (1), et in his similiter duo potissimum quaerenda sunt, primum qui eligere, alterum qui eligi possint. Jure eligendi potiun-

tur omnes, qui sunt ex ordine, et coenobio, cui Praelatus est praeficiendus (2), quique professionem emiserunt (3), atque in sacris ordinibus constituti sunt (4); nisi aliter Ordo sit comparatus, uti sunt Ordines hospitales, et militares, qui non ad ministeria spiritualia, sed ad opera temporalia solum in bonum Ecclesiae praestanda instituti sunt. Eligere autem, atque etiam eligi per biennium prohibentur Regulares etiam professi, qui sine venia Superioris peculium retinent (5). Sunt haec generatim de omnibus ordinibus constituta; sed praetera singuli Ordines suas habent peculiares leges, per quas designantur certi homines, qui ad conventum vocantur, cum Superioris electio facienda est. Eligi autem generatim possunt omnes, qui ex certo illo Ordine, cui dandus est Praefectus, ac professi sunt (6).

(1) Cap 42. *de elect.* Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 6. *de Regular.*

(2) Cap. 1. *et* 27. *de. elect.*, *Cap.* 8. *de consuet.*, *Can.* 2. *et seq.* *caus.* 18. *quaest.* 2.

(3) Cap. 32. §. *in Ecclesiis de elect. in* 6.

(4) Clem. 2. *de aetat. et qualitat.* Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 4. *de reform.*

(5) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 2. *de Regul.*

(6) Cap. *cum ad nostram* 37., *et Cap. cum in magistrum* 49. *de elect.*, *et Clement.* 1. *eod. tit.*

§. XXXI. Abbatissarum etiam, et Priorissarum, ac ceterarum, quae mulierum monasteriis praeponuntur, quocumque nomine appellentur, electio facienda est per secreta suffragia, quae feruntur a Monialibus professis, quae sunt in monasterio, cui Abbatissa, vel Priorissa debet praesidere (1). Moniales non professae neque eligere, neque eligi possunt; imo nefas est Abbatissam, aut Priorissam constituere, quae non modo professa non sit, sed quae etiam professionem non emisit ante annos octo, quam eligatur, et quae nata non est annos quadraginta. Quod si nulla ea aetate, atque ante annos octo professa monialis sit, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eam licebit eligere, quae ex trigesimo excessit anno, quaeque saltem annos quinque post professionem puram sceleris vitam duxit (2). Electioni praeses est Episcopus, qui ante exiguam fenestram cancellorum suffragia recipit singularum, neque monasterii claustra ingredi debet (3), nisi cogat

causa gravis, ac necessaria (4). Cum Monasterium Regulari Superiori subjectum est, una cum eo Episcopus vel per se; vel per alium Abbatissae electioni interesse potest, ac praesidere (5); verum haec non ab Episcopo, sed ab eodem Regulari Superiore confirmatur (6).

(1) Cap. *indemnitatibus* 43. *de elect. in* 6., *Clement.* 1. *eod. tit.* Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 6. *de reform.*
(2) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 7. *de reform.*
(3) Idem Concilium *ibid.*
(4) Gregorius XIII. *Const. ubi gratiae* 44. *tom.* 4. *par.* 3. *Bullar. pag.* 299.
(5) Gregorius XV. *Const. Inscrutabili* 50. §. 5. *Bullar. tom.* 5. *par.* 5. *pag.* 2.
(6) Consule Giraldium *Exposit Jur. Pontific. par.* 1. *lib.* 1. *tit.* 6. *tom.* 1. *pag.* 40.

§. XXXII. In Romani Pontificis (1) electione singularia quaedam sunt constituta vel ob supremam ejus Ecclesiae dignitatem, vel ob gravitatem muneris, vel ob schismata, quae saepe eruperunt, et quibus saluberrimis legibus occurrere oportuit, ne suo viduata capite Ecclesia detrimentum aliquod pateretur. Initio, ut ceteri Episcopi, ita etiam Romanus Pontifex praesente, ac testimonium dicente populo, et cum Cleri suffragio, et Episcoporum judicio eligebatur (2). Hinc ut mortuo alicujus Civitatis Episcopo, et vacua Sede jurisdictio ad Clerum migrabat, ita Romana Sede vacua ejus potestas per Romanum Clerum explicabatur. Hic vero propter affixum eidem Sedi primatum non tantum Romanae dioeceseos, sed et totius catholici orbis curam gerebat, ab eoque in rebus gravioribus remotiores quoque Ecclesiae sententiam, et judicium sciscitabantur (3). Quod animadverti volo, ut mature pateat, quanta jam esset in illis Ecclesiae initiis auctoritas Cleri Romani, quem nunc referunt Cardinales, penes quos eligendi Summum Pontificem jus est. Firma, et immota permansit haec disciplina fere usque ad exitum V. saeculi, videlicet quamdiu Occidentales Imperatores Italiam obtinuerunt, antequam eam Barbari occuparent. Horum adventu, qui iisdem praesidebant, homines et barbarica, et Ariana haeresi infecti, aliquas in Romani Pontificis electione partes sibi arrogare coeperunt; et hi quidem initium fecere proponendorum Pontificum, qui a Clero eligerentur.

(1) Romanus Pontifex etiam Papa appellatur, uti demonstravi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 1. §. 12. *tom.* 1. *pag.* 164. *edit. Romae* 1792., de cujus quidem nominis origine, ac significatione copiose agit V. Cl. Angelus Nuzzius *sull' origine, ed uso del nome Papa.*

(2) S. Cyprianus *ep.* 55. *ad Antonianum pag.* 243. *edit. Amstelod.* 1700. de Cornelio Romano Pontifice habet haec » Factus est Episcopus a » plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant . . . de Dei, » et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de » plebis, quae tunc affuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum, et bonorum virorum collegio. »

(3) Plures sunt Cypriani literae, ex quibus patet, qua reverentia ipse Romanum clerum prosequeretur, quanti ejus judicium faceret, quam diligenter eum consuleret in arduis quibusque negociis. Sic *ep.* 20. *pag.* 206. rem ab se actam eidem clero exposuisse, *et disciplinae, ac diligentiae rationem declarasse* testatur, mittitque exemplum plurium ab se missarum, acceptarumque literarum; *et ep.* 32. *pag.* 215. Cleri Romani responsa omnibus nunciari jubet, ut quae in iis statuta sunt, ab omnibus observentur. Idemque Clerus consulenti respondet *ep.* 30. *et* 36. *pag.* 209. *et* 218., ac post Cypriani secessum *ep.* 8. *pag.* 139. dat monita, et praecepta, quibus Clerus Carthaginiensis utatur in administranda dioecesi, idque se facere affirmat *cum incumbat nobis, qui videmur praepositi esse, et vice pastoris custodire gregem.*

§. XXXIII. Primus Odoacer, qui devicto Augustolo Italia potitus est, post Simplicii mortem, lata ab se per Basilium Patricium lege sancivit, ne novus se non consulto Pontifex eligeretur. Sed cum rem novam, atque ante illud tempus inauditam sese moliri intelligeret, ausus non est dicere, id se facere jure imperii, quo potiebatur, *sed admonitione Simplicii Papae* (1). Verum insolenti lege despecta Felix, Gelasius, Anastasius, qui Simplicio successerunt, eadem electi sunt methodo, qua electi fuerant Pontifices superiores, ac denique in Concilio Romano IV. anni 502. lex illa abrogata fuit (2). Theodoricus Gothorum Rex, qui Odoacrem regno, ac vita privavit, eam in electione Summi Pontificis violenter arripuit auctoritatem, quam Odoacer exercere nequiverat, quamque neuter habere ullo modo poterat. Ac schisma, quo a Laurentio Romanae Ecclesiae Archidiacono, rem totam agente, et procurante Festo Romano Senatore, vexata sunt initia Symmachi Pontificis, qui Anastasio successit, aliquam, licet inanem, et falsam occasionem Theodorico praebuit invadendi jura, quae solius Ecclesiae propria sunt. Principio rogatu factionum arbiter constitutus est, ut schisma comprimeret; deinde redintegrato bello in Symmachum Pontificem,

rogatus a Festo, et Probino Senatoribus Altinae Civitatis Episcopum Romam visitatorem misit, ut ea, quae fervebant, dissidia e medio tollenda curaret. Sed consultissimus Rex, licet Arianus, utrumque ita praestitit, ut mallet praeseferre studium justitiae, ac pietatis, quam imperii vim, ac potestatem ostentare (3). Quin et Symmachi successores Hormisdam, et Joannem I. libere egli permisit eo modo, quo reliqui Pontifices eligi consueverant (4).

(1) Confer Concilium Romanum IV. an. 502. *cap.* 2. *tom.* 5. *Concil. col.* 473.

(2) Idem Concilium *loc. cit.* post recitatum constitutum illud Basilii Patricii habet haec « Hic perpendat sancta synodus, uti praetermissis per» sonis religiosis, quibus maxime cura est de tanto Pontifice, electionem » laici in suam redegerint potestatem, quod contra canones esse manife» stum est. »

(3) Ea de re Theodoricus Romanam Synodum quae est III., extatque apud Labbaeum *d. tom.* 5. *col.* 457., permittente Symmacho habendam curavit, ut ea, quae Pontifici objecta fuerant, diligenter expenderentur. Affirmat Theodoricus, nihil ad se in rebus ecclesiasticis praeter Religionem pertinere « Respondit Rex in Synodali esse arbitrio, in tanto ne» gocio sequenda praescribere, nec aliquid ad se praeter reverentiam de » ecclesiasticis negociis pertinere. » Itaque rem totam Concilio permittit, a quo sententia sua, quam ei Rex liberam permisit, Symmachus dignitati restitutus est, atque ab omni culpae suspicione liberatus. Rursus scripta ad Concilium epistola Rex diserte profitetur, non potuisse se judicis partes in causa mere ecclesiastica sustinere *ibid. col.* 466. « Si nos de prae» senti, *inquit*, ante voluissemus judicare negocio, habito cum proceribus » nostris de inquirenda veritate tractatu, Deo auspice, potuissemus inve» nire justitiam, quae nec praesenti saeculo, nec futurae forsitan displi» cere potuisset aetati. Sed quia non nostrum judicavimus de ecclesiasticis » aliquid censere negociis, ideo vos de diversis provinciis fecimus evocare » ut sub divini timore judicii totius certaminis vobis disponentibus causa transiret. »

(4) Confer auctorem libri Pontificalis, qui Anastasii nomine circumfertur, in eorum Pontificum vitis.

§. XXXIV. At extremo vitae suae tempore ipse Teodoricus cum saeviret in catholicos, non solum religionis causa morti dedit Joannem I., verum etiam ejus successorem Felicem III., praetermisso eo, cui plerique favebant, in Petri sede collocavit (1). Ac ne qua dari videretur occasio huic tuae voluntati obsistendi, virum nominavit ex toto clero probatissimum, qualem fuisse constat Felicem, quem omnes et quod esset Pontificatu dignius, et quod Ariani Principis voluntati parere oportebat, Pontificem constituerunt (2). Haec initia

habuit abusus quorumdam Principum (3); qui injuria usurparunt tam repugnantem ecclesiasticae libertati auctoritatem eligendi, vel nominandi Romanum Pontificem; et licet hi deinceps, agnito Ecclesiae jure, ab incoeptis sibi abstinendum judicaverint, tamen aliquando retinuere potestatem, immerito sane, et contra omnes Ecclesiae leges electum confirmandi, donec Dei beneficio sua demum est Ecclesiae restituta libertas, quam Apostoli, eorumque successores habuerant (4).

(1) Baronius *ad an.* 526. *num.* 23. *tom.* 9. *pag.* 357. describit Athalarici, qui Theodorico in regno successit, literas ea de re ad Senatum Romanum datas.

(2) Ipse Baronius *loc. cit. num.* 25. illud Theodorici factum expendens scribit haec » Vidisti, Lector, quinam auctor fuerit redigendi sub » servitute Romanam Ecclesiam, ut electioni, vel nominationi Romani » Pontificis immiscerent se Reges? Nonnisi saevus, barbarus, dirus ty» rannus, et impius Arianus, quem Deus absque dilatione, dissimulatio» neve, qua frequentius uti solet cum peccatoribus, repentina immissa » coelitus vindicta prostravit, et post acceleratum dirum exitium ad in» feros perpetuo relegavit. »

(3) Ante Odoacrem, ac Theodoricum Arianos Reges Constantius Imperator similiter Arianus professus est, nolle se Episcopos deligere suo arbitratu, sed eos instituendos curare, uti canones poscunt; interim vero sacrorum praesides cogere solebat, ut Episcopos constituerent, qui Arianorum partes sequebantur. Verum S. Athanasius *Arianor. ad Monachos num.* 51. *tom.* 1. *opp. pag.* 296. *edit. Patav.* 1777. eum accusans » Deum se » simulat, *inquit*, ecclesiasticum curare canonem, omnia contra canones » agere molitus est. Quis canon praecipit, ut a Palatio mittatur Episcopus » etc. » *et num.* 52. *pag.* 297. » Si Episcoporum decretum est, quid illud » attinet ad Imperatorem? Sin Imperatoris minae sunt, quid opus homi» nibus nuncupatis Episcopis? » Ipse Constantius post pulsum in exilium Liberium constitui Pontificem Felicem voluit, administro usus Epicteto, sed populi eum Episcopatu potiri *non tulerunt*, neque concesserunt ut ipse in Ecclesias ingrederetur, sed procul ab eo abscesserunt, sicuti narrat Athanasius *loc. cit. num.* 75. *pag.* 307. *seq.* Itaque Liberius Episcopatum retinuit, Felix autem rejectus est, quamquam catholicum sese fingeret.

(4) Christus cum elegit Apostolos, nihil certe juris Imperatori tributum voluit. Deinde Apostoli non modo de suffragio, sed ne de consensu quidem, aut dissensu Imperatorum laborarunt, cum Episcopos aut ipsi eligerent, aut ab Ecclesiis eligendos statuerent. S. Clemens I. P. *ep.* 1. *ad Corinth. num.* 42. *et* 44. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 1. *pag.* 170. *seq. edit. Antuerp.* 1698. describit rationem, qua in ea re Apostoli uti consueverunt. De electione S. Cornelii Papae et Martyris agens Cyprianus *epist.* 55. *ad Antonianum pag.* 243. *seq.* eum Episcopum factum fuisse affirmat, cum Decius » Imperator patientius, ac tolerabilius audi» ret levari adversus se aemulum principem, quam constitui Romae Dei sacerdotem » Qui post Liberium usque ad Odoacrem, imo ad Theodoricum Pontificatum consequuti sunt, electi, ordinatique fuerunt » consentienti» bus sanctis sacerdotibus, omnique clero, ac populo » uti de se ipso

scribit S. Innocentius I. *epist.* 1. *ad Anysium* apud Constantium *epist. Rom. Pontific. col.* 745. Confer etiam quae paulo ante dicta sunt.

§. XXXV. Mortuo Felice iterum schisma exarsit inter Bonifacium, et Dioscorum, sed illud post hujus obitum brevi extinctum est. Forte schismati comprimendi causa sese Athalaricus in Pontificis electionem inferre, et intrudere conatus est; hoc unum certo constat, duos Bonifacii successores Joannem, et Agapetum sine ulla prorsus Gothorum Regum auctoritate, aut consensu Pontificatum obtinuisse. Sed Agapeto Coustatinopoli vita functo, Pontifex creatus est Silverius jussu, et imperio Theodati Gothorum Regis, cui rei primum obstitit Clerus Romanus, deinde vero assensus est, ne quod novum schisma oriretur, atque ita qui pridem in Petri Sedem injuste irrepserat, eam postea Romani Cleri electione juste retinuit, atque etiam moriens martyrii gloria decoravit (1). Dum haec Romae agebantur, Theodora Imperatrix, quam ex turba scenicarum mulierum Justinianus uxorem acceperat, Vigilium Pontificem creavit; sed hic quamdiu vixit Silverius, et quamdiu muliebri tantum protervitate, et audacia nixus est, tamquam Pseudo-Papa est habitus ab Ecclesia universa. Mortuo demum Silverio legitimis comitiis Pontifex renuntiatus est, propter studium, quo in primis Romanus Clerus ferebatur, ecclesiasticae pacis et unitatis.

(1) De hoc Pontifice Baronius *ad an.* 536. *num.* 121. *tom.* 9. *pag.* 558. scribit haec » Vidisti in Clero Romano dignum exemplum, dum ad evi» tandum schisma, quod omnino, si alium elegissent, absque dubio con» flandum fuisset; cum electionem, imo intrusionem Silverii, ut decuit, » primitus improbassent, postea demum uno omnium accedente consen» su, ut legitima esset electio, effecerunt; atque plane qui jure ejici me» reretur intrusus, utpote non legitimus pastor, qui aliunde, et non per » ostium introisset, Cleri Romani tamen clementia factum est, ut eidem » rursus in ovile patente ostio ingredi liceret, idque non absque nutu » divino, ut exitus declaravit. »

§. XXXVI. Victis, pulsisque ab Italia Gothis, Graeci Imperatores injustam auctoritatem, quam illi bis terve exercuerant, nominandi, aut confirmandi Romanum Pontificem firmam ratam esse voluerunt, et Ecclesia licet numquam approbaverit rem illam adeo repugnantem suo juri, ac libertati, tamen eam propter injuriam temporum tolerare coacta est, ne graviora mala orirentur. Verum electio semper ad clerum per-

tinuit; nec nisi a clero electus verus Pontifex habitus est; tantum qui rite electus fuerat ab Imperatore confirmari consuevit. Primus Vigilii Successor Pelagius post eam confirmationem anno 555. Pontifex consecratus est; eaque consuetudo perseveravit per annos 130., nimirum usque ad Benedictum II., qui anno 684. Pontificatum maximum obtinuit (1). Cur autem Graeci Imperatores tamdiu, tamque libenter, atque studiose injuria acquisitam potestatem retinere voluerint, haec praesertim videtur fuisse causa, ut sibi alicujus beneficii memoria addictos, obstrictosque haberent Romanos Pontifices; quorum in Italia insignis erat auctoritas, et magnus in eos amor, ac reverentia populorum (2). Ecclesia autem propter injuriam temporum ferre debuit injustam servitutem; cujus tamen jugum haud sibi valde grave, et acerbum fuit. Nam integra erat clero eligendi libertas, omniumque Ordinum consensu probatus (3) confirmandus offerebatur Imperatori, qui de animorum concordia dubitare non poterat, semperque electum confirmabat. Neque enim umquam electionem aliquam ab Imperatore improbatam constat; adeout confirmatio potius gloriosa solemnitas, ac necessitas probandae, quam jus, et facultas improbandae electionis videretur.

(1) Audiendus Joannes Diaconus *in vit. S. Gregorii M. lib.* 1. *num.* 39. *opp. ejusd. Gregor. tom.* 4. *col.* 36., qui de ipsius electione habet haec » » Gregorium licet totis viribus renitentem Clerus, Senatus Populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus evitare decernens, sese indignum omnino tali honore clamitabat..., » At ubi decretum generalitatis evadere nequivit, consensurum se tandem » aliquando simulavit, et Imperatori Mauricio, cujus filium ex lavacro » sancto susceperat, latenter literas destinavit, adjurans, et multa prece » deposcens, ne umquam assensum populis praeberet, ut se hujus honoris gloria sublimaret » Confirmata nihilominus est Gregorii electio » Quo ex loco duo colliguntur. Primum est, quod ad electionem Pontificis libera conferebant suffragia Clerus, Senatus, Populusque Romanus, neque ullae prorsus erant in ea re partes Imperatoris. Alterum est, quod tantum Imperatoris erat confirmare electionem, quam si non probasset, alium eligere oportebat. Ita certe sibi persuasum habebat Gregorius, cum Imperatorem hortabatur, ne suae electioni assentiretur. Audiamus ipsum Gregorium, qui ea de re loquitur *ep.* 5. *ad Theoctistam lib.* 1. *opp. tom.* 2. *col.* 492., ubi animadvertendum quam parce, et modeste disputet de usurpata ab Imperatoribus confirmandi electionem Summi Pontificis potestate » Ecce serenissimus Dominus Imperator fieri simiam leonem jussit. » Et quidem pro jussione illius vocari leo potest, fieri autem leo non » potest. Unde necesse est, ut omnes culpas, ac negligentias meas non

» mihi, sed suae pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo com-
» misit. »

(2) Quantum interesset Imperatorum sibi obstrictos habere Romanos Pontifices, et quanta horum esset in Italia auctoritas, quamquam temporalem dominationem nondum obtinerent, ostendit S. Gregorius M., qui *ep.* 47. *lib* 4. *opp. tom.* 2. *col.* 726. Apocrisarium suum Imperatori significare jubet » Unum est, quod breviter suggeras Serenissimis Dominis no- » stris; quia si ego servus eorum in mortem Longobardorum me miscere » voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Co- » mites haberet, atque in summa confusione esset divisa. »

(3) In libro Diurno *cap.* 2. *tit.* 3. *pag.* 14. *edit. Garnerii Paris.* 1680. *Relatio de electione Pontificis ad Principem* his est concepta verbis » Cum » non sine divinae misericordiae nutu sit, ita post mortem Summi Pon- » tificis, in unius electionem omnium vota concurrere, et convenire con- » sensum, ut nullus penitus inveniretur, qui discors posset existere » Ejusdem concordiae testimonia occurrunt in relatione, quae ad Exarchum Ravennae una cum Legatis, quorum caput erat Episcopus, mittebatur, in qua omnium Ordinum subscriptiones referebantur, ut nulla vel levis dubitatio esse posset de summa omnium voluntatum, studiorum, sententiarum consensione. Praeterea Archipresbyter, Archidiaconus, Primicerius, qui vacua Sede Apostolica Romanam Ecclesiam administrabant, peculiares dabant literas ad Archiepiscopum, Judices, Apocrisarium Ravennae, quae nova erant conspirantis omnium consensus monumenta. Itaque Imperatores, et Exarchi tam concordem electionem rejicere non poterant, nisi ab se vellent omnium animos abalienare, turbasque graves, atque molestas Romae excitare. Hinc cum Romam post recuperatam Ecclesiae libertatem venisset Joannes Exarchus cognomento Platyn, ut Paschali Antipapae faveret cum » omnes in personam Sergii Sanctissimi invenisset consensisse, illi quidem » refragari non valuit » uti narrat Anastasius Bibliothecarius, sive Auctor, quisquis est Pontificalis *in Sergio* §. 4. *tom.* 1. *pag.* 305. *edit. Vignoli*,

§. XXXVII. Primum quidem ab ipso Imperatore confirmatio petebatur; eaque de causa, ut eamdem impetrarent, Apocrisarii Constantinopolim mittebantur; sed postea placuit totum hoc negocium Ravennae Exarcho committere. Id autem evenit post annum 639. (1); et Ravennatenses Exarchi datam ab Imperatore facultatem usque ad imperium Constantini Pogonati retinuerunt. Is enim stomachans, et moleste ferens consuetudinem Exarchorum, qui eadem facultate abutebantur, anno 682. statuit, ut „ Decretum generale introducatur „ in Regiam Urbem secundum antiquam consuetudinem „ (2); atque ita Exarchi Summum Pontificem confirmare desierunt. Sed biennio post ipse Pogonatus Benedicto II. Pontifice pristinam Ecclesiae restituit libertatem, quam violenter invaserat Justinianus, ejusque successores annos 130. eadem injuria, et violentia occupaverant, deditque legem, ut

qui canonice electus fuisset, is statim nulla mora interposita Pontifex ordinaretur (3); antea vero Pontifice Agathone sustulerat foedae servitutis dedectus, quo Romana Ecclesia premebatur jussa solvere certam vim pecuniae, cum Pontifex confirmabatur (4).

(1) Anno 639. adhuc Apocrisarii Constantinopolim mittebantur, ut Pontifex ab Imperatore confirmaretur. Neque enim ea de re nos sinit dubitare testimonium S. Maximi apud Labbaeum *tom.* 6. *concil. col.* 1503. qui narrat, Constantinopolim Apocrisarios pervenisse, ut Severini Pontificis confirmationem ab Imperatore obtinerent, cum Sergius Heraclii nomine Ecthesim evulgavit » Praecipue, *inquit*, per idem tempus, quando illic » missos in causa promotionis Papae cum delatis decretis Apocrisarios susce- » perunt » Qua de re multa adversa Apocrisarii pertulerant, sed omnibus denique superatis, illi ipsi, quos maxime adversarios habuerant, omni ope, et opera curarunt, ut petita confirmatio celerius concederetur. Haec enim addit ipse S. Maximus » Illi autem ipsorum admirantes pictatem, hujus- » modi factum duxerunt merito recompensandum, et a praetendenda char- » ta cessantes jussionem in effectum ob Episcopatum se suo perducere stu- » dio promiserunt. Quam factam accipientes Deo amabiles Apocrisarii gra- » tulantes remearunt ad propria ». Interea Romam hostiliter venit Isacius Exarchus, pulsisque in exilium Cleri Primatibus, ne quis eorum nefario, quod animo agitabat, facinori obsisteret, sacrum palatium expilavit, partemque praedae, quam arripuerat, ad Heraclium Imperatorem misit. Quod ab Apocrisariis Constantinopoli, quodque ab Exarcho Romae gestum est, duo haec evidenter ostendunt, errasse Pagium *ad Baronium an.* 625. *num.* 17. *tom.* 11. *pag.* 205., qui anno 625. Pontificis confirmationem Exarcho commissam, ab eoque Honorium primum confirmatum existimat. Rectius Papebrochius Joannem IV. Severini successorem primum ab Exarcho confirmationem obtinuisse defendit.

(2) Sic Anastasius *in Agathone* §. 2. *tom.* 1. *pag.* 276.

(3) Idem Auctor Pontificalis *in Benedicto II.* §. 3. *pag.* 293. Hic, » *inquit*, suscepit divalem jussionem clementissimi Principis Constantini » ad venerabilem clerum, et populum, atque felicissimum exercitum Ro- » manae Civitatis, per quam concessit, ut qui electus fuerit in Sede Apo- » stolica, e vestigio absque tarditate Pontifex ordinetur »

(4) Idem Anastasius *in Agathone* §. 2. *pag.* 275. » Hic accepit, » *inquit*, divalem jussionem, secundum suam postulationem, per quam » relevata est quantitas, quae solita erat dari pro ordinatione Pontificis » facienda. Sic tamen ut si contigerit post ejus transitum electionem fie- » ri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum gene- » rale introducatur in regiam urbem, secundum antiquam consuetudinem, » et cum ejus, scilicet Imperatoris, conscientia, et jussione debeat or- » dinatio properare » Hujus foedi tributi originem a Gothis repetunt Vignolius *in not. ad eumdem loc. cit.*, et Natalis Alexander *Histor. Ecclesiae. VI. cap.* 5. *art.* 4. *tom.* 5. *pag.* 505.

§. XXXVIII. Benedicto, quo Pontifice amotum fuerat jugum illud nefariae servitutis, successit Joannes V., et hic statim

Pontifex consecratus est, neque impetrata, aut petita Imperatoris confirmatio (1). Ita et ceteri recentiori aetate Pontifices consecrati, missique in Dignitatis possessionem sine ulla cunctatione, et tarditate sunt; neque umquam confirmatam ab Imperatore eorum electionem constat. Conon, qui Joanne vita functo ejus locum occupavit, electus est Pontifex, cum in magna esset varietate, ac dissensione constitutus Clerus universus, propter studia duorum competitorum, qui Pontificatum postulabant. Placuit hunc tertium eligere, sive ut loquitur Anastasius (2). „ Consilio ducti Sacerdotes, et Clerus „ unanimiter ingredientes in Episcopium Lateranense elege„ runt, et denominaverunt tertiam personam suprafati Pon„ tificis „ Cononem sequutus est Sergius, idemque Auctor de eo scribit haec „ In personam denominati Sergii Ven. tunc „ Presbyteri concordantes se contulerunt, eumque de medio „ populi tollentes, in oraculum B. Caesarii martyris Christi, „ quod est intra sacrosanctum suprascriptum Palatium, intro„ duxerunt, et exinde in Lateranense Episcopium cum lau„ dum declamationibus deduxerunt„ (3). Quin etiam Archipresbyter, qui cum eo de Pontificatu contenderat, cum eumdem omnium suffragiis Pontificem renunciatum novit„ quievit, „ ac se humiliavit, et ingressus denominatum Sanctissimum „ electum salutavit, ac osculatus est „. Quod et serius praestitit Archidiaconus, qui alter competitor fuerat (4), sed hic simulata concordia clam Romam vocavit Joannem Exarchum, qui nihil agere, aut moliri ausus est contra Sergium, in quem totius cleri suffragia conspirabant (5). Ita ceteri annis consequentibus illico consecrati Pontifices, cum electi sunt.

(1) Anastasius, sive Auctor Pontificalis *in Joanne V.* §. 1. *pag.* 295. » Hic, *inquit*, post multorum Pontificum tempora, vel annorum, juxta » prisca consuetudinem, a generalitate (*hoc est a cunctis ordinibus*) in » Ecclesia S. Salvatoris, quae appellatur Constantiniana, electus est, at» que exinde in Episcopium ductus » scilicet consecratus.

(2) Idem *in Conone* §. 2. *pag.* 299. Quo ex loco intelligimus tantum *a Sacerdotibus*, *et Clero* Cononis electionem fuisse absolutam; adeout percipi non possit, quid in mentem venerit Garnerio *not. in Diurnum cap.* 2. *tit.* 2. *pag.* 10., cum et laicis suas in Romani Pontificis electione partes una cum clericis attribuit. Nam unius Cleri electio erat, laici tantum consentiebant, et electionem laudabant. Ac ne ulla sit ea de re dubitatio, facit decretum Concilii Lateranensis habiti Stephano IV. Pontifice an. 769., cum eadem obtineret de electione Pontificis disciplina, *tom.*

9. *Labbaei col.* 484., cujus haec verba sunt » Sub anathematis interdi» ctionibus decernimus, ut nulli umquam laicorum vel ex manu armata, » vel ex aliis ordinibus praesumant inveniri in electione Pontificis: sed » a sacerdotibus, atque proceribus Ecclesiae, et cuncto clero ipsa Pontifi» calis electio proveniat. Et priusquam Pontifex electus fuerit, et in Pa» triarchium deductus, omnes Optimates militiae, vel cunctus exercitus, » et cives honesti, atque universa generalitas populi hujus Romanae Ur» bis ad salutandum eum, sicut omnium Dominum, properare debeat. Et » ita more solito decretum facientes, et in eo pariter cuncti concordantes » subscribere debent » Quod sane decretum egregie congruit cum iis, quae de Conone narrat Anasthasius inquiens, quod postquam ipse a Clero, et populo electus fuerat » omnes judices una cum primatibus exercitus pa» riter ad ejus salutationem venientes, in ejus laudem omnes simul accla» maverunt. Videns autem exercitus unanimitatem cleri, populique . . . » consenserunt in persona praedicti sanctissimi viri, atque in ejus decre» to devota mente subscripserunt; et missos pariter ex clericis, et ex po» pulo ad excellentissimum Theodorum Exarchum, ut mos est, direxerunt » Postrema haec verba pluros rapuere in eam opinionem; ut crederent, Justinianum II. iterum Ecclesiae ademisse libertatem, quam ipsa Pogonato Imperatore recuperaverat, Summique Pontificis electionem confirmandam Exarcho commisisse. Haec etiam sententia est Cardinalis Baronii *ad an.* 686. *num.* 3 *tom.* 12. *pag.* 87. Verum duarum Pogonati Constitutionum, quarum, altera Exarcho facultatem omnem ademerat, confirmandaeque electionis Romani Pontificis potestatem Imperatori reservaverat, altera omnem Clero libertatem restituerat, harum inquam constitutionum a Justiniano abrogatarum apud antiquos scriptores nullum verbum, ac nullum indicium, et conjectura est. Totum hujus sententiae fundamentum positum est in iis, quae paulo ante descripsimus, verbis, sed ea nihil habent de confirmatione, quam Auctor Pontificalis expresse memorare debuisset, ut abrogatam ostenderet Pogonati constitutionem, quam supra descripserat, atque ut perspicuum faceret, libertatis beneficium, quo primus potitus fuerat Joannes V., statim in ejus proximo successore Conone intercidisse. Tantum ea verba significant ad Exarchum missos fuisse Legatos, ut factae electionis certior fieret, qui Romae, ac reliquae sibi subjectae Italiae praeerat, cui tunc et Roma parebat, non ut ipse electionem confirmaret. Haec verissima, ut mihi quidem videtur, sententia est Cajetani Cenni *in not. chronolog. ad Anastasium in vita Cononis tom.* 4., quem laudat, et sequitur Mansius *in not. ad Baronium loc. cit.* Contra vero ipse Auctor Pontificalis testatur, quod Justinianus *omnia privilegia Ecclesiae renovavit*, neque ullam amplius mentionem facit decreti, quod missum ad Exarchum fuerit, ut ab eo confirmaretur. Imo vero quod ipse narrat de Joanne Platyn, deque Theopilacto Exarchis *in Sergio* §. 3. *pag.* 304., *et in Joanne VI.* §. 1. *pag.* 315. evidenter ostendit, neque Sergium Cononis successorem, neque Joannem VI, Exarchi confirmatione eguisse. Secus enim uterque Exarchus eamdem denegare potuisset, atque ita sine armorum strepitu, atque eorum in Urbem adventu res tota finita fuisset, iisque dissentientibus haud sane electi Pontifices fuissent consecrati. Firmum igitur, injuriam Ecclesiae ademtam an. 555., ac deinceps a Constantino Pogonato restitutam, annis consequentibus semper integram permansisse. Quod si laici Principes in Romani Pontificis electione ullas sumpsere partes, id aut per vim, et injuriam factum est, aut cum consensu Ecclesiae, quae iisdem peculiare privilegium attribuit,

ut sibi opem ferrent, turbasque omnes, atque dissidia ab electione removerent.

(3) Auctor Pontificalis *in Sergio* §. 2. *pag.* 304.

(4) Idem *loc. cit.* §. 3.

(5) Joannes Platyn Exarchus, uti narrat idem Anastasius *abdite* sese Romam contulit, vocatus a Paschali Sergii aemulo, qui se ei vim ingentem pecuniae daturum promiserat, ut ejusdem Sergii electioni resisteret. Sed consilium mutare coactus est, cum conspirationem, et concordiam omnium ordinum in Sergii electionem novit. Magnum hoc, uti diximus, argumentum est, quod plane excludit necessitatem confirmationis ab Exarcho obtinendae: quod etiam quadrat in Theophilactum alterum Exarchum, quem Tiberius Augustus Romam misit, ut Joannis VI. electioni adversaretur. Quamquam vero Joannes Exarchus nihil contra Sergium pro ejus competitore Paschali praestare potuisset, illumque invitus, et repugnas Summum Pontificem debuisset agnoscere, ab eo tamen incusso metu copiarum, quas secum detulerat, per vim extorquere potuit centum auri libras, quas Paschalis sese soluturum pollicitus fuerat, si ejus opera Pontifex renunciaretur. Hanc auri vim Muratorius *annali d'Italia an.* 687. *tom.* 4. *par.* 1. *pag.* 233. *edit. Romae* 1752. confirmationis pretium existimat; sed hoc merum est opinionis commentum, praeterea nihil. Fuere sane, qui ex illo, quem supra descripsimus, Anastasii loco a Justiniano II. renovatam putarunt legem illam abnormem de impetranda confirmatione, aut consensu; sed nemo umquam, praeter Muratorium, aut animo concepit, aut literis consignavit paradoxum illud ingens, quod renovatum fuerit tributum, et quod hoc conficeret centum auri libras, quas Sergius Exarcho solvere coactus est.

§. XXXIX. Post Graecos Imperatores Italia potiti sunt Longobardi, a quibus nihil unquam actum constat contra electionis libertatem; Longobardos autem bello vicit Carolus M., qui iisdem pulsis, et profligatis eorum regnum obtinuit. Eo dominante Leo III., Stephanus IV. seu V. (1), ceterique Pontifices per liberam Cleri electionem ad Petri Sedem evecti sunt (2). Sed cum saepe turbae, et schismata erumperent, ut ea removerentur, visum est Joanni IX. constituere, ut tumultus vitandi gratia electiones quidem libere a Clero Romano fierent; sed electi Pontificis consecratio praesentibus Imperatoribus Legatis absolveretur (3). Fuit haec justa cautio, et provisio turbulentissimis illis temporibus, ut tuta, ac tranquilla esset Romani Pontificis ordinatio; nihilotamen minus aliqui Imperatores freti potentia in vi posita, et armis fecerunt, ut homines apud se gratiosi Pontificatum consequerentur. Electio quidem a Clero fiebat; sed interdum Principes eligendum proponebant, clerusque ipse violentae potentiae, cui resisti vetabat imperiosa necessitas, parere cogebatur. Ve-

rum per summam injuriam qui jus, potestatemque imperii habebant, eas sibi sumpserunt in Romani Pontificis electione, et ordinatione partes, quas neque habebant, neque umquam habuerant (4).

(1) Huic Stephano IV. seu V. tribuitur decretum a Gratiano descriptum *can. quia sancta* 28. *dist.* 63., quo cautum est, ut Romani Pontificis consecratio praesentibus Imperatoris Legatis absolvatur. Verum hoc decretum figmentum esse hominum schismaticorum ostendunt Baronius *ad an.* 816, *num.* 101. *tom.* 13. *pag.* 585. Natalis Alexander *histor. eccles. saec. IX, et X. cap.* 1. *art.* 2. *tom.* 6. *pag.* 141., quibus et Pagius *ad d. an.* 816. *num.* 19. adjungendus est, qui tamen fragmentum illud ad Stephanum VI. vel VII. referendum putat. Sane hoc decretum constitutioni Ludovici Imperatoris, quam refert Gratianus *can.* 30. *dist.* 63., et qua cautum fuit, ut libere fieret electio, et ordinatio Romani Pontificis, ea tantum adjecta lege, ut ipse de facta electione, et consecratione certior fieret, ut inter ipsum, et Summum Pontificem *amicitia, et pax, ac caritas societur.* Atque ita revera electus est Paschalis I., qui tantum, uti tradit scriptor vitae Ludovici Pii » post expletam consecrationem solemnem Legatos cum epistola apologetica, et maximis muneribus Imperatori misit » Adde quod nulla Stephano fuit occasio similia decernendi, neque Anastasius Bibliothecarius, qui diligenter Pontificum ejus aetatis monumenta collegit, ullam hujus decreti mentionem facit. Muratorius *rer. Italic. tom.* 2. *par.* 2. *pag.* 128. postquam plures ediderat canones Concilii Romani habiti an. 863. Nicolao I. Pontifice, numero autem 11. hunc canonem descripserat » Si qui Sacerdotibus, seu Primatibus, Nobilibus seu » cuncto Clero hujus sanctae Romanae Ecclesiae electionem Romani Pontificis » contradicere praesumpserit, sicut in Concilio Beatissimi Stephani Papae » statutum est, anathema sit » huc referendum putat decretum illud Stephani, » quod est apud Gratianum *cit. can.* 28. *dist.* 63. Tum memorans doctorum » hominum ea de re disputationem scribit haec » Acta concilii Romani nunc » mihi evulganda famosam hujusmodi controversiam dirimere posse videntur » En ut Nicolaus I. de electione Romani Pontificis agens, ac turbas in ea exoriri solitas eliminare cupiens, confirmat, et observandam decernit, » quidquid in Concilio Beatissimi Stephani Papae statutum est. Ergo de» cretum Stephani procul dubio IV. eam in rem praecesserat. Hoc autem » vix aliud esse potuit, quam quod Gratiano laudatur, cui tamen si velis » aliquid superadditum a subsequutis Pontificibus, non repugnabo. In Con» cilio quoque Romano sub Lamberto Imperatore, atque adeo non anno » 904., ut putavit Baronius, et post eum Labbaeus, sed quidem anno » 898., roboratur antiqua consuetudo observata in electione Pontificis. Si » antiqua tunc erat consuetudo, ergo ad tempora usque Stephani IV. Pa» pae illius initia non immerito deducuntur » Sed vir doctus, atque optime de literaria republica meritus non advertit ad Concilium Romanum celebratum anno 769. Stephano III. Pontifice, unde sumptus est *Can.* 3. *et* 4. *dist.* 79., ubi sane multa sunt salubriter constituta, ut omnis schismatum occasio ab electione Romani Pontificis arceatur. Ad hoc sane Romanum Concilium Nicolai referri commode potest canon ille, quem Muratorius memorat, et ideo nullum hinc mihi videtur educi argumentum posse, quo fides decreti Stephano IV., aut V. attributi comprobetur.

(2) Leo III., uti narrat Auctor Pontificalis Anastasio tributi *in ejus vit. pag.* 237. *tom.* 2. » una concordia, eademque voluntate a cunctis Sa» cerdotibus, seu Proceribus, et omni Clero, nec non et Optimatibus, » vel cuncto Populo Romano electus est, et sequenti die in natali S. Joan» nis Apostoli Pontifex in Sede Apostolica ordinatus est » Idem de Stephano V., Paschali I., ceterisque Pontificibus, qui eos proxime consequnti sunt, traditum est. Hinc Florus Magister, qui Ludovico Pio Imperatore tractatum scripsit circa annum 820. *de elect. Episc. n.* 6. *t*, 15. *Bibliot. PP. ed. Lugd. p.* 86. narrat haec » In Rom. Ecclesia usque ad prae» sentem diem cernimus, absque interrogatione Principis solo dispositio» nis divinae judicio, et fidelium suffragio Pontifices consecrari » Unde novum educitur argumentum, quo refutemus commentitium illud privilegium Adriani I., qui Carolo M. jus eligendi Romanum Pontificem concessisse fertur; qua de re satis egimus loco superiori. Fatendum tamen est, deinceps non scripta lege, sed consuetudine, quam Ecclesia tolerare debuit, inductum fuisse, ut praesentibus Imperatoris Legati Summi Pontificis consecratio perficeretur. Narrat enim ipse Anastasius de electione Leonis IV. *tom.* 2. *n.* 8. *p.* 70. Romanos vehementer angi coepisse, quod illam ignaro Principe absolverant, sed justas dedisse ejus rei causas, et Imperatoris Legatum acquievisse. Verum ea consuetudo constans non fuit, interque ipsum Leonem, et Lotharium, ac Ludovicum Imperatores » Pa» cti serie statutum est, et confirmatum, quod electio, et confirmatio fu» turi Pontificis Romani nonnisi juste, et canonice fieri debeat » uti habet Gratianus *can.* 31. *dist.* 63. Quod clarius evincitur ex iis, quae in electione Adriani II. evenisse constat ex eodem Gratiano *d. dist.* 63. *can.* 29. Cum enim Imperatoris Legati conquesti fuissent *quod dum praesentes essent, non fuerunt invitati*, a Romano Clero, proceribusque, et populo responsum est, id se non fecisse » causa contemptus Augusti, sed futu» ri temporis prospectu, ne videlicet legatos Principum in electione Ro» manorum Praesulum expectandi mos per hujusmodi fomitem inolesce» ret, qua accepta ratione Legati omnem indignationem medullitus sedave» runt, et ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt » Unde intelligimus consuetudinem illam vocandi Legatos, qui Pontificis consecrationi interessent, neque constantem, neque firmam fuisse, imo Romanum Clerum curasse, ut eadem *non inolesceret*, adeout quod identidem officiose permissum fuerat, id in posterum legis loco haberetur.

(3) Decretum hoc extat in Concilio Romano anni 904. *can.* 10. *Concil. tom.* 11. *col.* 703. Canonis verba sunt haec » Quia sancta Romana Ec» clesia, cui Deo auctore praesidemus, plurimas patitur violentias Pon» tifice obeunte, quae ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris noti» tia, et suorum Legatorum praesentia Pontificis fit consecratio, nec ca» nonico ritu, et consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii, qui » violentiam, et scandala in ejus consecratione non permittant fieri: vo» lumus, id ut deinceps abdicetur, et constituendus Pontifex convenien» tibus Episcopis, et universo clero eligatur, expetente Senatu, et Popu» lo, qui ordinandus est, et sic in conspectu omnium celeberrime electus » ab omnibus, praesentibus Legatis Imperialibus, consecretur » Canon hic explicat diserte causam, propter quam placuit constituere, ut praesentibus Imperatoris Legatis Romani Pontificis consecratio absolvatur. Quia scilicet Romana Ecclesia *plurimas patitur violentias* propter absentiam Legatorum Imperatoris, qui eas removere auctoritate, armisque possent, ideo praesen-

tes ipsi esse debent, cum fit consecratio, ut eadem tota, ac tranquilla sit. En igitur quale esset Legatorum officium. Eorum non erat consecrationem permittere, eive impedimentum inferre, sed tantum curare, ut quieta essent omnia, metusque omnis, ac violentia arceretur. Ex eodem quoque canone intelligimus, electionem factam fuisse *ab Episcopis, et Clero, expetente Senatu*, *et Populo*. Itaque illorum erat electio, Senatus, Populique petitio.

(4) At enim in Pseudo-Synodo Romana habita a Leone VIII. edita fertur Constitutio, qua Ottoni Imperatori, ejusque successoribus facultas eligendi Romanum Pontificem perpetuo conceditur. Hanc constitutionem refert Gratianus *dist.* 63. *can.* 23., eamdemque tum ex ipso, tum ex Theodorico Niemo, aliisque sumpsit Goldastus *Constit. Imperial. tom.* 1. *pag.* 29. *seqq.* qui veram esse defendit. Imo Petrus de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. cap.* 12. *lib.* 8. *num.* 10. *pag.* 446. *edit. Roborct.* 1763. vix de illius veritate dubitari posse asseverat. Sed etiamsi hujus Constitutionis explorata esset fides, et veritas, nulla tamen ejus habenda esset ratio, propterea quod Leo VIII., a quo eadem fertur edita, Pseudo-Pontifex fuit. Re tamen vera eruditi Scriptores, qui de ea copiose, diligenterque disseruerunt, gravissimis argumentis ostendunt, eam recentiori aetate a schismatico quodam homine fuisse confictam, ac Leoni attributam. Non repetam ejus rei argumenta, quae omnes fere ecclesiasticae historiae scriptores referunt, quos inter satis erit laudare Baronium *ad an.* 964. *num.* 22. *seqq. pag.* 148., ibique Pagium *tom.* 16., et Natalem Alexandrum *histor. eccles. saec. IX. et X. c.* 1. *art.* 21. *tom.* 6. *pag.* 168. Hoc unum dicam, eos qui Constitutionis veritatem defendunt, niti potissimum auctoritate Liutprandi, qui Romanae Synodo eidem interfuit. Sed primum suspecta est Liutprandi fides, qui ut gratiam iniret Imperatoris, cujus studebat partibus, facile potuit confictis singularibus juribus eidem assentari, atque eniti, ut in illo dissidiorum aestu ejus causa probabilior fieret. Simili modo confictum est privilegium, quod ab Adriano I. collatum ferunt in Carolum M., quodque initio laudat Anti-Papae Leonis Constitutio. Deinde viris intelligentibus persuasum est, multa Liutprandi nomine circumferri, quae recentiore manu conscripta sunt, aut ejus opera recentiorum additamentis ita esse corrupta, ac depravata, ut ex iis nullum firmum argumentum pro rerum gestarum veritate dignoscenda educi possit.

§. XL. Demum, quae turbulentissimis temporibus in omnibus fere electionibus erumpebant, mala, et incomoda propter studia partium, metum, violentiam, opes, potentiam eorum, qui in civitate dominabantur, fecerunt, ut his rebus remedium quaereretur. Post schisma Constantini, quem ejus frater Toto Dux Nepesinus in Romanam civitatem irrumpens in Petri Sede collocavit, major quaedam cautio adhibita videtur, ut electiones rite, ac recte expedirentur. Nam Stephanus III. seu IV., qui pulso Constantino Pontifex fuit, electus est a *Primatibus Cleri* (1); similiter Sacerdotes, seu *Proceres* Paschalem I. Pontificem

constituerunt (2). *Primates*, et *Proceres* Cleri non alii esse poterant, quam Cardinales (3), et hinc prima repetenda videntur initia eorum, quae recentiori aetate ab Alexandro III. explicatius constituta sunt. Nam deinceps loco *Primatum*, et *Procerum* expresse usurpatur nomen *Cardinalium* (4); eoque vocabulo diserte utitur Nicolaus II. tum in Concilio Romano anni 1059. (5), tum in Constitutione, quam eodem anno evulgavit, quamque plures Cardinales subscripserunt (6).

(1) Anastasius *in vit. Stephani* §. 11. *tom.* 2. *pag.* 141.

(2) Confer eumdem Anastasium *in vit. Paschal. I. pag.* 322. §. 28.

(3) Procerum nomine Cardinales designare Anastasium, rectissime observat V. Cl. Aurelius Pellicola *De Christian. Eccles. polit. lib.* 1. *cap.* 3. *sect.* 4. §. 1. *tom.* 1. *pag.* 149. *edit. Venet.* 1782.

(4) De amplissima hac dignitate satis multa diximus *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 2. *tom.* 1. *pag.* 188. *seqq.*

(5) Concilium Romanum *can.* 1. *tom.* 12. *Concil. col.* 43. habet haec » Primum quidem, inspectore Deo, est statutum, ut electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium Episcoporum sit; ita ut si quis Apostolicae Sedi sine praemissa concordi, et canonica electione eorum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum, clericorum, et laicorum consensu inthronizatur, is non Papa, vel Apostolicus, sed apostaticus habeatur. »

(6) Extat haec Nicolai Constitutio *eod. loc. col.* 50., atque his est concepta verbis » Obeunte hujus Romanae universalis Ecclesiae Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox ipsi clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus, et populus ad consensum novae electionis accedat. » Petrus Damiani, qui Alexandro II. Nicolai successore scribebat ad Cadolaum Parmensem Episcopum *lib.* 1. *ep.* 20. *opp. tom.* 1. *pag.* 17. *edit. Venet.* 1743. » Quid tibi, *inquit*, de Cardinalibus videtur Episcopis? Qui videlicet et Romanum Pontificem principaliter eligunt, et quibusdam aliis praerogativis, non modo quorumlibet Episcoporum, sed et Patriarcharum, atque Primatum jura transcendunt? Salvo quippe universalis Ecclesiae sacramento, isti sunt oculi unius lapidis, idest Romanae Ecclesiae. »

§. XLI. Neque inane studium attollendae Cardinalium dignitatis in causa fuit, cur ipsis jus totum eligendi Romanos Pontifices adscriberetur. Coercenda erat injusta potestas, quam vi, et armis usurpaverant eorum temporum Imperatores, qui saepe Pontifices designabant a clero eligendos (1), creatisque Antipapis Ecclesiam perturbabant (2); avertenda dissidia, et studia partium, quae saepe in homines male de Ecclesia meritos ferebantur, arcenda ambitio, simonia,

cetera vitia, quae in electiones irrepserant. His de causis intra solos Cardinales jus eligendi Pontificem cohibitum est. Jampridem, uti supra demonstravimus, jus illud quod initio proprium erat totius cleri, iisdem de causis translatum fuerat ad *Primates, et Proceres,* qui clerum ipsum repraesentabant; quemadmodum *Optimatibus* populi datae sunt partes, quae antea propriae erant populi universi. Nomen ipsum Cardinalis, quod initio explicabatur per vocabulum *Primatum, et Procerum*, usurpari deinceps expresse coepit, et Cardinalibus data est omnis potestas eligendi Pontificem. Sed adhuc reliquus clerus, et populus celebratae electioni assentiri debebat (3). Quamquam vero ante medium saeculum XII., cum Innocentius II. Pontificatum obtinuit, jam consuetudine receptum esset, ut soli Cardinales, nullo aliorum quaesito consensu Pontificem eligerent (4), nondum tamen res ita composita, et stabilita fuerat, ut omnia incommodorum pericula e medio sublata viderentur. Rem totam absolvit Alexander III., qui cum experiundo cognovisset, decreto illo Nicolai II., quod supra memoravimus, non satis malorum hominum ambitioni fuisse consultum, et Pontifici, qui a majori parte electus fuerat, saepe alium opponi, qui a minori parte electus fuerat, uti evenit in sui ipsius electione, in qua duo Cardinales sibi objecerunt Octavianum, quem Romani Senatores, ac Fridericus Imperator, quamdiu vixit, vi, armisque defenderunt, statuit, ut ille legitimus haberetur Pontifex, quam duae ex tribus Cardinalium partibus elegissent (5).

(1) Clemens II. opera, ac studio Henrici III. Germaniae Regis summo Romani cleri consensu Pontifex creatus est. Eadem Henrici opera Pontifex electus est Poppo Brixiensis Episcopus, qui Damasi II. nomen accepit. Eo mortuo ab ipso Henrico Imperatore, qui pessimis illis temporibus id auctoritatis sibi tribuebat, in conventu Wormatiensi an. 1048. Leo IX. Summus Pontifex designatus est, quae omnia diligenter enarrat Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 11. *et* 12. *cap.* 1. *art.* 5. *et* 6. *tom.* 6. *pag.* 6.

(2) Cadolaus Honorii nomen arripiens, favore Henrici Imperatoris, et Agnetis matris Pontifex factus quinquennium adversus Alexandrum II. de Pontificatus dignitate certavit. Guibertus sumpto Clementis nomine caput extulit contra S. Gregorium VII. fretus auctoritate, et auxilio Henrici Imperatoris. Ab eodem Henrico Albertus, et Theodoricus in Paschalem excitati sunt. Burdinus, qui se Gregorium vocari voluit, stetit contra Gelasium nixus Henrici V. potentia. Octavianus accepto Victoris nomine auxilio Friderici Imperatoris Pontificatus dignitatem usurpavit.

(3) Confer Constitutionem Nicolai II., cujus supra facta mentio est.

(4) Consule Scriptorem anonymum apud Baronium *ad ann.* 1130. *num.* 3. *tom.* 18. *pag.* 429.

(5) Extat haec Alexandri Constitutio *in Cap.* 6. *de election.*

§. XLII. Ita stabili, ac perpetua lege universo collegio Cardinalium Romani Pontificis electio commissa, et ejus expediendae constituta ratio est. Nam non modo cautum est, ut nonnisi electus a duabus ex tribus Cardinalium partibus habeatur, sitque revera Summus Pontifex, sed etiam, ut electus a tertia tantum parte una cum eligentibus excommunicationi subjiciatur, si ille Pontificatum gerat, hi vero gerenti pareant, atque ut simili poenae obnoxius sit, qui a paucioribus, quam a duabus partibus electus non se abstineat a Pontificatu, *nisi major concordia intercesserit*; hoc est nisi statim accedat aliorum rathiabitio, per quam duae ex tribus partibus efficiantur. Nam in electione Romani Pontificis post scrutinium, in quo singulorum suffragia colliguntur, fit etiam *accessus*, per quem ii, qui in scrutinio suffragium in aliquem contulerunt, possunt ad alium accedere, ita ut per hanc accessionem justus fiat numerus; quo opus est, ut Pontifex rite, ac recte electus habeatur.

XLIII. Post Alexandrum aliae sunt editae saluberrimae Constitutiones, quibus provisum est, ut in re gravissima nihil curae, laboris, diligentiae, solicitudinis omittatur. Id potissimum praestitit Gregorius X. in oecumenico Concilio Lugdunensi, quod habitum est an. 1274. Inquit initio Gregorius in Constitutione, quae in Bonifacii VIII. collectione describitur (1), duo potissimum, cum Apostolica Sedes vacua est, cavenda diligenter esse, primum ne in longum tempus Pontificis electio differatur, alterum ne discordia distrahat animos eligentium, ideoque decretis Pontificum superiorum, quibus tamen ipse nulla ex parte derogat, nonnulla ab se adjecta fuisse affirmat. Mox pergit, ac primus Conclavis disciplinam instituit, definiens, ut cum Pontifex moritur in Civitate, in qua cum sua Curia residebat, Cardinales, qui sunt in Civitate ipsa praesentes, expectare debeant absentes spatio decem dierum, quo tempore defuncto Pontifici per dies novem justa funeris solvenda sunt. Decima autem die, postquam Missa Spiritus S. solemniter celebrata est, Cardinales convenire debent

in palatium, in quo defunctus Pontifex habitabat, contenti singuli singulis sibi servientibus vel clericis, vel laicis, nisi propter evidentem necessitatem duos oporteat ad famulatum adsciscere. Sic congregati Cardinales in eodem palatio omnes in uno conclavi includuntur, quod, reservato libero ad secretam cameram aditu, ita undique claudendum est, ut nemo illud ingredi, ex eove egredi possit. Nemini autem ad eosdem Cardinales aditus patere debet, ac nemini licet cum iis secreto loqui, neque ipsis fas est ad se venientes admittere, exceptis illis, qui propter electionis negocium de voluntate omnium Cardinalium ibi praesentium audiendi sunt; neque demum alicui licitum est ad eosdem Cardinales nuncium mittere, vel scripturam, indicta ipso facto excommunicationis poena adversus eos, qui his decretis non obtemperaverint. Imo ut haec omnia magis cauta, et provisa sint, sancitum est, ut quae Cardinalibus ad victum sunt necessaria per fenestram eam ob rem apertam inferantur.

(1) Gregorius X. *in Cap.* 3. *de election. in* 6.

§. XLIV. Elapsis diebus illis decem, postero die inchoatur electio, sive absentes venerint, sive non venerint, eaque tamdiu repetenda est, donec a duabus ex tribus eligentium partibus canonice electus non habeatur. Et quoniam cum omni celeritate, ac festinatione electionis negocium expediendum est, ne suo capite diutius Ecclesia careat, ut eam Cardinales maturent, sapientissime consultum est. Nam si intra tres dies eadem absoluta non fuerit, Cardinales per quinque dies, qui proxime tres illos sequuntur, tam prandii, quam coenae causa uno ferculo contenti esse debent, ac deinceps, retardata adhuc electione, panem, vinum, et aquam accipiant, aliud praeterea nihil (1). Eadem de causa, ut electio quantocius fiat, prohibentur Cardinales aliis negociis vacare, nisi ita gravis sit necessitas, propter quam oporteat de terra ipsius Ecclesiae defendenda serio cogitare, vel nisi tam evidens, ac tam grande periculum immineat, ut ei celeriter vel singuli, vel omnes Cardinales cogantur occurrere. Quod si qui Cardinalis conclave non intraverit, aut postquam ingressus est exierit sine manifesta

causa adversae valetudinis, ceteri, qui in conclavi sunt, eo minime requisito, neque deinceps admisso, libere ed electionem procedunt. At egressus propter infirmitatem quamquam impedimento esse non possit, quominus ab aliis sese absente, et ignaro electio fiat, tamen cum eadem nondum facta est, recuperata valetudine, aut etiam infirmitate detentus venire potest in conclave daturus et ipse suffragium suum; quod etiam conceditur iis, qui post designatos dies decem, nondum finito negocio, in conclave ingrediuntur.

(1) Hujus Constitutionis severitas mitigata est a Clemente VI. *Constit. licet* 15. *tom.* 3. *par.* 2. *Bullarii pag.* 313., qua omnibus Cardinalibus duo sibi servientes clerici, aut laici permissi sunt, datumque, praeter panem, vinum, et aquam, unum ferculum » cum uno potagio de carni» bus, vel piscibus principaliter non confectis, et decentibus salsamentis » . . . . ultra carnes salatas, et herbas crudas, ac caseum, fructus, sive » electuaria » ea tamen lege » ut nullus eorum de alterius ferculo vesci » possit. »

§. XLV. Illud quoque sancitum est, ut mortuo Pontifice extra civitatem, in qua cum Curia residebat, Cardinales conveniant in eam civitatem, in cujus territorio, seu districtu idem Pontifex obiit, nisi ea sit interdicta, vel apertam rebellionem contra Romanam Ecclesiam fecerit; quia tunc ire oportet ad aliam viciniorem civitatem, quae neque rebellis, neque interdicta sit (1). Denique Gregorius Dominis, aliisque Rectoribus, et Officialibus Civitatis, in qua facienda est electio, praecipit, ut quae ab se constituta sunt, observanda curent diligenter. Gregorii Constitutionem confirmavit postea Clemens V. (2), et quaedam etiam adjecit; qualia sunt, ut morte Pontificis Camerariorum, ac Poenitentiariorum officia non expirent; ut iis morientibus, alii in eorum locum sufficiantur etiam majori numero, si id Cardinalium collegio videatur concorditer expedire; ut nomine civitatis, in qua Pontifex obiit, dioecesis intelligatur; ut electio fieri debeat in loco, in quo remanet causarum, et literarum Apostolicarum audientia, quamquam Pontifex decesserit, nisi ipse vivens alio Curiam transferri mandaverit; ut si Cardinales vel simul omnes, vel singuli separatim ante factam electionem de conclavi exie-

rin, iidem illi domini, rectoresque civitatis, quibus commissa est Gregorianae constitutionis observantia, eos redire compellant in locum, unde discesserant, ut ibi electionem perficiant secundum statum, in quo pridem erant in conclavi; postremo ut nullus Cardinalis objecta suspensionis, excommunicationis, aut interdicti causa ab electione repellatur. Additae et aliae sunt recentiori aetate aliorum Pontificum Constitutiones, de quibus longum est dicere, et quas diligenter servare oportet, cum vacua Sede Apostolica novus Pontifex creandus est (3).

(1) Videndae ea de re sunt Clementis VII. *Constitutiones cum carissimus* 31. *et licet variae* 32. *Bullar. tom.* 4. *par.* 1. *p.* 84. *et* 85.

(2) Clement. 2. *de election.*

(3) Confer Clementem VI. *Constit. licet cit.*, Julium II. *Constit. Cum tam divinos Bullar. tom.* 3. *par.* 3. *p.* 263., Paulum IV. *Const. cum secundum Apostolum* 23. *Bullar. tom.* 4. *par.* 1. *pag.* 347., Pium IV. *Const. in eligendis* 73. *ibid. tom.* 4. *par.* 2. *pag.* 145. Gregorium XV. *Constit. aeterni* 41. *ibid. tom.* 5. *par.* 4. *pag.* 400. Omnes autem antiquiores de Summi Pontificis electione constitutiones confirmavit Clemens XII. *in Constit. Apostolatus* 76. *pag.* 302. *t.* 13.. ubi plura de Conclavis regimine, ac de rebus gerendis, Sede Apostolica vacante, decreta sunt. Videndus praeterea est libellus, cui titulus, *Caeremoniale electionis Romani Pontificis*, ubi etiam habentur Constitutiones, quas Cardinales initio Conclavis sese diligenter servaturos jurati promittunt.

§. XLVI. Iisdem vero modis, quibus ceterae electiones Episcoporum, etiam Summi Pontificis electio conficitur, videlicet per *scrutinium, compromissum, quasi inspirationem*. Sed ut scrutinium accuratius, diligentiusque fiat, et omnis ab eo vel levissima adversa suspicio procul sit, ex vase, in quo omnium Cardinalium praesentium nomina continentur, ab ultimo Diaconorum sorte extrahuntur sex nomina Cardinalium, quorum tres scrutatores sunt, atque ordine colligunt singulorum suffragia, quae per schedulas dantur, reliqui tres ad infirmorum suffragia deferenda proficiscuntur. Facto scrutinio, et accessu, quod utrumque bis peragitur unaquaque die, tres alii similiter sorte Cardinales extrahuntur, qui schedulas omnes recognoscant. Hae vero schedulae ita compositae sunt, clausaeque sigillis, ut tantum electi, non autem eligentis nomen appareat; eaeque omnes sive finito negocio, sive re infecta, postea statim palam comburuntur (1).

(1) Omnia haec accurate explicantur *in cit. Constit.* 41. Gregorii XV.

DE
TRANSLATIONE EPISCOPI

TITULUS VII.

Decretum *c.* 7. *q.* 1. et *c.* 21. *q.* 2.

§. I.

Titulus hic in tertia decretalium collectione describitur post titulum *de postulatione*, propterea quod postulatus Episcopus solvendus est vinculo Ecclesiae, cui pridem addictus erat, et transferendus ad Ecclesiam, a qua postulatur. Maluit Raymundus huic praeponere titulum *de electione*, quoniam in eodem agitur de Episcopo, qui postquam electus, confirmatusque est, atque uni Ecclesiae praepositus, eamdem deserit, ut alteri Ecclesiae praeficiatur.

§. II. Translatio definitur ecclesiastici Magistratus de una in aliam Ecclesiam facta mutatio. Episcoporum translationes sacris canonibus improbantur (1), tum quod quasi spirituale adulterium habentur, propter vinculum, quo Episcopus cum sua Ecclesia copulatur (2), tum quod gravi non carent ambitionis, et avaritiae suspicione (3); sed tamen permittuntur, cum justa causa praesto est. Sic in primis statuit Synodus Romana habita ab Joanne IX., in qua vindicata est memoria Formosi Pontificis, qui relicto Portuensi Episcopatu Romanum acceperat (4); et certe non desunt exempla Episcoporum pietate, ac doctrina praestantium, qui ob utilitatem, aut necessitatem Ecclesiae Episcopatum mutarunt; atque

in ipsa Nicaena Synodo Eustathius Beraeae Episcopus ad Sedem Antiochenam translatus est (5).

(1) Concilium Nicaenum *can.* 15. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 39., Antiochenum *can.* 21. *col.* 594. *ibid.*, Sardicense *can.* 1. *et* 2. *ibid. col.* 658., et alia permulta concilia, quorum canones ex parte refert Gratianus *caus.* 7. *quaest.* 1. Atque Africani Patres V. saeculo ita oderant translationes, ut eas rebaptizationibus, ac reordinationibus fere aequasse videantur *can.* 107. *dist.* 4. *de consecr.* Theodorus Balsamon, Graecus interpres *ad d. can.* 15. Concilii Nicaeni apud Beveregium *pandect. canon. tom.* 1. *pag.* 75. *edit. Oxonii* 1672., et Nicephorus Callistus *Histor. Eccl. lib.* 14. *cap.* 39. *p.* 525. *edit. Paris.* 1630. distinctionem adhibendam esse inquiunt inter *translationem*, *transitionem*, *et invasionem* μετάθεσιν, μετάβασιν, ἐπίβασιν. *Transitio*, vel *invasio*, quam aliquis suo arbitrio facit, ac sine ulla causae cognitione a sacris canonibus vetita est, non item *translatio*, cum videlicet aliquis justis de causis, et cum superioris auctoritate transfertur. Omnem hanc interpretationem derivatam ex verbo *transeat*, quod in Gratiani editione, et in graecis Beveregii codicibus occurrit, minus recte, minusque accurate sequutus est Petrus de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 5. *pag.* 316. Verum aliter legit Dionysius Exiguus, videlicet *transferatur*, cum quo consentit Hieronymus *ep.* 69. *ad Oceanum opp. t.* 1. *col.* 417. inquiens » In Nicaena Synodo a Patribus de» cretum ne de alia in aliam Ecclesiam Episcopus transferatur » et Josephus Egyptius in sua paraphrasi arabica rem ita exprimit definitam, ut Episcopus de una ad aliam Ecclesiam migrare neque sua, neque aliena voluntate possit; quo sane et transitio, et translatio comprehenditur. Imo integer Concilii Nicaeni canon cum memorat *tumultus*, *et seditiones*, quae translationum causa exoriuntur, satis aperte indicat, agi de Episcopis, qui cum uni Ecclesiae essent addicti, ad aliam rogante populo transferuntur. His accedit, Constantinum Imperatorem laudavisse Eusebium Caesareusem, quod noluisset sua Ecclesia relicta accipere Antiochenam, quae sibi oblata fuerat, ne contra Nicaenos canones quidquam ageret, ut narrat ipse Eusebius *in vit. Constan. lib.* 3. *cap.* 61. *pag.* 557. *edit. Taurin.* 1746

(2) Van-Espenius *in Gratianum par.* 2. *caus.* 7. *opp. tom.* 5. *pag.* 250. *edit. Lovanii cit.* sententiam de matrimonio inter Episcopum, et Ecclesiam repetendam putat ex falsa decretali Evaristi P., quam describit Gratianus *can.* 11. *caus.* 7. *quaest.* 1. Ait enim » Admodum verisimile » est, ex hac falsa decretali invaluisse opinionem de matrimonio spiritua» li inter Episcopum, et suam Ecclesiam » Idem habet *in Jur. Canon. univers. par.* 1. *tit.* 15. *num.* 3. *tom.* 1. *pag.* 113., ac certo affirmat, quod decreta contra translationes » non fundant Patres in violatione vinculi spi» ritualis matrimonii inter Episcopum, et Ecclesiam, sed in avaritia, et » ambitione, quae solet Episcopos compellere ad transeundum de una ad » aliam Ecclesiam » Falso. Synodus Alexandrina, quae habita fuit multo ante quam falsae decretales vulgarentur, hoc ipsum vitium vertit Eusebio, qui ex Berytensi Ecclesia ad Nicomediensem transierat, eumque spiritualis adulterii accusat apud S. Athanasium *apolog. contr. Arianos num.* 6. *opp. tom.* 1. *pag.* 102. *edit. Patavii* 1777. Sunt haec ipsius Athanasii verba » Beryti enim ab initio Episcopus fuit, relictaque Beryto Ni» comediam se transtulit; illa quidem contra legem dimittens, istam item

» contra legem invadens .... neque animadvertit ejus praeceptum : *al-* » *ligatus es uxori, noli quaerere solutionem.* Quod si hoc de uxore di- » ctum est, quanto magis de Ecclesia, et de ipso Episcopatu, cui alli- » gatus quispiam alium quaerere non debet, ne adulter ex sacris literis » deprehendatur. » Eodem spectat S. Gregorius Nazianzenus, cui cum vitio daretur, quod relicta Sasimorum Ecclesia Constantinopolitanum Episcopatum accepisset, ipse ita respondit *orat.* 27. *opp. tom.* 1. *pag.* 468. *edit. Coloniae* 1690. » In gratiam porro cum veritate redeant, qui nos alienam » uxorem expetivisse ajunt, cum ne propriam quidem habere voluerimus», et eodem quoque Siricius P. *ep.* 10. *cap.* 5. apud Coustantium *epist. Roman. Pontif. col.* 697. . . . .

(3) Hanc sane translationum causam memorat Osius in Concilio Sardicensi *can.* 1. *tom.* 2. *concil. col.* 658. » Osius urbis Cordubae Episco- » pus dixit : non tam mala consuetudo, quam perniciosissima rerum cor- » ruptela, est ex ipsis fundamentis penitus extirpanda, ne cui Episcopo » liceat a parva civitate in aliam migrare. Ejus enim causae praetextus est » manifestus, propter quam talia tentantur. Nullus enim Episcopus adhuc » inveniri potuit, qui a majori civitate in minorem transire studuerit. Un- » de constat, eos ardenti plura habendi cupiditate succendi, et magis » arrogantiae servire, ut videantur majorem habere potestatem » Utramque autem causam, nimirum et vinculum spiritualis conjugii, et ambitionis, atque avaritiae suspicionem complexus est Hieronimus *ep.* 69. *ad Oceanum num.* 5. *tom.* 1. *col.* 417. cum inquit » Et hoc in Nicaena quo- » que synodo a Patribus decretum, ne de alia in aliam Ecclesiam Episco- » pus transferatur, ne virginis pauperculae societate contempta ditioris adul- » terae quaerat amplexus. »

(4) Confer etiam canonem Apostol. 14. apud Beveregium *Pandect. Canon. tom.* 1. *pag.* 8., et Concilium Carthaginiense IV. *can.* 27. *tom.* 2. *concil. col.* 1489.

(5) Videndus Pagius *ad Baronium ad an.* 324. *num.* 26. *tom.* 4. *pag.* 78. Similiter S. Gregorius Nazianzenus, relicto Episcopatu, quem pridem obtinebat, Theodosio M. Imperatore, ad Constantinopolitanum, et alii etiam Episcopi ad alias Ecclesias translati sunt. Ex quibus evidens est, vetitas non fuisse translationes, quae justam causam habebant.

§. III. Nemini suo lubitu licet Ecclesiam mutare, sed justa causa opus est, et superioris auctoritate. Causa vel utilitatis est, si alteri Ecclesiae utilior videatur Episcopus (1); vel necessitatis, ipse populo in odium acerbissimum venerit, si infestum ejus loci aerem ferre non possit, si praesens Ecclesia ab hostibus eversa sit (2).

(1) Can. 34. *caus.* 7. *quaest.* 1.
(2) Can. 42. *et* 44. *caus.* 7. 1.

§. IV. Superior, cujus auctoritate fieri debet Episcopi translatio, Summus Pontifex est; quoniam ea res pertinet ad caussas majores, quae Sedis Apostolicae judicio reservatae sunt.

Olim de utilitate, aut necessitate translationis judicabant Episcopi provinciae, ac Metropolita, hoc est Synodus provincialis, cujus erat causas expendere, easque judicio subjicere Romani Pontificis, a quo translatio permittebatur. Non omnia sane, quae ad hanc nostram aetatem pervenerunt (multa autem perierunt injuria temporum) antiqua monumenta hanc expresse memorant a Pontifice factam potestatem mutandi Episcopatum, quoniam res erat in communi usu posita; ita ut non oporteret facere mentionem rei omnibus notae, et pervulgatae; nisi qua de ea controversia oriretur. Sed quae tamen extant cuncta in illustri loco ponunt (1); ac si cetera deessent, res ipsa clamat, nonnisi a Romano Pontifice derogari potuisse legibus a Nicaeno OEcumenico, aliisque conciliis latis, quae apertissime vetant Episcoporum translationes. Itaque jus est veritate nixum, et vetustate firmatum, quod scripto mandarunt Summi Pontifices, praesertim Innocentius III. (2), et quo receptum est, ut tantum ejusdem Pontificis auctoritate Episcopi ex una ad aliam Ecclesiam transferantur. Qui eo ignaro sponte sua mutat Ecclesiam, amittit et novam, quam vitio coepit imprudens, et veterem, quam inauspicato deseruit (3); ac si Episcopo data est facultas migrandi ad majorem Ecclesiam, is ad parem, aut ad minorem transferri non potest (4). Minorum autem beneficiorum Rectores transfert Episcopus, cujus in dioecesi ea sita sunt, factaque translatione vacat beneficium, cum Sacri Canones aliquem pluribus Ecclesiis adscribi vetent, qua de re alius erit agendi locus.

(1) Mortuo Maximiano Constantinopolitano Episcopo Theodosius Imperator ei surrogari volebat Proclum; sed clerus, populusque Constantinopolitanus id fieri posse negabat; cum Proclus esset Cyzici Episcopus, neque eum ex una ad aliam Ecclesiam transferre liceret. Sed exhibitis literis Romani Pontificis, qui translationem permittebat, omnis controversia sublata, et Proclus Constantinopolitanus Episcopus renunciatus est, sicuti narrat Socrates *Histor. Eccles. lib. 7. cap.* 40. *pag.* 329. *edit. Taurin.* 1747. Perigenes Episcopus Patrensibus datus fuerat; Corinthii ut eum sibi haberent Episcopum, a Bonifacio I. postularunt, atque ejus auctoritate Corinthiorum Ecclesiae praefectus est, uti patet ex ejusdem Bonifacii *epist.* 4. *et* 15. apud Constantinum *col.* 1019. *et* 1039., et Socrate *lib.* 7. *cap.* 36. *pag.* 324., et huic suae voluntati quemquam obsistere Pontifex vetat. Irenaeus sua relicta Ecclesia, quam antea regebat, ad Barchinonensem Episcopatum transferri voluerat, eique Tarraconense Concilium morem gesserat. Sed re perlata ad Hilarum Pontificem, hic statim praecepit, ut *remoto ab Ecclesia Barchinonensi, atque ad suam remisso Iraneo*, alius Bar-

chinonensibus Episcopus constitueretur. Atque Hilarus quidem a Tarroeensis Concilii Patribus rogatus fuerat, ut translationem permitteret, quoniam ad Pontificem *literas* dederant, quibus illam *apostolica auctoritate roborari cupiebant*, uti patet ex ejusdem Hilari *epist.* 2. *apud Labbaeum tom.* 5. *Concil. col.* 59. Ergo Tarraconenses Patres necessariam agnoverunt Summi Pontificis auctoritatem, ut Irenaei translatio rata firma haberetur. Idem scribit Pontifex *ep.* 3. *ibid. col.* 60. Similiter S. Gregorius M. *ep.* 79. *lib.* 1. *opp. tom.* 2. *col.* 563. Martinum Tainatensem Episcopum ad Saonensem Ecclesiam transtulit; ac recentiori aetate rogatu Caroli Calvi tum Actardus Mannetichae Sedis Episcopus a Nicolao I. *tom.* 10. *Concil. Labbaei col.* 383. ad aliam Sedem translatus est, tum a Joanne VIII. Frotarius Burdigalensis Episcopus Bituricensem Ecclesiam obtinuit, uti ostendit ipsius Joannis *epist.* 8. apud Labbaeum *tom.* 11. *Concil. col.* 7. Mitto cetera, in quibus late versantur Bianchius *della potestà, e della politia della Chiesa lib.* 3. *cap.* 4. §. 1. *tom* 5. *par* 1. *pag.* 390. *seqq.*, et Zaccaria *Anti-Febron. vindic. par.* 3. *dissert.* 8. *cap.* 3. *pag.* 399.

(2) Decretum Innocentii III., quod est in *c.* 2. *de translat.*, vehementer objurgant hostes Sedis Apostolicae, quod eum primum novam hanc, disciplinam induxisse ferunt, per quam Episcoporum translationes Romani Pontificis judicio reservatae sunt, eamque sumptam ajunt ex falsa Decretali Anteri, quam describit Gratianus *can.* 34. *caus.* 7. *quaest.* 1. quod carnale conjugium cum spirituali confertur, atque hoc illo *fortius* dicitur, quod secundum Innocentii doctrinam, quoniam a Summo Pontifice spirituale matrimonium solvitur, etiam carnale solvi videatur posse. Sed falsum principio est, quod nova sit disciplina ab Innocentio tradita *in Cap.* 2. cum jam inde a V. saeculo cum Romani Pontificis auctoritate, uti supra ostendimus, fierent Episcoporum translationes. Neque id primus Innocentius scripta lege confirmavit. Nam eo vetustior Paschalis II. in literis, quibus Roffensis Episcopi ad Cantauriensem Ecclesiam translationi assentiebatur, diserte scripserat apud Labbaeum *ep.* 107. *tom.* 12. *Concil. col.* 1055. „ Vos » praeter auctoritatem nostram Episcoporum quoque mutationes praesumitis; » quod sine sacrosantae Romanae Sedis auctoritate, ac licentia fieri no» vimus omnino prohibitum» Hinc Ivo Carnotensis Paschali aetate suppar eumdem rogat *ep.* 144. *opp. par.* 2. *pag.* 61. *edit. Paris.* 1647., ut Galonem Episcopum ex Belvacensi Episcopatu transferri jubeat ad Parisiensem; et *ep.* 146. *pag.* 62. » Translationes, *inquit*, Episcoporum necessitate urgente » Metropolitani auctoritate, et Summi Pontificis dispensatione fieri oportet » et S. Anselmus Cantuariensis, qui iisdem temporibus vixit, *lib.* 3. *epist.* 126. *pag.* 412. *edit. Paris.* 1675. » Qui sacratus est Episcopus, *inquit*, non » potest constitui in alia provincia Episcopus canonice, sine consilio, et as» sensu Archiepiscopi, et Episcoporum ejusdem provinciae, cum auctoritate Apostolica » Non igitur novum est, aut primum scripta lege constitutum, quod ab Innocentio traditur. Neque ipse opus habebat, quod putat Rupertus Curaltius *Principj genuini di tutta la giurisprudenza sagra cap.* 22. *num.* 2. *tom.* 2. *pag.* 77. falsa Anteri decretali, quam nusquam memorat, ut legem ferret, quae jamdiu receptam disciplinam continebat. Est item antiquissima Patrum sententia, quod Episcopus cum sua Ecclesia spirituale matrimonium contrahat, uti demonstratum paulo ante est, ideoque ejus vinculum cum vinculo carnalis matrimonii rectissime comparatur. Neque reprehendendus est Innocentius, quod carnali *fortius* dixit vinculum spiritualis matrimonii. Bellarminus *de potest. Pap. in reb. tempor. cap.* 29. *opp. tom.* 5. *pag.* 77. *edit. Venet.* 1721. quomodo id verum sit osten-

dit. Ait enim spirituale vinculum fortius esse, propterea quod plane tolli numquam potest, quoniam semper manet character in animo impressus, contra vero carnale vinculum conjugis morte solvitur. Rursus spirituale vinculum, quo quis certae Ecclesiae addictus est, ab uno tollitur Romano Pontifice, sed matrimonium ratum, non consummatum potest alter conjugum jure solvere, si regulare institutum amplectatur. Item matrimonium inter infideles contractum, et consummatum, potest solvere alter conjugum, si Christianam fidem suscipiat, atque alter in veteri proposito perseveret. Denique matrimonia rata, et consummata quoad thorum, et cohabitationem certis de causis ab Episcopo solvuntur, matrimonium spirituale etiam quoad cohabitationem ab uno Romano Pontifice solvi potest. Ex quibus efficit Bellarminus, spirituale vinculum carnali fortius, rectissime ab Innocentio appellari. Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 2. lib. 2. cap. 64. num. 6. tom. 2. pag.* 309. de illa Innocentii decretali dicit haec» observa quam considerate, et circumspecte Innocentius loquatur, ubi ait, » Sedem Apostolicam a Christo ipso Principatum omnium Ecclesiarum donatam » esse; concilia vero posteriora ei exemplo ut se accomodarent, majores causas ei reservasse, ex quo contigit, ut saeculis volventibus cum translationes quoque Episcoporum majoribus causis fuerint adscriptae, eae quoque Petri Sedi reservarentur. Ita videri possunt hi veluti rivuli ab illo » primigenio manasse Primatus fonte, etsi nonnisi longo post tempore in » lucem eruperint » Mox tria distinguit, Primatum scilicet, causas majores, et Episcoporum traslationes. Primatum divini juris esse inter catholicos omnes constat; atqui ad idem jus referenda sunt etiam, quae ex Primatu descendunt, uti sunt causae majores; cum autem his annumerentur etiam translationes Episcoporum, merito Innocentius dixit spirituale conjugium inter Episcopum, et Ecclesiam dissolvi potestate divina, hoc est potestate annexa Primatui, qui divinitus cum ampla illa in totam Ecclesiam auctoritate institutus est. Dicam ea de re pauca. Innocentii propositum est ostendere; rem esse difficillimam Episcopi translationem; quoniam solvendum est spirituale vinculum, quo ille Ecclesiae obligatur. Ut id efficeret, duo ipse demonstrare debebat, primum difficillime solvi vinculum spirituale, deinde hoc vinculo teneri Episcopum, qui suae Ecclesiae adscriptus est. Illud ostendit datis argumentis, quibus conficit *corporalia facilius destrui, quam construi, spiritualia vero facilius construi, quam destrui*; alterum evincit, quod ut inter duos conjuges carnale, ita inter Episcopum, et Ecclesiam spirituale matrimonium est. Unde sequitur, ut quemadmodum Deus *dissolutionem carnalis conjugii suo tantum judicio reservavit*, ita etiam conjugium spirituale *suo tantum judicio reservaverit dissolvendum*. Itaque hoc spirituale matrimonium humana potestate solvi non potest, sed opus est potestate divina, illa scilicet, quam Christus Primati Ecclesiae dedit, praeterea nemini. Summa haec est totius argumentationis, in qua sane nihil video, quod Innocentio vitio verti posse videatur. At spirituale vinculum *fortius*, quam carnale esse affirmat; cujus rei consequens esse videtur, ut si Pontifex spirituale solvit, multo magis solvere carnale matrimonium possit. Verum nihil tale Innocentius asseverat. *Fortius* appellat spirituale, quam carnale vinculum, quia illud facilius *construitur*, difficilius *destruitur*, hoc vero facilius *destruitur*, quam *construitur*, et huc spectant exempla quae dantur, et ex quibus efficitur, ut spirituale vinculum carnali *fortius* habeatur. Vis tota argumenti eo refertur, ut pateat spirituale vinculum ab hominibus tolli non posse, sicuti neque carnale tollitur. Non enim Pontifex

comparat dissolutonem utriusque vinculi quoad Petrum, ejusque successores, sed quoad homines, quibus non licet solvere spiritnale vinculum, uti solvere carnale nefas est. Spirituale solvit Pontifex propter divinam auctoritatem Primatui annexam, sed illud solvere non possunt homines, in quibus non eadem inest auctoritas.

(3) Cap. 3. *de translat. Episc.* Quod idem multo antea statuerat S. Leo M. *epist.* 14. *cap.* 8. *tom.* 1. *opp. col.* 689., cujus haec verba sunt » Si quis Episcopus, civitatis suae mediocritate despecta, administrationem » loci celebrioris ambierit, et ad majorem se plebem quacunque ratione » transtulerit, a cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit et propria; » ut nec illis praesideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos » per superbiam sprevit. »

(4) Cap. 4. *de translat. Episc.*

DE AUCTORITATE, ET USU PALLII

TITULUS VIII.

I. Quid Pallium?
II. Quae Pallii origo sit?
III. Pallii materia et ejus conficiendi, ac benedicendi ratio.
IV. Quando, et quo loco Pallium adhibere liceat?
V. Quomodo petendum Pallium, quaeque ejus auctoritas sit?
VI. Pallium alteri commodari non potest, ac novum petendum est, si Archiepiscopus ad aliam Ecclesiam transferatur, moriensque cum utroque sepelitur.

Extravagant. Commun. *lib.* 1. *tit.* 4.,
Decretum *dist.* 100.

§. I.

Impetrata confirmatione post consecrationem Episcopi omnia Episcopalis dignitatis munera expedire possunt; verum Patriarchae, et Metropolitae, nisi antea Pallium acceperint, aliquid eorum exercere prohibentur. Est autem Pallium, quod Graeci *omophorion* vocant (1), fascia lanea candida (2), tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quae humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas in pectus, et humeros impendentes, cum sex sericis nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis consuitur, et alligatur. Ejus origo controversa, atque inter doctissimos plena dissensionis est. Sunt enim qui Imperatorum beneficio Pontificibus concessum Pallium existimant (3); sunt qui illud primum in Oriente, deinceps vero ejus exemplo in Occidente usurpari coepisse contendunt, sunt qui a Marco Pontifice, quem IV. Ecclesiae saeculo floruisse constat, qui a Silvestro, qui a Lino, quique ab Apostolorum Principe ejus originem repetendam putant.

(1) In multis tamen differt Graecorum *omophorion* a Latinorum Pallio, qua de re videndus est Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 24. §. 16. *tom.* 2. *pag.* 274.. et Christianus Lupus *de Afric. Eccles. Rom. appellat cap.* 7. *opp. tom.* 8. *pag.* 175. *seqq. edit. Venet.* 1724.

(2) Antiquam pallii formam describit Innocentius III. *lib.* 1. *Myster. Missae cap.* 63. *tom.* 1. *opp. pag.* 334. *edit. Coloniae* 1575. his verbis. » Fit enim pallium de candida lana contextum, habens desuper circulum hu» meros constringentem, et duas lineas ab utraque parte dependentes; qua» tuor autem cruces purpureas ante et retro a dextris, et a sinistris, sed » a sinistris est duplex, et simplex a dextris » Nunc autem sex cruces sunt, eaeque nigri coloris. Eadem fere habent Rabanus *de instit. cleric. cap.* 23. *opp. tom.* 6. *pag. edit Coloniae* 1627., Durandus *divin. offic. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 3. *et* 4. *pag.* 52. *edit. Venet* 1568., Rupertus Abbas *lib.* 1. *cap.* 27. *de divin. offic. opp. tom.* 4. *p.* 12. *edit Venet.* 1748.

(3) Qui Patriarcharum, et Metropolitarum pallium Imperatorum ornamentum olim fuisse, ab iisque Ecclesiae concessum arbitrantur, ii nituntur monumentis, quae intelligentium hominum judicio falsa sunt. Hujus generis est donatio Constantini Imperatoris, quam re non cognita descripsit Gratianus, et ejusdem quoque indolis est rescriptum Valentiniani III. Imperatoris, quod habet Agnellus *lib. Pontif. in vit. S. Maxim. pag.* 84 *edit. Mutinae* 1708., et de quo late disputant Baronius *ad an.* 432. *num.* 94. *seqq. tom.* 7. *pag.* 446. *seqq.*, Schelestratius *antiq. eccles. dissert.* 4. *cap.* 5. *n.* 7. *tom.* 2. *pag.* 271. *edit. Romae* 1692. Norisius *dissert. histor., de Synod. V. cap.* 10. *opp. tom.* 1. *col.* 760. *ed. Veron.* 1729. Christianus Lupus *dissert.* 2. *de Affrican. Eccles. Roman. appellat. cap.* 8. *pag.* 176. *seqq.*, Bacchinius *in praefat. ad Agnellum pag.* 20. *num.* 12. *et seqq.*, *ac de Ecclesiast, hierarch. orig. n. par.* 3. *num.* 3. *pag.* 378. *et seq. edit. Mutinae* 1703. Porro vetustissimae illae formulae verborum, quibus semper Romani Pontifices in concedendo pallio usi sunt, evidenter ostendunt, rem omnem gestam tantum Apostolicae Sedis beneficio, et auctoritate. Nam Symmachus, qui in exitu V., et initio VI. saeculi Pontificatum obtinuit, *ep.* 11. *ad Teodorum Laureacensem tom.* 5. *Concil Labbaei col.* 410. sese illud largiri declaravit *ex caritate Apostolica*, Vigilius *ep.* 7. *ad Auxanium Arelatensem ibid. col.* 1301. *B. Petri sancta auctoritate*, Gregorius M. *lib.* 5. *ep. ad Marinianum Raven. Episc. col.* 787. *opp. tom.* 2. *Apostolicae Sedis benevolentia.* Accedit, quod Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis apud Nicolaum I. Pontificem accusatus est, quod extra statutos dies pallium adhibuisset; hujus autem facti excusationem hanc unam affert Flodoardus *lib.* 3. *Histor, Eccles. Rhemen. cap.* 10. *pag.* 169. *edit. Paris.* 1611., quod ille hanc facultatem a Leone IV. obtinuisset *per intercessionem Lotharii Imperatoris.* An haec scribi vere, recteque potuissent, nisi Sedes Apostolica pallium suo prorsus arbitrio, et auctoritate concessisset? Si quis alicui Episcopo ab Imperatore concessum dicat privilegium gestandi pretiosiorem aliquam vestem, qua ipse semetipsum induere solebat, equidem non repugnabo; sed haec vestis valde diversa est ab ecclesiastico illo indumento, quod pallium appellamus. Multos sane in errorem induxit hoc ipsum pallii vocabulum, quod generale est, et significat omne indumentum, quo cuncti utebantur, et quo totum corpus tegebatur. Sed quis ex eo evinciat, huic indumento vel communi omnibus, vel etiam proprio Imperatoris, aut Magistratus simile fuisse pallium, quod ornamenti loco, et dignitatis causa conceditur Patriarchis, et Metropolitis, ut ab Episcopis distinguantur? Hoc quoque pallium initio usque ad talos productum fuisse multi tradiderunt ex eo, quod *lib.* 15. *annal. num.* 5. *tom.* 2. *pag.* 108. *edit. Paris.* 1687. narrat Zonaras, Anastasium Germani Patriarchae vestigiis insistentem ejus omophorion calcasse, ut ejus gres-

sus retardaret; verum, sicuti est a Christiano Lupo *in cit. dissert. de African Eccles. etc. cap. 7. pag.* 174. animadversum, eo loco loquitur Zonaras de stola, hoc est de manicata veste talari, non autem de pallio, quod tantum intra Ecclesiam geritur; dum contra Anastasius S. Germani vestem extra Ecclesiam calcavit.

§. II. In hac rerum obscuritate similior veri esse videtur sententia eorum, qui jam inde a prima aetate pallium ab Ecclesia adhiberi coepisse defendunt, sumpto exemplo ex splendidissimis vestibus, quas Deus ipse dedit Aaroni, ejusque descendentibus, quasque inter erat „ Rationale, seu superhu-„ merale de auro, et hyacintho, et purpura, coccoque bis „ tincto, et bysso retorta, opere polymito duas oras junctas „ *habens* in utroque latere summitatum, ut in unum redeant (1). Si vetustae traditioni, et quibusdam historiarum Scriptoribus habenda fides est, pallium adhibuit Apostolorum Princeps (2), ejusque discipulus Marcus Evangelista, primusque Episcopus Alexandrinus (3), et adhibuit etiam S. Jacobus Apostolus, qui Jerosolymitanam Ecclesiam gubernavit (4). Facta ecclesiasticarum provinciarum divisione, eo praesertim tempore, quo Sacerdotes a Diaconis, a Sacerdotibus Episcopi, atque inter eos illi, qui principem habebant locum vestibus distingui coeperunt, horum aliquibus tributum videtur pallium, ut per hoc ornamentum eorum praecipua dignitas significaretur. Neque enim aliud, praeter pallium, videtur occurrere ornamenti genus, quo superiores, aut inferiores jurisdictione Episcopi inter se discernantur (5).

(1) Exodus cap. XXVIII *vers.* 4. *et seq.* Auctor libri *de divin. offic.* qui vulgo tribuitur Flacco Albino, sive Alcuino Magistro Caroli M. *cap.* 33. *pag.* 1037. *edit. Paris.* 1617. Pro rationali, *inquit*, nunc summi Pon-» tifices, quos Archiepiscopos dicimus, pallio utuntur, quod a sancta Ro-» mana Sede, Apostolico dante, accipiunt » Vetus quoque *expositio antiq.* » *liturg. Gallican.* apud Martenium *anecdot. tom.* 5. *col.* 99. exemplo *Rationalis* pallium usurpatum statuit. Bruno vero Signiensis *de sacram. Eccles. opp. tom.* 2. *pag.* 604, *edit. Romae* 1789. » Restat nunc, *inquit*, ut de » pallio dicamus, per quod simul utrumque et superhumerale, et rationale » intelligimus, Quia enim super utrumque Pontificis humerum jacet, su-» perhumerale dicitur; quia vero inde descendens in ipso Pontificis pectore » jungitur, rationale vocatur » Confer etiam Baronium *ad annum* 336. *num.* 65. *tom.* 4. *pag.* 291., et Bianchinium *not. in Anastas. tom.* 2. *pag.* 218.

(2) In Ecclesia Trevirensi usque ad saeculum XII., quo vitae usura fruebatur Rupertus Abbas, sicut ipse testatur *de divin. offic. lib.* 1. c.

27. *p.* 12. constans traditio erat, Petrum Apostolorum Principem pallium dedisse Materno discipulo suo, ac primo Trevirensium Episcopo. Inquit enim » Trevirensis Ecclesiae Maternus a B. Petro Apostolo missus hereditatem pallii suis successoribus dereliquit. »

(3) Liberatus Carthaginiensis Ecclesiae Archidiaconus *in Breviar. c.* 10. *p.* 140. *ed. Paris.* 1675. » Consuetudo, *inquit*, est Alexandriae, illum qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque ejus dexteram capiti suo imponere, ex sepulto manibus suis accipere collo suo B. Marci Pallium, et tunc legitime sedere » Confer etiam Sollerium *Histor. Patriarch. Alexandr. praemissa tom.* 5. *Sanctorum Junii* apud Bollandum.

(4) Sicuti in Alexandrina B. Marci, ita in Jerosolymitana Ecclesia B. Jacobi pallium ab uno ad alium Episcopum transferri solebat. Pallium hoc Theodosius Patriarcha Jerosolymitanus dono misit ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, quem magnopere diligebat, ac proptee vitae integritatem venerabatur, uti multis datis monumentis ostendit Christianus Lupus *loc. cit. cap.* 12. *pag.* 194. Atque his quidem, quae de Ecclesiis Trevirensi, Alexandrina, Jerosolymitana, Constantinopolitana indicata sunt, monumentis fretus Laurentius Bertius *dissert. sopra l' antichità del pallio* quae est *dissert.* 8. *inter dissertat. Italicas a Fr. Antonio Zaccaria collectas tom.* 9. *pag.* 223. *seqq.* pallii originem ab Apostolis repetendam putat. Cum enim Apostoli, antequam sese invicem separarent, communes doctrinae regulas, ac ritus Jerosolymae constituerint, neque credibile sit, aut S. Marcum aliud in Ecclesiam Alexandrinam induxisse, *quam quod ab Ordinatore suscepit*, ut inquit S. Leo M., aut S. Petri discipulos novos instituisse ritus, et consuetudines, quas a magistro non acceperant, simillimum veri esse videtur, quod Marcus ex Petri institutione, Jacobus autem ex ejusdem imitatione pallium usurpaverint, cujus rei cum nullum pateat initium, id ex proteita Augustini regula *nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimo creditur.*

(5) Videndi sunt Robertus Sala *in not. ad Card Bonam rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 24. *tom.* 2. *pag.* 278. *not.* 7., et Mamachius *ad Auctor. opuscul. quid est Papa ? ep.* 3. *num.* 10. *tom.* 1. *pag.* 228., et Du Cangius *glossar. med. et infim. latinit. verb. pallium.*

§. III. Pallium designat pellem ovis, quam Dominus errantem quaesivit, inventamque suis humeris sustulit (1); sumitur vero ex altari, ubi conditum est B. Petri corpus, idcirco ex eodem Petri corpore sumptum dicitur (2). Nam die S. Agnetis Virginis, qui est dies 21. Januarii, in ejusdem Agnetis templo in via Nomentana singulis annis duo candidi agni offerri, ac benedici solent, cum in Missa solemni cantatur *agnus Dei*, deincepsque Canonicis duobus Ecclesiae Lateranensis, atque ab his Apostolicis Subdiaconis traduntur, quorum est eos ad tempus particularibus in pascuis retinere, donec tempore opportuno tondeantur. Ex ea vero lana cum alia commixta, atque in filum a certis monialibus deducte

conficiuntur pallia, quae postea collocantur super altare illud, in quo B. Petri corpus jacet, atque in vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli post vesperas solemni ritu benedicuntur. Tantum a Romano Pontifice pallium conceditur (3); et olim quidem Apostolicae Sedis vicariis ut plurimum, tribuebatur (4), nunc datur omnibus Patriarchis, et Metropolitis (5), quorum amplior potestas per illud designatur (6).

(1) Isidorus Pelusiotes *lib.* 1. *epist.* 136. *pag.* 27. *edit. Venet.* 1745.
» Id autem amiculum, *inquit*, quod Sacerdos humeris gestat, atque ex la-
» na, non ex lino contextum est, *ovis* illius, quam Dominus aberrantem
» quaesivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episco-
» pus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso
» etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius, ac magni Pastoris imi-
» tatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Ac diligen-
» ter animum attende. Nam cum ipse verus Pastor per adorandorum Evan-
» goliorum aperitionem accedit, tum demum Episcopus assurgit, atque imi-
» tationis habitum deponit; hinc nimirum Dominum ipsum pastoralis ar-
» tis Ducem, ac Deum, et herum adesse significans » Quem Isidori locum
egregie illustrat Isaacus Habertus *in not. ad Pontific. Graecor. par.* 2.
observ. 3. *pag.* 24. *edit. Paris.* 1643.

(2) Confer doctissimum Cardinalem Borgiam *Vaticana Confessio pag.*
69., a quo etiam ostenditur *pag.* 220. *et* 234., quibus caeremoniis saecu-
lis XII. et XV. pallia consecrarentur.

(3) S. Marcus, qui Pontifex creatus est an. 336., uti testatur Au-
ctor Pontificalis *in vit. Marc. tom.* 2. *pag.* 54. *edit. Romae* 1718. » con-
» stituit ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, palliu ute-
» retur » Atque hic in rebus gestis Pontificum Romanorum primam pallii
mentionem reperiri tradit Baronius *ad an.* 336. *num.* 65. *tom.* 4. *pag.* 291.,
non inde tamen colligi potest illud tunc primum fuisse institutum. Van-E-
spenius *Jus Canon. univers. par.* 1. *tit.* 19. *cap.* 5. *tom.* 1. *pag.* 156. *seq.*,
et Curaltius *Principj genuini di tutta la giurisprudenza sacra cap.* 23.
tom. 2. *pag.* 102. *edit. Prati* 1787. post Richerium, Petrum de Marca,
atque alios olim sine consensu Imperatoris pallium concedi potuisse negant,
atque eorum argumenta sunt haec. Primum quod idem Imperatorium or-
namentum fuerit, quod ab Imperatore Summo Pontifici, atque Episcopis
concessum fuit. Verum falsa est haec Imperatorum largitio, cum pallium A-
postolicae institutionis sit, uti supra demonstravimus. Alterum argumentum
est, quod teste Liberto Diacono *Breviar. cap.* 21., Anthimus Patriarcha
Constantinopolitanus cum Sede pulsus est, pallium Imperatori restituit, quod
propterea S. Gregorius M. affirmat, sese Augustodunensi Episcopo Syagrio pal-
lium concedere, quoniam in ea re imperatoris *prona voluntas est*, *et con-*
cedi omnino desiderat. Sed quod de Anthimo dicitur, mirum non est hae-
reticum hominem, qui infensum gerebat animum contra Summum Ponti-
ficem, a quo exauctoratus fuerat, pallium Imperatori tradidisse; verum
Paulo Alexandrino non a Justiniano Imperatore, sed a Pelagio Romanae
Ecclesiae Diacono, atque ab Episcopis Jerosolymitano, et Ephesino pallium
ademtum est; et cum S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus inju-
ste a Leone Isaurico Iconoclasta Sede pulsus est, ipse suis manibus sibi

pallium ademit, ac super altare collocavit. Quod autem additur de Gregorio, M., id profecto hoc unum ostendit, quod Imperator vehementer cupiebat, ut Syagrio pallium a Summo Pontifice concederetur: sed de ejus consensu, atque auctoritate nullum ibi vel leve indicium est. Certe cum Gregorius M. Mariniano Ravennae Episcopo pallium concessit, sese illud largiri professus est *Apostolicae Sedis benevolentia*, eademque formula usi sunt alii Pontifices, quorum testimonia descripsimus §. 1. *not.* 2. Omnes Episcopi apud Graecos nunc pallio utuntur, quod ipsos sibi ultimis saeculis arrogasse tradit Gaorius *Euchalog. Graecor. tit. de Episc ordinat. pag.* 312. *edit. Paris.* 1647.; et vero etiam Graecos Antistites olim a Summo Pontifice pallium obtinuisse docet S. Gregorius M. *lib.* 2. *ep.* 23. *et lib.* 5. *ep.* 57. *lib.* 6. *ep.* 8. *tom.* 2. *opp. col.* 586. 788. 798., lateque ostendit Christianus Lupus *in can.* 27. *Concilii VIII. opp. tom.* 3. *pag.* 318. *edit. indic.* Superiori saeculo Graecus Patriarcha Alexandrinus, qui schisma ejuraverat, a Clemente XI. P. petiit, atque impetravit pallium, sicuti narrat Cardinalis Petra *Constit. Apostol. ad constit.* 3. *Pii II. sect. unic. num.* 5. *tom.* 5. *pag.* 115. Alia ejusmodi exempla sunt apud Benedictum XIV. *Bullar. tom.* 1. *Const. dum nobiscum* 92. *pag.* 190. *et const. Literas* 101. *pag.* 221., *et in append. num.* 6. *et* 7. *pag.* 388. *et* 390. *edit. Romae* 1754. Quomodo autem id evenerit, ut nunc cuncti Episcopi sine venia Summi Pontificis pallium gerant, ostendit Liutprandus *in legation. II. Constantinopol. ad Nicephorum Phocam nomine Othonis* apud Muratorium *Scriptor. rer. Italic. tom.* 2. *pag.* 488. his verbis » Romanus Imperator filium suum Theophilactum eunuchum Patriarcham constituit; » cumque eum Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis » magnis, effecit, ut ex Papae nomine Theophylacto Patriarchae literae » mitterentur; qua auctoritate cum ipse, tum ejus successores ejus absque » Paparum permissu palliis uterentur. Ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solum Patriarchae, sed etiam Episcopi totius » Graeciae palliis utantur. Quod quam absurdum sit, censore opus non » est „ Idem Liutprandus hoc Alberici facinus narrat *de reb. Europ. lib* » 3. *cap.* 12. apud Duchesnium *Histor. Franc. tom.* 3. *pag.* 598., et apud Baronium *ad an.* 934. *num.* 1. *tom.* 13. *pag.* 1. Vigilius P. cum Auxanium Arelatensem Episcopum sui vicarium constituit *ep.* 7. apud Labbaeum *Concil. tom.* 5. *col.* 1301., eidem quoque pallium attribuit » Quia digna, *inquit*, credimus ratione compleri, ut agenti vices nostras pallii » non desit ornatus, usum tibi ejus, sicuti decessori tuo praedecessor noster sanctae recordationis Symmachus legitur contulisse, B. Petri sancta auctoritate concedimus » Quo ex loco intelligimus et Caesario, qui » fuit decessor Auxanii, pallium a Symmacho fuisse concessum. Eodem VI. saeculo Pelagius I. cum Vicarium Apostolicum creasset Sapaudum Episcopum item Arelatensem literis ad eum datis an. 557. apud eumdem Labbaeum *tom.* 6. *col.* 477., pallium ei se attribuere dixit, » ut in tanto » loci fastigio constitutus praeclaro quoque habitu decoraretur. Pelagii Successor Gregorius M. Joanni Episcopo primae Justinianae, quod suas vices ageret, pallium dedit *lib.* 2. *ep.* 23. *tom.* 2. *opp. col.* 586., Vigilio Arelatensi *lib.* 5. *ep.* 53. *col.* 781., atque aliis, qui in iisdem Gregorii literis memorantur. Huc etiam referendus est Rabanus *de Instit. Cleric. lib.* 1. *cap.* 23. *opp. tom.* 6. *pag.* 8. *edit. Coloniae* 1626. cum ait » super haec » autem omnia Summo Pontifici propter Apostolicam vicem pallii honor decernitur » Verum quod Sedis Apostolicae vicariis pallium concederetur, non

ideo confici potest, ejusdem pallii donationi munus ipsum Apostolici vicarii necessario annexum fuisse, ita ut alteram omnino alterum sequeretur, uti ostendit Cardinalis Norisius *Histor. Pelagian. lib.* 1. *cap* 20. *opp. tom.* 1. *col.* 207. *edit. Veronae* 1729. Ceterum Petrus de Marca *concord. sacerdot. et imper. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 1. ut suam de Gallicano Pallio a Romano distincto sententiam confirmet, statuit, aetate Gregorii M. solum Arelatensem Episcopum illud in Gallia gestare consuevisse. Sed ex vita Desiderii Viennensis Episcopi apud Henschenium, et Papebrochium *ad diem* 23. *Maii tom.* 5. *act. SS. pag.* 252. *edit. Antuerpiae* 1685. constat, eum » etiam eum Archiepiscopus factus est, ex more Romam misisse pro adi» piscendo Sedis Apostolicae pallio » Ex quo patet, Desiderium non primo, sed ex veteri more pallium a Sede Apostolica postulasse. Ex eodem loco deprehenditur, quam falsa sit sententia ejusdem Petri de Marca *loc. cit. cap.* 6., qui ait, Romanos Pontifices summam in mittendis palliis ad Episcopos Gallicanos curam adhibuisse, ut jus Metropoliticum a Vicariatu Sedis Apostolicae pendere videretur, atque ut iis nova servitus, novumque jugum imponeretur. Non enim pallium sua sponte offert Gregorius, ut jugium aliquod imponat, sed ipse Desiderius illud a Gregorio postulat *de more*, quod indicat antiquam consuetudinem. Quid quod ipse Gregorius *lib.* 9. *ep.* 11. *col.* 936. *et seq.* Syagrio pallium, quod antea negaverat, quia schismaticorum errore erat implicitus, qui illud venerat accepturus, postea concedit propter *postulationem* Brunechildae Francorum Reginae, atque etiam profitetur, quod » honor pallii nisi exigentibus causarum meritis, et for» titer postulanti dari non debeat » Alios quoque Pontifices saepe postulantibus pallium denegasse constat, quos inter IX. saeculo Nicolaus I. illud Dolensi Episcopo dare recusavit, uti constat ex *ejus epistol.* 3. *et* 4. apud Martenium *anecdot. tom.* 3. *col.* 863. *seq.* Revera tantum abest, uti est a Gravesonio *Histor. Eccles. saec. IX. colloq.* 6. *tom.* 3. *pag.* 129. *edit. August. Vindelic.* 1756. rectissime animadversum, quod » Summi Pontifices » curam in mittendis ad Gallicanos Praesules palliis adhibuerint, ut potius » ferventibus Regum precibus, et ardentibus Episcoporum votis inducerentur ad usum Pallii Episcopis concedendum. Quod si Romani Pontifices » per usum pallii novam servitutem Episcopis imponere intendissent, omni » procul dubio nec Reges in gratiam Metropolitanorum suorum umquam » istud pallium a Romanis Pontificibus postulassent, neo Metropolitani no» vam, et insolitam hanc servitutem sibi imponi passi fuissent, nedum » ambiissent » Egregie Thomassinus Petri de Marca calumniam quasi praevisam, et refutatam ab ipso Gregorio observat epistola illa ad Brunichildam, cujus paulo ante facta mentio est. Ait enim *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 54. *num.* 7. *tom.* 1. *pag.* 225. » Quasi ante praevidis » set animo, et eorum praevertere voluisset calumniam, qui posterioribus » his saeculis dixere, Pallium novum quoddam esse servitutis vinculum, » quod astute excogitatum sit ad subjugandos Romano Pontifici Metropolita» nos. Cum contra solis Principum vehementioribus precibus, et Episcopo» rum votis, ac diligentiae illud ab eo fuerit semper concessum » In eadem est causa cum ceteris hostibus Sedis Apostolicae Curaltius *loc. cit.*, cujus in alienis describendis erroribus eximia laus est, quique jus concedendi pallii, quod habent Romani Pontifices, ex falsis Isidori decretalibus repetendum putat. Sed his decretalibus multo antiquiores sunt Symmachus, Vigilius, Pelagius I., Gregorius M., omnes denique Pontifices, quorum supra est facta mentio. Illud bilem, et stomachum movet, quod ait, praesertim Nicolaum I. nixum his falsis decretalibus pallium concessisse, ut suam

auctoritatem amplificaret. Nam, ut ipse haereticus homo David Blondellus observat *in prolegomen. cap.* 19., adeo Nicolaus alienus fuit ab his falsis decretalibus, ut non modo oblata occasione sese ab iis diligenter abstinuerit, sed etiam earum sententias veris auctoribus adscripserit. Atque *in ep.* 5. *in append. ad Hincmarum Remen.* nonnisi veras laudat decretales *Siricii*, *Innocentii*, *Zosimi*, *Caelestini*, *Bonifacii*, *Leonis*, *Hilarii*, *Gelasii*, *Gregorii*. Confer Blaschum *de collect. Isidor. Mercator. cap.* 4. *pag.* 31. et Fratres Ballerinios *append. ad opp. S. Leonis M. tom.* 3. *pag. CCXV.*

(5) Gregorius M. pallium dedit Constantio Mediolanensi Italiae Metropolitae, Leandro Hispalensi Metropolitae Hispaniae Baeticae, Andreae Nicopolitano Metropolitae Epiri, Episcopis Calagurritano, Dirrachiensi, Cretensi, aliisque, qui omnibus Metropolitae erant, uti ex ejus epistolis deprehendi potest. Symmachus, qui an. 498. Pontifex creatus est, Theodoro Laureacensis Ecclesiae Archiepiscopo pallium dedit, uti constat ex ejus *epist.* 11. apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 440. Ex quo patet error alviniani Hominis Rodulphi Hospiniani, qui *in Histor. sacram. lib.* 3. *pag.* 191. *et* 200. contendit usum pallii in Missa pontificali primum Gregorio M. Pontifice obtinuisse. Nam Symmachus integro saeculo Gregorium praecessit, atque ipse pallium Theodoro concessit *majorum more*, quae verba satis indicant, eam rem non recentioris, sed antiquissimi esse instituti. Quod et alia multa confirmant. Nam idem Symmachus pallio donavit Caesarium Arelatensem, ut ipse testatur Basnagius *annal. politico-ecclesiast. ad an.* 594. *num.* 10. *tom.* 3. *pag.* 924. *edit. Roterodami* 1706., Vigilius Auxanium Arelatensem, ejusque successorem Aurelianum *ep.* 7. *et* 10. apud eumdem Labbaeum *loc. cit. col.* 1300. *et* 1306. Denique ex epistolis S. Gregorii M. manifestum est Ravennates Antistites, aliosque Metropolitas ante ipsum Gregorium Apostolicae Sedis beneficio pallium gestare consuevisse. Non omnibus tamen Metropolitis generatim antiquiori aetate pallium concedebatur, uti nunc conceditur; neque vero satis exploratum est, quo primum tempore recentior haec disciplina stabilita fuerit. Fortasse VIII. exeunte saeculo eadem obtinere coepit, quod colligi potest *ex tom.* 2. *oper. posthum.* Mabillonii, ubi occurrit dissertatio Theodorici Ruinarti *de pallio Archiepisc. cap.* 11. *pag.* 457. Praeter auctores autem, quos supra indicavi, late agunt de pallio Garnerius *dissert.* 3. *in diurn. Rom. Pontific. pag.* 193. *seqq. edit. Paris.* 1680., PP. Maurini *in S. Gregorium M. lib.* 3. *ep.* 28. *col.* 518. *tom.* 2., locisque aliis earumdem epistolarum, Dominicus Georgeus *Liturg. Rom. Pontif. tom.* 1. *pag.* 210 *seqq.*. Bellottus *observat. ad Rit. Eccles. Laudunen. tom.* 2. *pag.* 428. *edit. Paris.* 1662. Menardus *in sacrament. S. Gregorii n ot.* 782. *opp. S. Gregor. tom.* 3. *col.* 529.. Catalanus *in Pontifical. Roman. par.* 1. *tit.* 14. *tom.* 1. *pag.* 235. *seqq. edit. Romae* 1738., Bianchius *della potestà e della politia della Chiesa lib.* 3. *cap.* 2. §. 2. *tom.* 5. *par.* 1. *pag.* 180., Cardinalis Petra *Constit. Apostol. in Constit.* 3. *Pii II. sect. unic. tom.* 5. *pag.* 106. *seqq. edit. Venet.* 1741. Videnda est etiam Constitutio *rerum Ecclesiasticarum* 60. Benedicti XIV. *tom.* 2. *ejus Bullarii pag.* 294. *edit. Romae* 1754., ubi cuncta habentur de pallio, quae ad recentiorem pertinent disciplinam.

(6) Cap. 4. *de elect.*

§. IV. Solus Romanus Pontifex, cujus potestas fertur in

Ecclesiam universam, pallio ubique utitur, et semper; ceteri nonnisi intra fines suae jurisdictionis et stati, certisque diebus, cum in Ecclesiis Pontificalia conficiunt, scilicet die Natalis Christi Servatoris, die S. Stephani, S. Joannis Circumcisionis, Epiphaniae, Palmarum, feria V. in coena Domini, in Sabbato Sancto, in Pascate, et feria secunda, ac tertia post Pascha, Dominica in albis, in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, in festo Corporis Christi, in nativitate S. Joannis Batistae, in omnibus festis Apostolorum ac quatuor diebus festis B. Mariae virginis, nimirum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis, in commemoratione omnium Sanctorum in dedicatione Ecclesiarum in praecipuis festis diebus Ecclesiae Archiepiscopalis, in ordinatione clericorum, in consecratione Episcoporum, et Virginum, et in die anniversaria, quam Archiepiscopus celebrat suae consecrationis, dieque item anniversaria consecrationis Ecclesiae (1).

(1) Cap. 4. *et* 6. *de auctor. et usu pallii* ibique Glossa et Pontificale Romanum *par.* 1. *tit. de pallio.*

§. V. Petendum est pallium intra menses tres post exactam consecrationem, et quidem enixis precibus, sive, ut in more est, *instanter*, *instantius*, *instantissime* (1), a Summo Pontifice in Consistorio Cardinalium; petit per se ipsum, si in Urbe sit, Archiepiscopus, si absit, per procuratorem. Qua in re mollita est antiqua disciplina, per quam nonnisi in Urbe praesentibus pallium concedebatur (2). Antequam tribuatur, exigitur juramentum fidei, et obedientiae erga Summum Pontificem (3); idque praesens emittit coram primo Diacono Cardinali, absens autem ab Urbe coram aliquo Archiepiscopo, cui res tota a Romano Pontifice commissa est. Sumpto pallio Archiepiscopus ea, quae sunt sui muneris propria, recte exercere potest, antea non potest; adeout et provincialem synodum indicere, et chrisma conficere, et Episcopos consecrare, et cetera non solum metropolitica, sed etiam Episcopalia munere obire prohibeatur (4), imo ne Archiepiscopi quidem mereatur nomen (5).

(1) Can. 2. *dist.* 100., qui canon sumptus est ex illo, quam su-

pra memorsvi, Gregorii M. epistola ad Brunichildam. Est in eadem *dist.* 100. *can.* 1., quo sancitum est, ut Archiepiscopus intra tres menses ab accepta consecratione pallium petere debeat, quem canonem Gratianus tribuit Pelagio P. Sed ea, quae hoc canone continentur, consentanea non sunt disciplinae, quae vivo Pelagio sive I., sive II. obtinebat. Potius idem canon refareudus videtur ad Concilium Ravenuatense anni 877. apud Labbaeum *tom.* 11, *Concil. col.* 302., quo revera sancitum est *can.* 1. ut » quisquis Metropolitanus intra tres menses consecrationis suae ad fidem » suam exponendam, palliumque suscipiendum ab Apostolica Sede nul» la inevitabili necessitate imminente, non miserit, commissa sibi careat » dignitate »

(2) Videndus est S. Gregorius VII. *ep.* 24. *ad Brunonem Episc. Veronensem lib.* 1. *et lib.* 9. *ep.* 1. *ad Episc. Rotomagensem* apud Labbaeum *Concil. tom.* 12. *col.* 255. *et* 505., *et* S. Petrus Damiani *ep.* 4. *lib.* 7. *opp. tom.* 1. *pag.* 122. *edit. Venet.* 1743.

(3) Visum est quibusdam hoc juramentum, quo Metropolitae debent non tantum petere, atque expectare pallium a Summo Pontifice, sed etiam ei obedientiam profiteri, gravem, eamque novam induxisse servitutem, ac tantum in Synodo VIII. habita *anno* 870. *can.* 17. *tom.* 10. *Concil. Labbaei col.* 643. primum fuisse constitutum; sed ii vehementer errant. Nam ante annos centum et viginti quam VIII. generalis Synodus haberetur, haec eadem obedientiae professio stabilita est in Concilio Gallicano, uti testatur S. Bonifacius apud Gallos, et in Germania Apostolicae Sedis Legatus *ep.* 105. *ad Cudbertum Archiep. Cantuariensem in Biblioth. PP. edit. Lugdun. tom.* 13. *pag.* 113. » Decrevimus, *inquit*, in nostro synodali conventu, et » confessi sumus Fidem Catholicam, et unitatem, et subjectionem Roma» nae Ecclesiae, fine tenus vitae nostrae, velle servare, S. Petro, et Vi» cario ejus velle subjici .... Metropolitanos pallia ab illa Sede quaere» re, et per omnia S. Petri praecepta canonice sequi » Neque vero hoc juramento, quod illi putant, novum aliquid, atque insolens continetur. An non omnes, qui catholici haberi, ac revera esse volunt, atque in primis Metropolitae, catholicae Ecclesiae capiti obedientiam praestare debent? Quid igitur impedimento esse potest, quominus hanc obedientiam juramento promittant, atque confirment? » Promittebant quidem (*inquit* Gravesonius *Histor. Eccles. saec.* 9. *colloq.* 6. *tom.* 3. *pag.* 129.) Metropolitani, et » Episcopi, qui pallium obtinebant, obedientiam Romano Pontifici, utpo» te Christi Vicario; sed nemo dixerit, hanc omni aevo praestitam obe» dientiam appellari debere servitutem, cum potius necessarium sit offi» cium, quo Metropolitani, et Episcopi sese juxta sacros canones exsolve» re debent, obediendo Romano Pontifici, ad quem ratione sui Prima» tus, quem habet ex jure divino, spectat canones per universum orbem » executioni mandare, eos, dum exigit Ecclesiae necessitas, vel utilitas, » moderari, ab iis dispensare, eorumque infractores, ac perduelles coer» cere, punire, et in ordinem redigere. Jure merito explodi itaque de» bet haec nova Petri de Marca opinio, quae veritati contraria est, et Ro» manis Pontificibus injuriosa » Similia habet Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 55. *tom.* 1. *pag.* 226. Confer etiam Lupum *loc. cit. cap.* 11. *pag.* 192.

(4) Cap. 28. §. *super eo de elect.*

(5) Cap. 3. *de auctor. et usu pallii.*

§. VI. Pallium ita conceditur Archiepiscopo, ut ipse tantum accepto uti possit, alteri autem illud commodare nequeat (1). Cumque detur non tantum personae, sed etiam propter Ecclesiam, quam eadem regendam suscipit, sequitur ut secundum, ac tertium pallium petendum sit, cum iterum, ac tertio Ecclesia mutatur (2). Denique ubi Archiepiscopus sepelitur, cum eo simul pallium, vel pallia, si plura accepit, in eodem sepulchro humo tegenda sunt (3). Singulari privilegio Cardinalis Episcopus Ostiensis, cum Romanum Pontificem consecrat, pallio utitur (4), atque etiam peculiari beneficio Apostolicae Sedis certis quibusdam Episcopis pallii usus concessus est (5).

(1) Cap. 2 *de auctor. et usu pallii.*

(2) Cap. 4. *de postulat. Praelat.*; ibique Glossa *in fin.*

(3) Cap. 2. *cit. de auctor. et usu pallii.*

(4) Id a Marco Pontifice constitutum animadverti loco superiori.

(5) Sic Aretino Episcopo pallium dedit Clemens XII. *Constit. Insignes* 14. *tom.* 13. *Bullarii pag.* 105.; et sic ab aliis Summis Pontificibus Episcopo Bambergensi, et quibusdam aliis ejusdem pallii usus concessus est. Confer Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 13. *cap.* 15. *num.* 10. *tom.* 2. *pag.* 377. *seqq. edit. Ferrariae* 1764. qui scite animadvertit, propter pallium, quod Episcopis a Sede Apostolica tribuitur, nulla ex parte imminui, aut labefactari jura Metropolitarum, et Episcopos etiam memorat, quibus ipse pallium concessit. Antiquiori aetate Gregorius M. Pallii usum permisit tum Donu Episcopo Messanensi, tum Joanni Syracusano, ac Joanni Panormitano *lib.* 6. *ep.* 9. *et* 18. *et lib.* 13. *ep.* 37. *col.* 798. 806. 1243. *tom.* 2. *opp.* Hi omnes provinciales Episcopi erant, ac suffraganei Romanae Metropolis; cum Sicilia usque ad Leonis Isauri imperium nullum Metropolitanum habuerit. Illud postremo omittendum non videtur, quod interdum apud antiquos Scriptores ea loquendi formula occurrit *pallia vigilare*: id autem idem est ae *pallia consecrare*, sumpto, ut probabile est, *vigilandi* vocabulo, quod in eo ritu nocturnae vigiliae celebrarentur, uti recte animadvertit Vezzosius *in not. ad Card. Thomasium opp. tom.* 4. *pag.* 352. Ceterum praeter Auctores, quos supra indicavi, multa de pallio scripta sunt a Josepho Bianchinio *in Pontificale Anastasii Bibliothecarii*, praesertim *in S. Stephano tom.* 2. *pag.* 217. *seqq.*, *in prolegomen. tom.* 3. *pag.* 27., *et in S. Gregorio tom.* 4. *pag.* 9.

DE RENUNCIATIONE

TITULUS IX.

Lib. 1. *tit.* 7. in 6. Clementin. *lib.* 1. *tit.* 4. Decretum *c.* 7. *q.* 1. *et* 2. *c.* 17. *q.* 1. *c.* 121. *q.* 2.

§. I.

Sine auctoritate Superioris non permitti translationes, supra demonstratum a Raymundo est; nunc capta occasione quaeritur, num quis sine venia Superioris deserere Ecclesiam possit, non ut transeat ad aliam, sed ut omni se jure abdicet, et omnino ecclesiasticam dignitatem abjiciat. Cum de munere publico agitur, etiam civilis Juris praescriptione sancitum est, ut eo sese abdicare quis nequeat suo arbitratu (1). Cum autem publicum sit officium, quod clericorum beneficiis annexum est, eadem est retinenda regula, quae postulat, ut semel suscepta non dimittantur. Hinc prioribus Ecclesiae saeculis vix ulla occurrunt exempla clericorum, qui sua beneficia deseruerint; praesertim cum ea aetate beneficia penderent a sacra ordinatione, quae cum perpetuo maneat propter characterem impressum animo, qui deleri non potest, ipsa etiam beneficia perpetuo clericis ad-

haerebant. At demum saeculo XII. renunciationes potissimum ab Alexandro III. justis allatis causis permitti coeperunt (2).

(1) L. *penult. ff. de offic. Praes.*; *L.* 1. *ff. de excusat. et vacat. mun.*
(2) Cap 20. *de renunciat.*

§. II. Jam tunc beneficia separatim ab ordinibus conferebantur, illaque dabantur clericis, qui bene de Ecclesia essent meriti, exemplo militum, qui cum fortiter pro republica pugnaverant, simili munere praediorum fiscalium remunerabantur. Itaque cum clerici beneficia accipientes sese praemio affici intelligerent, sibi integrum esse putabant suae uti voluntatis arbitrio, ac retinere, seu repudiare beneficia, quoniam nulla in invitum liberalitas exercetur. Multitudo etiam clericorum, qui passim beneficia postulabant, inanem videtur reddidisse antiquam illam Episcoporum solicitudinem, qua ii clericos etiam invitos in ministerio detinebant.

§. III. Renunciatio, quam et resignationem vocamus, definiri potest ecclesiastici magistratus, et beneficii ex auctoritate Superioris sponte, ac legitime facta abdicatio. Ea vel facto ipso, vel verbis inducitur, illam tacitam, hanc vero expressam appellamus. Oritur ex facto, quae ex ipsa juris praescriptione ita alicui facto conjuncta est, ut qui illud admisit dimittendi beneficii voluntatem manifestam fecisse videatur. Neque enim cum facto ipso consistere beneficium potest. Itaque hoc amittit qui uxorem ducit (1), qui regularis instituti professionem emittit (2), qui beneficium obtinet, quod priori repugnat, sive, ut inquiunt, *incompatibile* est (3). Tunc enim vacua fiunt beneficia, quae cum uxore, cum regulari professione, cum alio incompatibili beneficio stare non possunt.

(1) Cap. 1. *et* 3. *de cleric. conjug.*
(2) Cap. 4. *de Regul. in* 6.
(3) Cap 28. *de praeben.*

§. IV. Expressa fit verbis dimittendi animum declarantibus, sive ea sint ore prolata, sive comprehensa literis con-

ceptis forma, quae a Jure praescribitur. Ea vel fit pure, ac libere, vel cum certa lege, et conditione, puta ut beneficiario pensio aliqua reservetur, vel ut clerico ab eo designato beneficium concedatur. Si has renunciationes cum illis, quae pure, ac simpliciter fiunt, conferamus, facile intelligemus, has multo magis, quam alias, canonum scitis, Patrumque regulis adversari. Nam qui beneficium in alium transfert aut pravis, aut non bene provisis animi affectionibus duci facile potest; et qui sibi ex beneficio aliquam vult esse pensionem, is videtur quasi nundinari ecclesiasticos reditus ad utilitatem suam, et fugere laborem, et officium, quod cum beneficio conjunctum est, ut otio indulgeat, bonisque Ecclesiae sine ulla cura, ac molestia fruatur. Hinc hujusmodi renunciationum nulla prorsus apud antiquos exempla occurrunt aut in actis conciliorum, aut in scriptoribus rerum ecclesiasticarum, aut apud Ivonem, Burchardum, ceteros, qui canones collegerunt, aut apud ipsum Gratianum, qui ex numero eorum novissimus omnium est.

§. V. Hujusmodi renunciationes turbulentis illis, plenisque aerumnarum saeculis XI. et XII. inductae sunt, et Romani Pontifices eas toleranter ferre debuerunt, ut graviora mala removerentur. Nam turpis libido, ac Simonia magnam cleri partem infecerat; quo fiebat ut soluta pecunia beneficia emerentur, et quisquis multa in se congerere studeret, ut concubinam aleret, filiosque ex ea procreatos (1). In illa morum corruptela, rerumque perturbatione visum est unum adesse remedium, idque positum in renunciatione beneficiorum, quae quis aut plura numero contra canonum disciplinam retinebat, aut per simoniam obtinuerat. Hi suis se male partis beneficiis abdicarunt, ut omnes eluerentur sordes, quas injusta collatione contraxerant, fieretque locus novae, ac legitimae collationi, per quam eadem beneficia quasi postliminio recuperarent. Nullo id quidem expresso pacto constituebatur, sed qui lubens injustam beneficii possessionem deseruerat, dignus videbatur, qui omni sublato vitio legitimam, et canonicam, quasi praemii loco, adipisceretur. Similiter qui plura beneficia retinebat, is ea vel Summo Pontifici, vel Episcopo renunciabat, ut integra esset canonum disciplina; atque hi beneficium concedebant

clerico, qui alteri esset cognatione, aut amicitia conjunctus, et simul eodem dignus judicaretur.

(1) Audiendus Thomassinus *vet et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 50. *tom.* 2. *pag.* 91., cujus haec verba sunt » Altius repetenda » est superiorum temporum memoria, ut resignationum in favorem origo » prima pervestigetur; quae tam frequentes jam sunt, quam inter primordia Ecclesiae infrequentes, et pene inauditae fuere. Simoniae quidem, » et incontinentiae torrens in universam pene occidentalem Ecclesiam exundavit . . . . . . Et haec profecto sacrilegiorum, et flagitiorum omnium colluvio non ansam tantum praebuit, sed incontinentiae, et simoniae foedus » torrens, qui deplorandis illis temporibus Ecclesiae agrum inundavit, dolendam cum primis necessitatem infixit; vimque attulit Pontificibus, ut » novam hanc sinerent illabi disciplinam, quae nisi inexorabili necessitate » extunderetur, disciplinae potius relaxatio, et corruptela videri posset » Tum rem omnem toto *cap.* 50. *cit.* diligenter enarrat, et multa etiam profert exempla eorum, qui cum acceptas simoniace dignitates, et beneficia, ob illam, quam indicavi, causam abjecissent, iis postea restituti sunt.

§. VI. Dirum quoque schisma, quod contra Gregorium VII. conflavit Henricus IV. et laicorum investiturae multiplices induxere renunciationes; propterea quod et schismatici, et qui per illas beneficia obtinuerant, ad frugem redeuntes ea lenitate recepti sunt, ut sponte ac libere male parta deponerent, eaque deinceps canonice recuperarent. His exemplis inductae sunt renunciationes cum conditione, ut beneficium certo clerico tribuatur, ut ex eo certa detrahatur pensio, ut permutatio beneficiorum fiat, quae cum a recta canonum disciplina deflectant, tum demum probandae sunt, cum eas Ecclesiarum necessitas, vel saltem utilitas permittendas suadeat (1). Non enim privati commodi potius, quam publicae utilitatis habenda ratio est, et cum illae fiunt, cavendum est maxime, ut procul absit omnis injusta, sacrisque canonibus adversaria pactio; quo referendum est vitium, ut vocant, *confidentiae*, quod tunc admittitur, cum clericus beneficium impetrat pacto sive tacito, sive expresse convento, ut illud in alium transferat, ejusve fructus ab extraneo percipi sinat, quod tamquam simoniae labem detestabilem continens merito Pontificiis Constitutionibus damnatum est (2). Hodie hujusmodi renunciationes illis obstrictae legibus, et conditionibus fieri nequeunt coram Episcopo, sed Summi Pontificis auctoritatem postulant (3).

(1) Cap. 8. *de praebend.* *Cap.* 5. *de rer. permut.* *Cap.* 1. *eod. tit. in* 6. *Clement. unic. eod. tit.*

(2) Pius IV. *Constit. Romanum Pontificem* 99. *tom.* 4. *par.* 2. *Bullar. pag.* 190., Pius V. *Constit. Intolerabilis* 127. *tom.* 4. *par.* 3. *pag.* 67., Sixtus V. *Constit. Pastoralis* 96. *tom.* 4. *par.* 4 *pag.* 335.

(3) S. Pius V. *Const. quanta* 80. *tom.* 4. *par.* 3. *pag.* 10. *Bullarii*, ubi declaratur, quae ab Episcopis resignationes admitti debeant, et Episcopi ipsi resignata beneficia aut suis, aut resignantium consanguineis, vel affinibus conferre prohibeutur. De his resignationibus, quae reservata pensione fiunt, est etiam in primis observata digna *Constitutio in sublimi* 30. Benedicti XIV. *pag.* 43. *tom.* 1. *ejus Bullarii edit. Romae* 1754. edita adversus resignationes, quae fiunt reservata pensione, et cum arcano pacto eam extiuguendi per certam vim pecuniae, quae resignanti persolvitur. Hae autem reservationes, extinctionesque pensionum irritae declarantur; praeterea statuitur, ne intra sex menses a capta beneficii possessione pensiones deleri possint.

§. VII. Omnes generatim abdicare se possunt suis beneficiis, ac dignitatibus, etiam Pontificatu Maximo, ut Coelestinus declaravit suo exemplo, et Constitutione, quam Bonifacius VIII. approbavit (1). Verum excepto Pontifice, qui cum neminem ex hominibus supra se habeat, nullius indiget venia, atque auctoritate, ceteri omnes beneficia, quibus fruuntur, repudiare debent, auctore eo, a quo eadem obtinuerunt. Hinc Episcopi renunciatio probanda est Sedi Apostolicae (2), ac justas praeterea requirit causas; quae sunt vitae periculum, imbecillitas corporis, quae tam gravis sit, ut ejus causa plane nequeat Episcopus sua munera exercere (3); imperitia, ut ad regendam Ecclesiam omnino non sit idoneus; conscientia criminis, quod si notum esset, ac judicio probatum, justam praeberet judici causam dejiciendi ab officio beneficiarium; pervicacia plebis, quae cogi ad parendum nequit, et cui Episcopus prodesse nullo modo potest; gravis offensio, sive scandalum, quod nonnisi dimissa Ecclesia removeri potest, denique irregularitas. Qua in re videndum est, qualis illa sit. Nam justam habet renunciandi causam qui bigamus est, aut viduae maritus; sed qui ceteris occultis irregularitatibus tenetur impetrata venia in officio perseverat. Ita qui non est ex legitimo matrimonio natus, neque patris vitia imitatur, poenitentiae subjicitur, sed pergit susceptum munus impetrata venia exercere (4).

(1) Cap. 1. *de renunciat. in 6.*

(2) Cap. 2. §. *sicut de translat. Cap. 1. et tot. titul. de renunc.*

(3) Solum tamen senium satis non esse ait Alexander III. *in cap. 1. de renunciat.*; sed ne cogendus quidem ea de causa aliquis est ad emittendam renunciationem, quoniam ei coadjutor dari debet *cap. penult. de cleric. aegrotan.*

(4) Omnes has causas enumerat, atque explicat diligenter Innocentius III. in *Cap. 10. de renunciat.*, cujus sententiam memoriae juvandae causa his versibus comprehenderunt Decretalium Interpretes

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit

§. VIII. Jamvero, qui beneficiis fruuntur, omnes abdicare se iisdem possunt sive per semetipsos, sive per procuratorem tum ecclesiasticum, tum laicum, et unum, pluresve; modo publico instrumento comprehendatur speciale mandatum, quo facultas resignandi, et beneficii demonstratio explicetur (1). Quod merito receptum est, ut omnes removeantur fraudes, quae a quibusdam admitti possent, ac ne quis conqueratur, sese vi, metuque fuisse coactum ad renunciationem emittendam. Constituto semel procuratore, etiamsi mandatum fuerit revocatum, recte tamen fiet renunciatio, et facta valebit, nisi primum ipse procurator, et beneficii collator ejus rei certiores facti fuerint (2). Emissa demum, ac probata renunciatione frustra poenitet renunciantem eorum, quae gessit (3); cum omne amiserit jus in beneficio, quo se abdicavit, et quod nonnisi nova electione, aut collatione recuperare potest (4).

(1) Clement. *unic. de renunciat.*

(2) Eadem *Clement. unic.*

(3) Cap. 3. *de renunciat.*

(4) Cap. 2. *eod.*

§. IX. Episcopus aliquando locum tantum deserit, aliquando et locum, et dignitatem. Utriusque renunciationis non eadem vis, et natura est. Qui tantum deseruit locum, cui praepositus fuerat, honorem retinet, et dignitatem episcopalem, licet jurisdictionem exercere non possit, cum nullos amplius habeat subditos; sed rogatus ab alio Episcopo recte exequitur in ejus dioecesi, quae sunt ordinis episcopalis. Qui

se loco simul, ac dignitate abdicavit, quamquam retineat ordinis characterem, qui semel animo impressus semper haeret, nihil tamen agere potest eorum, quae eju s ordinis propria sunt (1).

(1) Cap. 1. *de ordinat. ab Episc. qui renunc.*

§. X. Ceteri Praelati Episcopo inferiores, qui sacrum habent imperium, et Sedi Apostolicae immediate subjiciuntur, opus habent venia Summi Pontificis, qui eis copiam renunciandi faciat (1). Dignitates, Canonicatus, Parochiae, et cetera beneficia dimittuntur cum auctoritate legitimi Superioris, et consensu eorum, quorum interest. Legitimi Superioris nomine eum intelligimus, ad cujus ordinariam jurisdictionem pertinet beneficii collatio, qualis ut plurimum est Episcopus (1); et is suam debet interponere auctoritatem, non tantum quia ut datum, ita per eam repudiandum est beneficium, cum unumquodque eo modo dissolvendum sit quo fuit collocatum (2), sed etiam ut ipse noscat, probetque causas renunciandi, quae proponuntur. Cum permutantur beneficia, quae in duabus sunt sita dioecesibus, utriusque Episcopi auctoritas necessaria est. Sed et consensus, uti dicebamus, requiritur eorum, quorum interest; et hi sunt patroni sive ecclesiastici, sive laiçi, cum de beneficio agitur eorum patronatui obnoxio, itemque illi, quibus jus est eligendi, cum renunciatio ad electivum beneficium pertinet. Quaesitum est a peritis Juris Canonici, num Episcopus, quoties necessaria, aut valde utilis causa praesto est, cogere possit patronos, jusve eligendi habentes ad praestandum consensum, ita ut iis repugnantibus spernere possit eorum dissensum, ac renunciationem permittere? Recepta sententia est, jis de causis rem totam ab episcopi auctoritate, et voluntate pendere (5). Semper tamen curandum est, ut intra unum mensem renunciatio rata habeatur, et simul ab Episcopo beneficii collatio fiat, nam nisi eo temporis spatio totum illud negocium expediatur, ad Summum Pontificem jus conferendi transfertur (4).

(1) Cap. 4. *de renunc.*
(2) Cap. 1. *de regul. jur.*

(3) Confer Rebuffum *in prax. beneficiar. tit. de permutationibus num.* 22., et Garciam *de benefic. par.* 3. *cap.* 3. *num.* 17. *et seqq.*, *et num.* 27., ubi laudat ea de re Sac. Congregationis definitionem.

(4) Gregorius XIII. *Constit. humano vix judicio* 155. §. 7. et 8. *pag.* 42. *tom.* 4. *par.* 4. *Bullarii.*

§. XI. Abas jure prohibentur renunciare pupilli sine auctoritate tutoris, si forte beneficium aut ex singulari ejus natura, aut ex peculiari venia obtinuissent. Sed firma rata habetur renunciatio minorennum, quos a nemine circumventos constat, quoniam in negociis spiritualibus minor annis viginti quinque tamquam major habetur (1). Similiter vetita est renunciatio beneficii, cujus titulo aliquis ordinatus est, nisi alia ratione caveatur, ut ipse habeat, quae sunt ei necessaria ad vitam honeste, ac decore traducendam (2). Rejiciuntur quoque renunciationes, quae alicujus gratia, aut reservata pensione factae sunt, quaeque gravi fraudis, dolique suspicione laborant. Quae suspicio cadit in renunciationem, quam quis emisit ea lege, ut integros beneficii fructus percipiat (3); itemque in eam, quae facta est reservata pensione, adjectoque pacto, ut intra certum tempus pensio data, et repraesentata pecunia redimatur (4).

(1) Cap. *ult. de judic. in* 6.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 21. *de reform. cap.* 2.

(3) Id a Summis Pontificibus damnatum narrat Rigantius *ad Regulam* 45. *Cancellariae num.* 23. *seqq.*

(4) Turpem hanc ecclesiasticorum beneficiorum mercaturam ita damnat Benedictus XIV. *Constit. In sublimi* 30. *tom.* 1. *ejus Bullarii pag.* 43. *edit. Romae* 1754., ut resignantem, et resignatarium amittere jus totum velit, quod in beneficio habuissent.

§. XII. Ejusdem fraudis suspectae sunt renunciationes, quae alterius commodo emittuntur, cum quis beneficium retinere non potest, nisi intra annum sacrum aliquem ordinem eidem annexum suscipiat; cum praevidet, brevi se majorem aliquam dignitatem consequuturum (1); cum litigiosum beneficium retinet, nisi illud alteri litiganti concedat, praesertim si judicio victus sit, quamquam appellaverit (2). Huc etiam referendae sunt renunciationes, quae alterius gratia ab aegrotis fiunt, quo spectat Regula 19. Cancellariae, quae inscribitur *de infirmis resignantibus*, seu

de viginti. Nimirum si quis aegrotans alteri beneficium concesserit, non valet renunciatio, nisi post eam editam saltem ad alios viginti dies vitam produxerit. Quin etiam occultis, simulatisque resignationibus obviam itum est, dicta lege, ut eae, cum in Curia Romana fiunt, non probentur, nisi fuerint publicatae intra sex menses, si beneficium citra montes fuerit, si vero ultra montes, intra novem menses a die concessae gratiae, non a die emissi consensus numerandos. Resignationes vero, quae extra Romanam Curiam etiam ex causa permutationis fiunt coram Episcopo, aut alio collatore intra mensem probandae, rejicendaeve sunt, atque ab eo, qui beneficium obtinuit, intra tres menses publicandae (3). Quae publicatio fieri debet in cathedrali, et in beneficii Ecclesia, cum populus magno numero ad utramque convenit; hoc est resignatio omnibus nota fieri debet, ut quod gestum est innotescat.

(1) Consule regulam 26. Cancellariae *de beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, vel Monasteria.*
(2) Videndus Faber *in Cod. lib.* 1. *tit.* 2. *defin.* 89.
(3) Gregorius XIII. *Const. Humano vix judicio* 155. *tom.* 4. *par.* 4. *pag.* 41. *Bullarii*, ubi faciendae publicationis ratio proponitur. Hanc vero constitutionem confirmavit, atque ad omnes avertendas fraudes explicavit Benedictus XIV. *in Constit. Ecclesiastica* 10. *pag.* 37. *tom.* 2. *ejus Bullarii.*

XIII. His praesertim cautionibus a Romanis Pontificibus provisum est, ut a beneficiorum renunciationibus omnes removeantur fraudes, quas multorum improbitas, morumque corruptela Ecclesiarum utilitatibus facere consuevit. Quin et illud est consilio provido constitutum, ut pro iis dentur literae Apostolicae *in forma dignum*, ut vocant, per quas res tota Episcopi judicio committitur, ejusque est negocium expendere, ac diligenter investigare mores illius, qui beneficium consequuturus est; ipseque tum demum easdem literas exequitur, cum satis Ecclesiae utilitati factum intelligit; imo curare debet, cum beneficium parochiale est, ut qui resignationem obtinuit, examini subjiciatur, atque ab Examinatoribus Synodalibus approbetur (1).

(1) S. Pius V. *Constit. cogit nos* 50. *p.* 360. *t.* 4. *par.* 2. *Bullarii.*

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM

TITULUS X.

Lib. 1. *tit.* 8. in 6. Clementin. *lib.* 1. *tit.* 1. Decretum *dist.* 84. *et* 86. *can. negligere c.* 2. *q.* 7. Tridentinum *sess.* 5. *de reform. cap.* 1. §. *in monasteriis, et cap.* 2. §. *si quae, et sess.* 21. *cap.* 8. *et sess.* 24. *cap.* 20. §. *legatis cap.* 16. *v. et si Ecclesia sess.* 25. *de regul. cap.* 8. 22. 14. *v. et quia.*

§. I.

Saepe in electione, confirmatione, collatione beneficiorum, aliarumque ecclesiasticarum dignitatum negligentia committitur, quae et animarum saluti, et Ecclesiae bono magnum infert detrimentum. Quare huic malo consultum est hoc titulo *de supplenda negligentia Praelatorum*, quem Raymundus hoc loco descripsit post expositas beneficii renunciandi causas, quae sunt infirma valetudo, irregularitas, imperitia, cetera similia exemplo Imperatoris, qui similiter Praefectum Praetorio cavere voluit, ne Respublica culpa Magistratus damni aliquid caperet (1).

(1) L. 3. *Cod. de offic. Praefect. Praetor. Orient. et Illyric.*

§. II. Proprie dicuntur Praelati, qui in ecclesiaticis negociis etiam pro foro externo contentiosam habent jurisdi-

ctionem. (1) Latius acceptum hoc vocabulum comprehendit et alias ecclesiasticas personas, quae jurisdictionem aliquam, aut praefecturam habent, sive illae insint in singulis, sive in collegio universo (2). Ab his committitur negligentia duobus modis, primum cum suo non utuntur jure intra tempus a lege definitum, deinde cum idem exercent contra canonum praescriptionem; puta cum beneficio donarunt hominem, qui eo dignus non est. Utraque negligentia plectitur eadem poena; nimirum qui illam admisit, pro ea vice jus suum amittit, idque devolvitur ad proximum superiorem; hoc est ab inferiori Praelato ad Episcopum, ab hoc ad Metropolitam, postremo ad Summum Pontificem, ad quem statim res tota transfertur, si ab exemptis negligentia commissa fuerit. (3).

(1) Cap. 2. *de judic.*
(2) Ita ad totum collegium pertinet *Cap. 2. et ult. supplend. negligen. Praelat.*
(3) Cap. 3. §. III. *hoc. tit.*

§. III. Tempus rei expediendae a sacris canonibus praefinitum est trium mensium, cum cathedrali, aut regulari, Ecclesiae, quae vacua sit, aliquis est praeficiendus (1). Reliqua minora beneficia conferenda sunt intra menses sex, cum eadem, nisi hoc tempore conferantur, devolutionis poena (2). Sed pro beneficiis, quorum juspatronatus laicorum est, menses quatuor sunt constituti (3). Est autem hoc tempus initio utile, quamquam postea continuum fiat, quia sumit exordium non a die vacationis, sed a die, quo quis vacationis certior est factus (4), neque labitur adversus eum, qui justo impedimento detentus jus suum exercere non potuit (5). Quod impedimentum vel facti est, cum imperiosa necessitas; aut juris, cum sine culpa contracta suspensio aliquem suo jure uti non sinit (6).

(1) Cap. 41. *de. elect.*
(2) Cap. 2. *et* 12. *de concess. praeben.*
(3) Cap. *unic. de jurepatr. in* 6.
(4) Cap. 3. *de supplen. negligent. Praelat.*, *Cap.* 5. *de concess. praeben.*
(5) Cit. *cap.* 41. *de elect.*
(6) Cit. *cap.* 5. *de concess. praeben.*

§. IV. Elapso tempore, quo electio, confirmatio, collatio absolvenda fuerat, proximus superior jus omne ab alio amissum plane adipiscitur, ita ut qui eo cecidit propter negligentiam, moram purgare nequeat; et omnis ab eo facta beneficii concessio nullius momenti sit (1), nisi alter eam tolerare patienter velit (2). Est autem exercendum jus illud devolutione quaesitum eo temporis intervallo, quod a sacris canonibus expediendae electioni, confirmationi, institutioni, collationi praefinitum est (3).

(1) Cap. 2. et 3. *de supplen. negligent. Praelat.*
(2) Cap. 4. *eod. tit.*
(4) Cap. 41. *de elect.*

§. V. Plectitur etiam negligentia aliquando excommunicatione (1), aliquando depositione (2), aliquando dato coadjutore (3), aut visitatore (4), quin etiam aliquando ab ipso jure eadem negligentia suppletur. Ita si Episcopus Abbatem benedicere recusaverit, is ea posthabita et monacos benedicere, et cetera agere poterit, quae sui muneris propria sunt (5). Committi etiam potest negligentia in justitiae administratione; et tunc ad Superiorem appellatio conceditur; qua de re agam opportune suo loco, ac tempore.

(1) Can. 101. c. 1. q. 1.
(2) Cap 1. *de offic. Custod. L. 3. Cod. de offic. Praefect. Praetor. Orient. et Illyric.*
(3) Cap. 2. *de supplen. negligent. Praelat. in 6.*
(4) Cap. 4. *eod.*
(5) Cap. 1. *de supplen. negligent. Praelat.*

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATIBUS ORDINANDORUM

TITULUS XI.

Lib. 1. 9 in 6. Decretum *dist.* 21. 23. 24. *et dist.* 49. 50. 51. 59. 60. 78. *et in caus.* 9. *q.* 1. *et c.* 15. *q.* 8. Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 9. 10. 11. *de reform. sess.* 21. *cap.* 2. *de reform. sess.* 23. *de sacram. Ord. cap.* 3. *et seqq.*

§. I.

Electus, et confirmatus Episcopalem non obtinet dignitatem, neque agere quidquam potest eorum, quae propria sunt Ordinis, nisi sit consecratus. Recte itaque hoc loco ejus rei tractatio suscipitur, et oblata occasione disseritur de ordinatione, per quam aliquis clericus efficitur, atque ordinis potestatem consequitur. Est autem ordinatio sacra caeremonia, per quam ministri ad ecclesiastica munera canonice initiantur, et consecrantur. Septem numero sunt ordines apud Latinos, minores quatuor, scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, majores tres, nimirum Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus. Graeci Ostiarios non habent, neque Acolytos; sed ipsis ex minoribus ordinibus tantum sunt Lectoratus, et Subdiaconatus; ex majoribus Diaconatus, et Presbyteratus (1).

(1) Confer quae ea de re scripsimus *in prolegomen. cap.* 10. §. 10. *pag.* 209. *seqq.*, ubi etiam de minorum ordinum antiquitate disseruimus. Non est autem hoc loco omittenda Benedicti XIV. Constitutio *Etsi pastoralis* 57. *tom.* 1. *ejus Bullar. pag.* 101. *edit. Romae* 1754., in qua §. 7. *n.* 7. *p.* 107. decreta sunt haec » Si quis ritu graeco clericus, et lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut majores ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is antequam Sub- » diaconus ordinetur, tres minores ordines omissos debet ritu latino su- » scipere. Si vero, praeter Lectoris ordinem, ad Subdiaconatum etiam grae- » co ritu ascenderit, et ex dispensatione itidem Apostolica facultas sibi fa- » cta sit ceteros ordines ritu latino suscipiendi, antequam inter Diaconos » cooptetur, ex minoribus ordinibus Exorcistatum tantummodo supplere » cogitur; cum per Subdiaconatum graeco ritu collatum Acolytatum, et » Ostiariatum recepisse censeatur ».

§. II. De Materia, et forma (1) Ordinis Eugenius IV. (2) habet haec „ Materia est illud, per cujus traditionem con- „ fertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum „ vino, et patenae cum pane porrectionem: Diaconatus ve- „ ro per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus vero „ per libri calicis vacui cum patena vacua superposita tradi- „ tionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua „ pertinentium assignationem „. Pergit deinde Eugenius, „ ac „ Forma, *inquit*, Sacerdotii talis est; accipe potesta- „ tem offerendi sacrificium pro vivis, et mortuis in nomine „ Patris, et Filii, et Spiritus S., et sic de aliorum Ordinum „ formis, prout in Pontificali Romano late continetur „. Ex hoc Eugenii loco magnae, concertationumque plenae inter viros doctos ortae disputationes sunt. Quamquam enim minores ordines Diaconatu inferiores per instrumentorum traditionem conferri constet, tamen trium majorum ordinum, quos hierarchicos dicimus, Episcopatus videlicet, Presbyteratus, Diaconatus, plurimi ingenio, ac doctrina praestantes viri materiam faciunt manuum impositionem, formam orationem, quam Episcopus recitat (3).

(1) De materia, et forma sacramentorum tum generatim, tum speciatim actum est in *nostris Institut. lib.* 2. *tit.* 2. §. 5. *et* 7. *et sect.* 6. *per tot.* *tom.* 2. *pag.* 8. 9. 164. *seqq.*

(2) Eugenius IV. in Decreto edito in Concilio Florentino *tom.* 18. *Concil. col.* 550.

(3) Consule Morinum *de sacr. ordinat. par.* 3. *exerc.* 1. *cap.* 1., Menardum *in not. ad sacram. S. Gregorii M. not.* 137. *opp. S. Gregor. tom.* 3. *col.* 505., Martenium *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 9. *num.* 17. *tom.* 2. *pag.* 23. *edit. Venet.* 1763., Drouenium *de*

re sacrament. lib. 8. par. 1. quaest. 3. et 4. tom. 2. pag. 253. edit. Venet. 1772.

§. III. Certe hanc Graeci materiam, et hanc formam agnoscunt; neque de vi harum ordinationum ulla umquam orta dubitatio est (1). Accedit, quod illa instrumentorum traditio recentioris disciplinae est (2); quoniam Apostolos, et antiquos Ecclesiae Patres per manuum impositionem majores illos ordines contulisse memoriae proditum est; Eugenius autem, cum illam memoravit instrumentorum traditionem, verbaque illa descripsit, non ordinis materiam, et formam definivit, unde vis sacramenti penderet, sed tantum proposuit Romanae Ecclesiae ritum, quem manuum impositioni Armenos adjungere optabat; ut ita cum Ecclesia Romana communes haberent ritus, atque ad eam firmius adhaerescerent. Est et tertia ea de re sententia, eorum scilicet, qui in utroque ritu, hoc est in manuum impositione, atque in instrumentorum traditione Ordinis materiam positam esse arbitrantur. De his diligentius quaerere Theologorum est (3).

(1) Consule Goarium *in not. ad Eucholog. Graec. in tit. de ordinat. Diacon. num.* 11. *pag.* 57. *seq. edit. Paris.* 1647., Arcudium *Concord. Eccles. Occident. et Orient. lib.* 6. *cap.* 4. *p.* 504. *ed. Paris* 1679., Habertum *Pontific. Graecor. observ.* 2. *de consecrat. Presbyt.*

(2) Videndus Martenius *loc. cit. num.* 5.

(3) Late ea de re disputant Benedictus XIV. *de synod. dioeces. lib.* 8. *cap.* 10. *tom.* 1. *pag.* 415. *seqq.*, et Tournelyus *praelect. theolog. de sacram. ordin. quaest.* 3. *tom.* 11. *pag.* 40. *seqq. edit. Neapol.* 1765.

§. IV. Est etiam vetus quaestio de Episcopatu, cum ordo sit a Presbyteratu distinctus; qua in re inter intelligentes homines multa facta sunt divortia sententiarum. Complures enim sunt, qui Episcopatum Presbyteratus productionem, aut extensionem vocant, esse autem ordinem a Sacerdotio distinctum vehementer negant (1). Hoc certum, et catholica fide receptum dogma est, Episcopos Presbyteris superiores esse (2); sed in illa, quam indicavi, quaestione unicuique licet ei, quae magis placeat, sententiae adhaerere (3). Qui Episcopatum distinctum a Presbyteratu ordinem esse sentiunt, ii sic statuunt; quia distinctam ille habet formam, materiam, et potestatem, quia omnia in eo reperiuntur, quae sunt ad

constituendum sacramentum necessaria, quia per episcopalem consecrationem tribuitur gratia sanctificans, ac Spiritus Sanctus infunditur (4). Licet autem divini corporis, et sanguinis consacratio tum ad Episcopum, tum ad Presbyterum pari modo pertineat, ille tamen erga ipsam divinam Eucharistiam potestatem habet, qua alter caret. Ille enim non modo Eucharistiam conficit, sed eam aliis conficendi potestatem per ordinationem tribuit; praeterea quaedam alia exercet munera, quae soli Episcopo conveniunt.

(1) Veteres Scholastici, quos laudat Morinus *de sacr. ordinat. par.* 3. *exerc.* 3. *c.* 1. *n.* 6. Episcopatum verum ordinem, ac sacramentum a Sacerdotio distinctum esse negant, sed tantum esse ajunt extensionem characteris sacerdotalis ad novum officium, novam, et ampliorem potestatem ac dignitatem, ita ut Episcopus alius non sit, quam Sacerdos perfectus, qui apicem Pontificatus adeptus est. Alii Episcopatum esse quidem Ordinem, et Sacramentum statuunt, non tamen a Sacerdotio distinctum, sed esse veluti extensionem, ac diffusionem characteris sacerdotalis, quam quidem extensionem non uno modo explicandam censent S. Thomas *in lib.* 4. *sentent. dist.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *ad.* 2. *quaest. opp. tom.* 13. *pag.* 42. *et in Supplem. q.* 40. *art.* 5. *tom.* 23. *pag.* 142. quaerit utrum Episcopatus sit ordo, atque ita respondet » Respondeo dicendum, quod Ordo potest acci- » pi dupliciter; uno modo secundum quod est Sacramentum, et sic, ut » prius dictum est, ordinatur omnis Ordo ad Eucharistiae Sacramentum: » unde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdoti, quan- » tum ad hoc Episcopatus non erit Ordo. Alio modo potest considerari Ordo » secundum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sa- » crarum; et sic cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis, » respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit Ordo. » Ibidem *in responsione ad* 2. sic loquitur » Dicendum quod Ordo, prout est » Sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad Sacramen- » tum Eucharistiae, in quo ipse Christus continetur, quia per characte- » rem ipsi Christo configuramur; et ideo licet detur aliqua potestas spi- » ritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum Sacramentorum, » non tamen illa potestas habet rationem characteris, et propter hoc Epi- » copatus non est Ordo, secundum quod Ordo est Sacramentum quoddam. »

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de sacram Ordin. can.* 7.

(3) Totum hoc argumentum copiose pertractavit Dionysius Petavius libris, quos *de Ecclesiastica hierarchia* edidit adversus Claudium Salmasium. Videndi sunt etiam Natalis Alexander *Histor. Ecclesiastica hierachia* edidit adversus Claudium Salmasium. Videndi sunt etiam Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 4. *dissert.* 41. *tom.* 4. *pag.* 618. *seqq.*, *et* Mamachius *origin. et. antiquit. christian. lib.* 4. *cap.* 4. §. 2. *pag.* 311. *et seq. t.* 4.

(4) Consule Bellarminum *de sacram. ordin. cap.* 5. *opp. tom* 3. *pag.* 609., Natalem Alexandrum *Theolog. dogmat. et moral. lib.* 2. *cap.* 1. *art.* 8. *tom.* 1. *pag.* 486. *edit. Venet.* 1772., Jueninium *de Sacramen. dissert.* 9. *cap.* 2. *pag.* 559. *edit. Venet.* 1740. Drouenium *de re sacrament. lib.* 8. *sect.* 6. §. 5. *et seq. tom.* 2. *pag* 384. *seqq. edit. Venet.* 1772., Tournelyum *praelect. theolog. quaest.* 6 *art.* 1. *tom.* 11. *pag.* 166. *seqq.*, Bouca-

tum *Theolog. Patr. dissert.* 6. *sect.* 2. *tom.* 8. *pag.* 88. *seqq.*, aliosque complures, quos longum est numerare.

§. V. Aditus ad ordines suscipiendos hominibus aperitur per tonsuram, quae num ordo sit, res est inter Theologos, jurisque Canonici peritos controversa, et dissensionis plena. Theologi eam ordinem esse negant, et eorum quidem sententia bene firmis nititur argumentis, ex quibus efficiunt, tonsuram esse quidem ad ordines praeparationem, ordinem vero non esse. Certe eam ordinis loco non habet Synodus Tridentina (1), neque Catechismus Romanus (2), neque ea confert, uti conferunt ordines, ad aliquod speciale officium exercendum potestatem. Sed ipsa etiam tonsurae origo, ac vetus de ea conferenda Ecclesiae disciplina non obscure demonstrat, quam procul ab ordinis dignitate, ac ratione sit. Semper quidem clerici modestiae gratiae brevioribus capillis usi sunt, serius tamen summum verticem radere coeperunt, quae proprie clericalis tonsura est. Et antiquis quidem canonibus haec comae, et barbae modestia praescribitur (3); sed de radendo capite, deque illo in summo vertice conficiendo orbe, quo clerici distinguuntur, nullum umquam verbum est; imo aperta sunt testimonia, ex quibus patet, minime clericos caput suum radere consuevisse (4). Quid quod credibile non est, ethnicis dominantibus, sese ipsis clericos tam perspicua nota, qualis tonsura fuisset, demonstrare voluisse?

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 2. *de sacram ordin.* ait esse „ plures, ac diversos ordines ita distributos, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent » Ergo tonsuram habet tamquam praeviam, et praeparationem ad ordines, sive, ut loquitur S. Thomas *in supplem. q.* 40. *art.* 2. *opp. tom.* 25. *pag.* 140., *praeambulum ad ordinem.*

(2) Catechismus Romanus *par.* 2. *de sacramen. ord. num.* 13. tonsuram vocat » praeparationem ad ordines accipiendos. Ut enim homines ad » Baptismum Exorcismis, ad Matrimonium Sponsalibus praeparari solent, » ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad ordinis sacra- » mentum illis aperitur.

(3) Concilium Carthaginiense IX. *tom.* 2. *Concil. Labbaei can.* 44. *col.* 1441. statuit » ne clericus comam nutriat, aut barbam radat » et Con- » cilium Agathense *can.* 20. *tom.* 3. *ibid. col.* 324. Clerici, *inquit*, qui » comam nutriunt, ab Archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detonde- » antur. »

(4) S. Optatus Milevitanus *de schism. Donatist. lib.* 2. *pag.* 54. *edit. Paris. cit.* Donatistas reprehendit, quod catholicis Sacerdotibus per vim capita

rasissent » docete, *inquit*, ubi vobis mandatum sit radere capita Sacerdo-
» tibus, cum e contrario tot sint exempla proposita, fieri non debere »
» Aetate recentior S. Hieronymus in illud Ezechielis: *caput suum non*
» *radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua*,
» inquit, *lib.* 13. *in Ezechielem tom.* 5. *col.* 547. » Perspicue demon-
» stratur nec rasis capitibus; sicut Sacerdotes, cultoresque Isidis, atque
» Serapidis, nos esse debere, nec rursus comam dimittere, quod proprie luxu-
» riosum est, barbarorumque, et militantium, sed ut honestus habitus
» Sacerdotum facie demonstretur, nec calvitium novacula esse faciendum,
» nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videa-
» mur, sed in tantum capillos demittendos, ut operta sit cutis » Ergo
tum Optati, tum Hieronymi aetate clerici non radebant caput; sed tan-
tum brevioribus capillis utebantur. Tondendos quidem esse clericorum cri-
nes, non autem radendum caput, aperte tradit S. Gregorius M., cujus
aetas incidit in VI. saeculum, *ep.* 4. *lib.* 7. *opp. tom.* 2. *col.* 850., ubi in-
quit » Quia igitur cuncti, qui praesunt, habere quidem solicitudines et
» exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere; Sacerdotes re-
» cte et caput prohibentur radere, et comam nutrire, ut cogitationes car-
» nales de vita subditorum, nec a se funditus amputent, nec rursus ad
» crescendum nimis relaxent. Ubi et bene dicitur: tondentes tondeant ca-
» pita sua, ut scilicet curae temporalis solicitudines, et quantum necesse
» est, prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderatius excreseant.
Ex quibus viri doctissimi efficiunt, veram haberi non posse sententiam illo-
rum, qui tonsurae originem ab Apostolis repetendam putant. Est id quidem
traditum ab Aniceto P. *epist. ad Episc. Galliar.*, verum haec epistola Isidori
Mercatoris figmentum est. Id unum ab Aniceto constitutum scribit Auctor Libri
Pontificalis, *ut clericus comam non nutriat*, cui decreto in recentioribus
adjectum est *secundum praeceptum Apostolicum*. Id autem de capillorum
brevitate, quam omnibus fidelibus, et maxime clericis Paulus imperavit I.
ad Corint. cap. XI. v. 14.; quamque etiam aliqui infideles modestiae cau-
sa servabant, non de radenda in modum sphaerae summa capitis parte intelli-
gendum est. Eodem spectat Gregorius Turonensis *de glor. martyr. lib.* 1. *cap.*
28. *pag.* 750. *edit. Paris.* 1699., cujus verba tam clericos, quam laicos com-
prehendunt. Videndi sunt Coustantius *epist. Pontific. Roman. in Anicet.* §.
2. *col.* 73., et Hugo Menardus *ad sacrament. S. Gregorii not.* 600. *opp. S.*
Gregor. tom. 3. *col.* 448.

§. VI. Poenitentium tonsura omnium antiquissima. Hi enim, ut a populo despicerentur, ipsoque corporis habitu dolentis animi significationes ederent, primum crines tondere coeperunt, quem usum arripuerunt deinceps etiam Monachi, qui poenitentium vitam imitabantur. Denique etiam clerici, qui monasticae vitae perfectionem imitari cupiebant, tonsuram acceperunt, sed ea primum erat ad instar coronae, quam toto raso capite, circulus capillorum efficiebat (1). Neque vero ut primum clericalis tonsura instituta est, clerici per eam solam in Ecclesia insignes esse coeperunt. Nam tonsis continuo unius ex minoribus ordinibus conferebatur; quem

morem diu Latini retinuerunt (2). et nunc etiam retinent Graeci, apud quos tonsi Lectores continuo fiunt (3). Tondebantur autem qui clericis erant asciscendi non solum ab Episcopo, sed etiam a simplici Sacerdote (4), atque ab ipsis quoque laicis (5), quin et aliqui sibi ipsis sua manu tondebant crines, atque ita clero adscribebantur (6). Hodie tonsura confertur ab Episcopo, atque etiam a quibusdam aliis, quibus haec facultas a Sede Apostolica concessa est.

(1) Gregorius Turonensis *Vit. Patr. cap.* 17. *num.* 1. *pag.* 1233. *edit. cit.* de Nicetio Trevirensi Episcopo agens sic antiquam clericorum tonsuram describit „ S. Nicetius, *inquit*, ab ipso ortus sui tempore clericus est designatus. Nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantum, a capillis nudum cernebatur; in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab iisdem coronam clerici fuisse signatam » Hodie a Monachis veteris tonsurae forma ad instar coronae retinetur. Nam brevis ille orbis in vertice, quem nunc cleri pars magna adhibet, olim insolens, atque inusitatos erat, uti patet ex Concilio Toletano IV. *can.* 41. *t.* 6. *Concil. Labbaei col.* 1462. cujus verba sunt » Omnes clerici, » vel Lectores, sicut Levitae, et Sacerdotes, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant; non sicut huc usque in Galliciae » partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent » Hinc ut saepe Princeps purpurae; ita clericus coronae nomine designatur, uti habet Augustinus *ep.* 133. *ad Proculejanum n.* 5. *opp.* 1. 2. *col.* 85. » Per coronam nostram nos adjurant vestri, » per coronam vestram, vos adjurant nostri» Qua ipsa loquendi formula utuntur Hieronymus *ep.* 142. *opp. t.* 1. *col.* 1066., Sidonius *lib.* 6. *ep.* 3. apud Sirmondum *oper. var. tom.* 1. *pag.* 576. *edit. Venet.* 1728., Ennodius *lib.* 4. *ep.* 22. *et* 29. *ad Symmach. in Bibl. PP. tom.* 9. *p.* 238. *et* 339. *ed. Lugdun.*, et in *L.* 38. *Cod. Theodos. de Episc. et Cleric.* ejusdem coronae gratia clerici *coronati* appellantur, quemadmodum legem ipsam explicat Gothofredus *lib.* 16. *tit.* 2. *Cod. Theodos. pag.* 85. *tom.* 6. *par.* 1. *edit. Lipsiae* 1743 Ab ea, quam descripsi, clericalis tonsurae forma differebat tonsura Scottica, qua anterior capitis pars ab aure ad aurem capillis nudabatur, pars autem posterior intonsa relinquebatur. De hoc tonsurae genere multa habent Mabillonius *Acta SS. Ord. S. Benedict. in praef.* §. 1. *pag.* 11. *t.* 3. *part.* 1. *edit. Ven.* 1733., et Du-Cangius *Glossar. med. et infim. latinit. verbo tonsura S. Petri.*

(2) Id multis ostendit Morinus *de sacr. ordinat. par.* 3. *exerc.* 15. *cap.* 3. Sed Mabillonius *loc. cit. num.* 19. *pag. VI.* citius, quam ille putat, separatim ab ordinibus tonsuram conferri coepisse arbitratur. Forte non uno et eodem tempore ab omnibus Ecclesiis ea disciplina recepta est. Confer etiam Christianum Lupum *in scholiis ad can.* 14. *Concil. OEcumenic. VII. tom.* 3. *opp. pag.* 199., et Thomassinum *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *et seq. pag.* 193. *tom.* 2.

(3) Videndus Goarius *Euchol. Graecor. pag.* 233. *edit. Paris.* 1647.

(4) Etiam Ratherii aetate, quae pertinet ad X. Ecclesiae saeculum, Presbyteri clericos faciebant, hoc est tonsuram conferebant, quod ipse *in Synodic. ad Presbyter. num.* 15. *col.* 421. *edit. Veronae.* 1765. sine » ejus venia fieri vetuit » Clericum, *inquit*, nemo vestrum sine licentia faciat nostra. »

(5) Mabillonius *loc. cit.* laudat Letaldum Monachum, qui IX. seculo vixit, quique de Simone pariter monacho scribit haec » Cui monasterio praefuit venerabilis Simon, nomine, a laico quidem tonsuratus, » sed modestiae, et gravitatis moribus non improbabiliter adornatus » Quibus ex verbis manifestum est, uti ipse Mabillonius animadvertit » jam tum improbari coeptam tonsuram a laicis collatam, sed tamen non omnino rejectam fuisse. »

(6) Gregorius Turonensis *Histor. lib.* 3. *cap.* 18. *pag.* 125. *edit. ejusd.* de Chlodovaldo Chlodomeris Regis F. scribit haec » sibi propria » manu capillos incidens clericus factus est ». Huc etiam spectare videtur Marculfus *in praecept. de clericat. formul. lib.* 1. *num.* 19. apud Baluzium *Capitular. Reg. Franc. tom.* 2. *col.* 263. *edit. Venet.* 1737. Consule Martenium *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 7. §. 9. *tom.* 2. *pag.* 16. *edit. Venet.* 1763.

§. VII. In antiquis Ecclesiae monumentis alia saepe occurrunt clericorum nomina, et officia, quae ab iis, quos memoravi, ordinibus sedulo distinguenda sunt. Nam Ecclesia non alios agnoscit, semperque agnovit ordines, quam eos, quos supra recensui; aliis autem nominibus non diversi ordines, sed diversa designantur officia, quae clericis tribuebantur. Ex eo numero sunt Cantores, seu Psalmistae, Fossarii, Copiatae, Laborantes, Parabolani, OEconomi, ac Defensores Ecclesiarum, Hermeneutae, Catechistae, Martyrum custodes, Notarii, Chorepiscopi, Apocrisarii (1). De Cantoribus, seu Psalmistis, quos eosdem ac Lectores aliqui fuisse existimant (2), Concilium Carthaginiense IV. (3) habet haec „ Psalmista, idest Cantor potest absque „ scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri „ officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: „ vide, ut quod ore cantas, corde credas, et quod corde „ credis, operibus comprobes„ Copiatae a graeco verbo κόπος *labor* Latinis sunt *Laborantes*, et eorum erat mortuorum corpora gestare, ac tumulis inferre; quod autem corporibus condendis terram foderent, etiam *Fossarii* appellantur (4). Parabolani curandis aegrorum corporibus addicebantur (5). OEconomos definit Concilium Toletanum IV. (6), qui, *vice Episcoporum res ecclesiasticas tractant*; hos in Ecclesiis omnibus constitui voluit Synodus Chalcedonensis (7). Ecclesiarum Defensores jura Ecclesiae, aut clerici alicujus tuebantur, si quid contra ea factum diceretur (8). Hermeneutae, sive Interpretes ex uno in aliud idioma transferebant

tum lectiones S. Scripturae, tum ea, quae habitis in Ecclesia concionibus comprehensa fuerant (9). Catechistae ad rem christianam catechumenos instituebant; quod munus interdum ab Episcopis (10), interdum a Presbyteris (11), Diaconis (12), Lectoribus (13), quin etiam ab aliquo laico homine, qui supra ceteros sapere videretur, exercebatur (14). Martyrum custodes conquirendis, custodiendisque reliquiis martyrum praepositi erant (15); Notarii facta, et dicta martyrum per notas, unde eorum nomen factum est (16), seu compendia vocum describebant, literisque mandabant orationes Episcoporum (17), et scribebant acta Conciliorum, excipiebantque orationes, ac disputationes, et quidquid in Concilio ageretur (18).

(1) De his clericorum officiis videndus eruditissimus Cardinalis Borgia *Vaticana confessio pag.* 52. *et* 53.

(2) Sic Isaacus Habertus *archier. seu Pontif. Graec. par.* 4. *obs.* 4. *pag.* 44. *edit. Paris* 1643.

(3) Concilium Carthaginiense IV. *can.* 10 *tom.* 3. *Concil. Labbaei col.* 1438.

(4) Confer *L.* 1. *Cod. Theodos. de lustrat.* collat. *tom.* 5. *pag.* 3. *edit. Lipsiae cit.*, *et L.* 15. *Cod.* de *Episcop.* et *cleric. tom.* 6. *pag.* 46. ibique Gothofredum.

(5) Vide-sis *L.* 42. et 43. *Cod. Theodos. loc. cit. pag.* 91. *et seq.*

(6) Concilium Toletanum IV. *can.* 48. *tom.* 6. *concil. col.* 1463. Eos Leo et Anthemius in *L.* 33. §. 4. *Cod. de Episc.* et *Cleric.* vocant *dispensatores pauperum*, propterea quod *propria pauperum sunt Ecclesiae bona.* Videndus est etiam Isidorus Pelusiotes *lib.* 1. *ep.* 269. *pag.* 49. *edit. Venet.* 1745.

(7) Concilium Chalcedonense *can.* 26. *tom.* 4 *Concil. col.* 1691. oeconomos ubique constitui jubet » ut nec sine testibus sit Ecclesiae administratio, » nec ideo res ejus dissipentur, et probrum, ac dedecus sacerdotio inuratur ». Confer Christianum Lupum *in schol. ad eumd. can. opp. tom.* 2. *pag.* 105.

(8) Concilium Carthaginiense V. *can.* 9. *tom.* 2. *col.* 1456., Milevitanum II. *can.* 16. *tom* 3. *col.* 384. » *Gregorius* M. *dialog. lib.* 1. *cap.* 10. *col.* 193. *opp. tom.* 2. Aliquid hoc loco dicendum esset de clerici Defensoribus Ecclesiae Romanae, quorum saepe meminit S. Gregorius M., quique in primis illustrem tenebant locum; sed ea de re solide, graviterque disserit doctissimus Cardinalis Stephanus Borgia *Difesa del dominio temporale nelle due Sicilie cap.* 1. §. 13. *seq. pag.* 17. *seq.* Confer etiam quae ipse *loc. cit.* §. 17. *pag.* 25. praeclare scripsit *de tonsuratoribus*, quos multi inter minores clericos referendos putant, quosque memorat S. Gregorius M. *lib.* 9. *ep.* 62. *opp. tom.* 2. *col.* 978. Hi certe erant infra Defensores.

(9) Eorum meminit Epiphanius *exposit. fid. num.* 21. *opp. tom.* 1. *pag.* 1140. His affines sunt, quos Innocentius III. in *Cap.* 14. *de offic. judic. ordin.* in iis dioecesibus, in quibus *permixti sunt populi diversarum linguarum*,

ab Episcopis constitui jubet *ad divina eis officia celebranda, sacramenta ministranda*, eosque *instruendos*.

(10) Ambrosius *ep.* 20. *num.* 4. *opp. tom.* 3. *col.* 901.

(11) Chrysostomus *catheches.* 1. *et* 2. *ad illum. opp. tom.* 2. *pag.* 225. *et* 234., quae quidem catecheses habitae a Chrysostomo sunt, cum adhuc esset Presbyter Antiochenus.

(12) Augustinus *de catechiz. rud. cap.* 1. *opp. tom.* 11. *col.* 655.

(13) Cyprianus *ep.* 29. *pag.* 208., ubi Catechistam *Doctorem Audientium* vocat.

(14) Auctor *Constitut. Apostolic. lib.* 8. *cap.* 32. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1. *pag.* 414. *edit. Antuerpiae* 1697. Saepe enim adversus philosophos, doctosque ex numero ethnicorum viros disputandum erat; idcirco iis, qui ingenio, ac doctrina praestabant, catechistae munus committebatur. Hinc ab Origene adhuc laico, sed omnium, qui ea aetate vivebant, doctissimo catechumenos Alexandriae institutos ferunt.

(15) Martyrum custodes etiam Martyrarii dicebantur, ac de iis solide, copioseque disserit Cl. Cardinalis Borgia *loc. cit.*

(16) S. Augustinus *de doctrin. christian. lib.* 2. *cap.* 26. *tom* 3. *opp. col.* 46. » Ex eo genere, *inquit*, sunt etiam notae, quas qui didice» runt, proprie jam Notarii appellantur. »

(17) Idem *ep.* 213. *num.* 2. *tom.* 2. *col.* 1028. » A Notariis Ecclesiae, » *inquit*, sicuti cernitis, excipiuntur, quae dicimus, excipiuntur, quae di» citis, et meus sermo, et vestrae acclamationes in terram non cadunt. »

(18) Id constat ex ipsis Actis Conciliorum, atque ex Eusebio *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 29. *pag.* 314., et Socrate *lib.* 2. *cap.* 30. *pag.* 111. Haud tamen satis certum est, num semper clerici fuerint notarii; tales quidem fuisse constat septem Notarios regionarios a S. Clemente institutos. Nam Auctor Pontificalis *in Adriano I.* §. 3. *tom.* 2. *edit. Vignoli Romae* 1724. scribit haec » Eum clericari jussit; quem notarium regionarium constituens, postea eum Subdiaconum fecit. » Imo in Libro Diurno » *cap.* 6. *tit.* 1. *pag.* 103. *edit. Garnerii Paris.* 1680. praeceptum extat *quando laicus tonsuratur, et fit regionarius.* Verum de ceteris notariis generatim non ita expedita res est. Evodius *ep.* 159. *inter Augustini epist. tom.* 2. *col.* 718. memorat *quemdam puerum Presbyteri Armeni Melonitani filium notarium.* Mitto cetera clericorum officia, de quibus agit copiose, et diligenter V. Cl. Alexius Aurelius Pelliccia *De Christian. Eccles. polit. lib.* 1. *sect.* 2. *tom.* 1. *pag.* 45. *seqq. edit. Venet.* 1782., et agit etiam Binghamus *origin. ecclesiast. lib.* 3. *cap.* 7. *seqq. tom.* 2. *pag.* 38. *seqq. edit. Halae Magdeburg.* 1751. quamquam hic falso singulos ex his ordines constituat, cum haec non ordinum, sed officiorum diversa fuerint nomina. De Copiatis, et Parabolanis videndae sunt binae dissertationes Agnelli Honorati in collectione italica dissertationum Fr. Antonii Zaccariae *tom.* 12. *dissert.* 9. *pag.* 283. *et tom.* 13. *dissert.* 7. *pag.* 247. De Archidiaconis, Archipresbyteris, ceteris, de quibus in Decretalibus peculiares tituli sunt, agam suo loco, ac tempore.

§. VIII. Chorepiscopi erant τῆς χώρας hoc est *ruris* Antistites, quos nimirum, cum late patebat dioecesis, in pagis, atque oppidis longe dissitis Episcopi constituebant, quasi vicarios, et adjutores suos. De his quaesitum est a viris doctis, num tantum Presbyteri fuerit, an etiam Episcopi; verique similior

est opinio illorum, qui eos simplices Presbyteros fuisse arbitrantur (1). Non uni, ut Parochi, sed pluribus Chorepiscopi praeficiebantur Ecclesiis, easque lustrabant (2), dabant literas pacificas (3), quae erant ex genere formatarum (4), minores ordines conferebant (5). Lapsu temporum eo usque processerunt Chorepiscopi, ut jura ipsa invaderent Episcoporum; et ideo de iis abrogandis saepe actum est, sed tamen in Occidente usque ad XI. saeculum perseverarunt (6). Denique Apocrisarii, seu Responsales negocia Summi Pontificis, vel Patriarcharum in aula Imperatoris procurabant (7). Si quod ceteri inferiores Episcopi haberent negocium, de quo Imperatorem consulere oporteret, id expedire debebant per Apocrisarios Patriarchae, cui subjecti erant. Sumebantur Apocrisarii plerumque ex ordine Diaconorum (8).

(1) Confer quae scripsimus in *Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 5. §. 49. *tom.* 1. *pag.* 225. *et seq. edit. Romae* 1792.

(2) Hinc Chorepiscopi interdum dicuntur Periodevtae, hoc est circuitores, uti demonstravimus *in iisdem Instit.* §. 50. *pag.* 227.

(3) Chorepiscopos dedisse literas pacificas, manifestum est ex Concilio Antiocheno *can.* 8. *t.* 2. *Concil. Labbaei col.* 590., cujus haec verba sunt » Nec Presbyteri, qui sunt in pagis, dent canonicas epistolas, vel ad solos vi- » cinos Episcopos epistolas emittant. Chorepiscopi autem nulli reprehensioni » affines dent pacificas » Erant autem pacificae literae, quae dabantur lapsis post actam poenitentiam alio proficiscentibus, aut iis, qui pacem a Confessoribus obtinuerant, antequam poenitentiam explerent, aut iis demum, qui calumnia in erroris, scelerisque suspicionem vocati fuerant, ut hi omnes per has literas nullam sibi inesse maculam ostenderent, Christianorumque consortio reciperentur. Hujus generis eae fuerunt, quas Cataphrygae a Victore Pontifice extorserunt, quasque memorat Tertullianus *advers. Praxeam cap.* 1. *pag.* 501., qua de re consule Tillemontium *Memoir. pour l'Histoir. Ecclesiast. not.* 4. *sur les Montanist. tom.* 2. *pag.* 669. *edit. Venet.* 1732., et Coustantium *epist. Roman. Pontif. in Eleuther.* §. 1. *pag.* 87., qui easdem literas Victori adscribendas putant non Eleutherio, uti Valesio *in not. ad Eusebium histor. eccles.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3, *pag.* 184., Massuetio *dissert.* 2. *in Irenaeum num.* 8. *tom.* 2. *pag.* 67., aliisque visum est.

(4) Formatarum nomen generis erat nomen, quod plures sub se species continebat, nimirum pacificas de quibus paulo ante actum est, atque alias, de quibus dicam opportuniori loco. Per eas autem Ecclesiarum unio ostendebatur, sive, ut verbis utar Tertulliani *de praescript. cap.* 20. *pag.* 209. *edit. Venet.* 1744., *communicatio pacis* . . . . . *et contesseratio hospitalitatis* demonstrabatur. Hinc Optatus Milevitanus *de schism. Donatist. lib.* 2. *pag.* 32. *edit. Antuerp.* 1702. *totus*, inquit, *orbis commercio formatarum in una communionis Societate concordat*; Augustinus *ep* 44. *cap.* 2. *num.* 3. *pag.* 135. *opp. tom.* 2. *edit. Maurin. Venet.* 1759., ut ostenderet, Donatistas a Catholicae Ecclesiae communione sejunctos a Fortunio eorum Episcopo *quaerebam*, inquit, *utrum epistolas communicato-*

rias, *quas formatas dicimus*, *posset quo vellem dare*. Cur autem hae literae *formatae* dicerentur, non satis exploratum est. Quod verbis certis, et solemnibus conciperentur adhibitis notis, et signis quibusdam *formatas* appellatas putant Priorius *dissert. de liter. Canonic.* §. 15. *pag.* 48. *seqq. edit. Paris.* 1675., et Cujacius *libr.* 3. *Decretal. tit.* 4. *cap. Fraternitati* 5. *opp. tom.* 6. *col.* 958. *edit. Venet.* 1778. Eodem recidit sententia Baronii *ad an.* 1402. *num.* 6. *tom.* 2. *pag.* 156., et Schelestratii *Antiochen. Concil. restit. d ssert.* 4. *cap.* 12. *art* 2. *num.* 6. *pag.* 393. *edit. Antuerp.* 1681. Contra Fabrotus *in not. ad Theodor. Balsamon pag.* 1414. *tom.* 2. *Biblioth. Can. Justel. edit. Paris.* 1661., et Sirmondus *ad Sidonium Apollinarem lib.* 6. *ep.* 8. *opp. var. tom.* 1. *col.* 579. *edit. Venet.* 1728., et *ad Goffridum Vindocinensem lib.* 2. *ep.* 28. *tom.* 3. *col.* 469. nomen illud ductum putant a forma sigilli, quo ejusmodi literae obsignabantur. At Carolus Labbaeus *observ.*, *et emendat. in Synopsin. Basilicorum ad L.* 60. *pag.* 196. *edit. Paris.* 1606. iisdem literis nomen illud tributum existimat, quod ita compositae obsignataeque essent, ut publica instrumenta, atque edicta Principum componi, obsignarique solebant, quae quidem instrumenta, quaeque epistolae a Svetonio *in vit. Domitian cap.* 13. *p.* 1042. *edit. Pitisci* 1715. *tom.* 2. *formales* vocantur. Denique alii sunt, qui *formatarum* nomen ex eo repetunt, quod extremis iisdem epistolis, literae quaedam adscribi solerent, *quae formae* appellarentur. Confer Du-Cangium *Glossar. med. et infim. Latinit. verb. formata.* Illud plane cognitum, compertumque est, in literis formatis certa illa signa, sive essent notae, sive literae, sive sigillum, adhiberi consuevisse, ut quae verae erant a falsis discernerentur. Eaedem epistolae a Graecis κανονικαί *canonicae*, hoc est secundum Canones compositae, et κανονικὰ γράμματα, seu canonicae literae appellantur; et huc sane spectant Concilium Antiochenum *can.* 11. *tom.* 2 *Concil. Labbaei col.* 590. (ubi tamen hae literae solum γράμματα non adjuncto vocabulo κανονικὰ, appellantur) et Concilium Laodicenum *can.* 41. *tom.* 1. *Concil. col.* 1538. *edit. ejusd.* et Zonaras *in eumd. Canon.* apud Beveregium *tom.* 1. *Pandect. Canon. pag.* 473. *edit. Oxon.* 1672. Duas *formatarum* epistolarum formulas describit Gratianus *can.* 1. *et* 2. *dist.* 73., quarum alteram Nicaenis Patribus, alteram Attico Constantinopolitano Episcopo falso adscribit. Sed quale de iisdem epistolis debeat esse judicium, ostendit Carolus Sebastianus Berardus in opere, cui titulus *Gratiani canones genuini ab apochryphis discreti par.* 1. *cap.* 7. *pag.* 79. *et par.* 3. *tom.* 4. *cap.* 18. *pag.* 197. *seqq. edit. Venet.* 1783. In opere Claudii Fleury *Disciplina populi Dei tom.* 1. *pag.* 233. *edit. Venet.* 1761. extat dissertatio Joannis Cabasutii *de literis formatis*, *seu canonicis.*

(5) Concilium Antiochenum *can.* 10. *tom.* 2. *Concil. col.* 600.

(6) Confer Mabillonium *praefat. in saec. VI. Benedictinor.* §. *XII. num.* 94. *tom.* 9. *pag. XLII. edit. Venet.* 1733. Vide etiam quae scripsimus *in Inst. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 5. §. *L. not.* 4. *et* 5. *pag.* 229.

(7) Videndus Justinianus *novel.* 6. *cap.* 2.

(8) Confer Du-Cangium *glossar. med. et infim. lat. verb. Apocrisarius.*

§. IX. Sunt haec praecipua munera distincta ordinibus, quibus olim clerici fungebantur. Sed et sua habebant officia mulieres, quae Diaconissae dicebantur, non quod inter clericos numerarentur, quoniam eis sexus nullum plane sinit pa-

tere gradum ad sacerdotium, sed quod erga feminas partes aliquas obibant Diaconorum. Erant autem haec vetulae mulieres, quibus certa quaedam munera in Ecclesia committebantur, et quarum origo ab ipsa Apostolorum aetate repetenda est (1). Earum aetas annorum sexaginta esse debebat (2); sed saepe juniores feminas huic muneri addictas fuisse constat (3); unde intelligimus, non unam, et eamdem fuisse ea de re Ecclesiae disciplinam. Sumebantur, ut plurimum, ex corpore viduarum, quae unum erant passae virum (4); sed non raro perpetuas virgines Diaconissas electas vetusta monumenta demonstrant (5).

(1) S. Paulus *ad Romanos cap. XVI. ver.* 1. memorat Phaeben, quam διάκονον *ministram* Ecclesiae Cenchreensis appellat. Etiam Plinius Junior *lib* 10. *ep.* 97. *ad Trajanum pag.* 287. *edit. Oxonii* 1703. loquitur de duabus christianis faeminis, quas ministras vocat „ qui magis, *inquit*, necessarium » credidi ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere ».

(2) Apostolus *I. ad Timoth. cap. V. ver.* 9. habet haec. » Vidua eligatur » non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor, in operibus » bonis testimonium habens . . . si omne opus bonum subsecuta est. » Ad hunc » Pauli locum respexit Theodosius Imperator in *L.* 27. *Cod. Theod. de Episc.* » *et Cleric.*; cum scripsit. » Nulla nisi emensis sexaginta annis; cui votiva domi » proles sit, secundum praeceptum Apostoli, ad Diaconissarum consortium » transferatur. » Ipsam hanc aetatem annorum 60. memorant Tertullianus *de Virg. velan. cap.* 9. *pag.* 178., et S. Basilius *Ep.* 199. *can.* 2. *ad Amphiloc. Can.* 24. *t.* 3. *opp. pag.* 293. *ed. Paris.* 1730., et S. Hieronymus *Commen. in Isaiam lib.* 2. *cap.* 5. *tom.* 4. *col.* 53. *et ep.* 69. *ad Salvinam cap.* 2. *et* 7. *col.* 495. *et* 500. *tom.* 1.

(3) Chalcedonensi Concilio *can.* 15. *tom.* 4. *Concil. col.* 1707. *et* 1726. sancitum est, ut Diaconissae quadraginta annorum eligi possent, quam aetatem probavit Concilium Trullanum *Can.* 14. *tom.* 7. *col.* 1354., et Justinianus *Novella* 123. *cap.* 13. Ipse Justinianus *Novella* 6. *cap.* 6. in Diaconissis aetatem requirit annorum 50., quam eamdem aetatem definit in *L.* 9. *Cod. de Episc., et Cleric.*, si vera est lectio, quae vulgo traditur. Nam Contius legendum esse putat non 50., sed 60., atque ita ab erroris, et negligentiae nota liberat Tribonianum, qui certe liberari non potest, si retineatur vulgata lectio, quae his est concepta verbis. „ Nulla, nisi emen- „ sis 50. annis, secundum praeceptum Apostoli, ad Diaconissarum con- „ sortium transferatur „. Non enim *praeceptum Apostoli* annos *quinquaginta*, sed *sexaginta* constituit. Contra sub Nectario Patriarcha Costantinopolitano fuisse Olympiadem Diaconissam quadraginta annis minorem, scribit Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 9. *pag.* 337. Ex quibus intelligitur, non unam semper, eamdemque regulam fuisse, et multum ea in re Episcopi arbitrio datum. Quae olim in Diaconissis requirebantur, explicat Jacobus Gothofredus *in Comment. ad cit. L.* 27. *C. Theod. de Episc. et Cler. tom.* 6. *par.* 1. *pag.* 68

(4). Hinc Diaconissae saepe *viduae* dicuntur, et earum officium *vidua-*

rum appellant Tertullianus *lib.* 1. *Ad uxor. cap.* 7. *pag.* 165. *et de velan. virgin. cit. cap.* 9. *pag.* 178., S. Epiphanius *haeres.* 79. *n.* 4. *p.* 1060. *tom.* 1. S. Ignatius *ep. ad Smyrn. num.* 13. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 2. *pag.* 38. S. Hieronymus *ep.* 123. *ad. Ageruchiam de monogam. cap.* 6: *col.* 903. *tom.* 1. *opp.* eamdemque ob causam eas Epiphanius *loc. cit.*, et Concilium Laodicenum *can.* 11. *tom.* 1. *col.* 1534. *et* 1551. *collect. Labbaei* πρεσβυτερίδας *viduas seniores* vocat. Sunt tamen distinguendae Diaconissae a viduis ecclesiasticis, quae publicis eleemosynis alebantur, quaeque Diaconissae non erant. Utrasque distingnit Auctor *Constitut. Apostolic. lib.* 3. *cap.* 7. *tom.* 1. *pag.* 281., cum has viduas subjectas esse jubet :. Episcopis, Presbyteris Diaconis, insuper et Diaconissis. „

(5 Virgines, quae Diaconissae factae sunt, memorant S. Ignatius *loc. cit.*, ibique Cotelerius, S. Epiphanius *exposit. fid. n.* 21. *pag.* 1104. *tom.* 1. *Const. Apostol. lib.* 6 apud Cotelerium *tom.* 1. *pag.* 348. *cap.* 17. *edit. cit.*, Justinianus *Novell.* 6. *cap.* 6., Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 23. *pag.* 335. Zonaras, et Balsamon *ad Can.* 19. *Nicaen.* apud Beveregium *Pandect. Canon. tom.* 1. *pag.* 82. *et* 83. *edit. Oxonii* 167., ac Torrigius *de Sac. Crypt. Vatican. p.* 2. *pag.* 557. *edit. Romae* 1639. mentionem facit de S. Martina Virgine, et Martyre, quae Diaconissa fuit.

§. X. Multiplex erat Diaconissarum officium. Nimirum Sacerdoti faeminas baptizanti praestabant operam, ut sexus pudori consuleretur, cum esset nudandum corpus ea aetate, qua Baptismus per immersionem conferebatur (1); catechumenas ad rem christianam domi instituebant (2); faeminas aegrotas invisebant (3); opem ferebant martyribus, et confessoribus carcere detentis, cum ad eos Diaconis aditus non patebat (4); stabant ad januas, per quas mulieres Ecclesiae januam ingrediebantur (5); et suum in ea locum cuique tribuebant (6); mulieres ad Diaconum, et Episcopum, quos ipsae vellent alloqui, deducebant, ut testes essent earum honestatis (7). His muneribus addicebantur Diaconissae per manuum impositionem, quae tamen non sacramentum erat, sed Ecclesiae caeremonia, ad instar benedictionis, quam mulieres aliae accipiebant (8). Sed denique sublata consuetudine differendi Baptismum in grandiorem aetatem, studioque imminuto pietatis, ac religionis contractisque vitiis compluribus a Diaconissis earum ministerium abrogatum est (9). Nunc ad ordines revertamur, a quibus discessimus, ut quae ab his discernenda sunt, ecclesiastica officia explicaremus.

(1) S. Epiphanius *haeres.* 59. *sive* 79. *num.* 3. *tom* 1. *pag.* 1060., Auctor Constitutionum Apostolicarum *lib.* 3 *cap.* 15. *et* 16. *pag.* 287 *et seq.* apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1., Justinianus *Novell.* 6 *cap.* 6.

(2) Concilium Carthaginiense IV. *can.* 12. *tom.* 2. *Concil. col.* 1498.

Auctor *commentar. in epist. ad Roman. cap. XVI. opp. S. Hieronymi. tom.* 11. *col.* 215.

(3) Auctor *Constit. Apostolic. cit. cap.* 15. *pag.* 287., S. Hieronymus *ep.* 52. *ad Nepotianum num.* 5. *opp. tom.* 1. *col.* 260.

(4) Confer Cotelerium *not. in Constit. Apostolic. loc. cit.*, et Jacobum Gothofredum *in L.* 27. *cod. Theodos. de Episc. et Cleric. tom.* 6. *par.* 1. *pag.* 68. *edit. Lipsiae* 1743.

(5) Auctor *Constitut. Apostolic. lib.* 2. *cap.* 57. apud eumdem *pag.* 253. *et lib.* 8. *cap.* 28. *pag.* 411. Per Januas autem intelligendae sunt portae interiores, per quas aditus patebat ad ligneos parietes, quibus mulieres a viris in Ecclesia dividebantur.

(6) Auctor *Constit. Apostolic. lib.* 2. *cap.* 58. *pag.* 267.

(7) Idem *lib.* 2. *cap.* 26. *pag.* 239. » nulla mulier, *inquit*, nisi per Diaconissam, ad Diaconum, aut ad Episcopum accedat. »

(8) Dubitari certe non potest, quin Diaconissae sacra caeremonia initiatae fuerint, et *in Constitutionibus Apostolicis lib.* 8. *cap.* 20. *pag.* 408. extat *invocatio in ordinatione Diaconissae*, quae electa dicitur *ad ministerium*, eique Pontifex apprecatur gratiam, quam habuere Maria, Debora, Anna, et Holdam. In Pontificali, et Euchologio Graecorum ritus describitur ordinationis, in qua non solum Diaconissae caput inclinanti Episcopus *manum imponit*, ἐπιτίθησι τὴν χεῖρα, sed etiam *circumponit collo ipsius subtus maphorium* (hoc est sacratarum virginum pallium) *stolam diaconalem*. Male igitur Van-Espenius *tractat. Histor. Canon. par.* 2. *cap.* 1. §. 7. *opp. tom.* 5. *edit. Lovanii* 1732. Diaconissas accepisse negat manuum impositionem, quae tamen caeremonialis erat, non sacramentalis; qua de re multa diximus *in Inst. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 9. §. 23 *not.* 8. *tom.* 1. *pag.* 424. *et seq.* Praeter auctores autem, quos eo loco indicavimus, videndi sunt etiam Goarius *Euchelog. Graecor. tit. de Diaconissis pag.* 262. *seqq. edit. Paris.* 1647., Renaudotius *Liturg. Oriental. observ. in liturg. Syriac. tom* 2. *pag.* 121. *edit. Paris.* 1716., Christianus Lupus *in can.* 15. *Concil. Chalcedonen. opp. tom.* 2. *pag.* 90. *seqq. edit. Venet.* 1724.

(9) Saeculo XII., quo Balsamon vitae usura fruebatur, adhuc erant apud erant apud Graecos Diaconissae, sed eae nullam manuum impositionem accipiebant, sicut ipse Balsamon testatur *in can.* 15. *Concil. Chalcedonen.* apud Beveregium *Pandect. canon. tom.* 1. *pag.* 131. In Occidente de abrogandis Diaconissis pluries actum est, nimirum in Concilio Arausicano I. *can.* 26. *t.* 5. *col.* 705., Epaonense *an.* 517. *can.* 21. *tom.* 5. *col.* 714., Aurelianense II. *an.* 533. *can.* 17. *et* 18. *col.* 928.; verum saeculo IX. adhuc Diaconissas extitisse constat ex Concilio Wormatiensi *an.* 868. *can.* 73. *tom.* 10. *Concil. col.* 468. Imo saeculo XI. Joannes XIX., qui Pontifex creatus est an. 1024., Diaconissarum consecrationem memorat literis datis ad Episcopum Silvae Candidae apud Mabillonium *Museum Italicum Ord. Roman. XI. tom.* 2. *pag.* 156. *edit. Paris.* 1724. Videndi sunt Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib* 1. *cap.* 25. §. 15. *tom.* 2. *pag.* 353., ibique Robertus Sala *in not. pag.* 359., Morinus *de sacr. ordinat. par.* 3. *exerc.* 10. *cap.* 3., Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 51. *num* 1. *tom.* 1. *pag.* 461. Syrii nunc etiam habent Diaconissas, quarum ordinationem, potestatem, officium accurate describit Assemanus *Biblioth. Orient. tom.* 2. *in dissert. de Monophysitis nu.* 10. Diaconissae vocabulum interdum ab ecclesiasticis Scriptoribus usurpatur ad significandam non veri nominis Diaconissam, sed Diaconi uxorem, eo modo, quo Presbyteri uxor Presbytera, et uxor Episcopi Episcopa appellatur. Eodem sensu ipsa vocabula Episcopae, Presbyterae, Diaconissae, Subdiaconissae,

adhibentur in Conciliis Turonensi II. *can.* 13. *et* 19. *tom.* 6. *col.* 537. *et* 540. *collect. Labbaei*, et Antisiodorensi *can.* 21. *tom. eod.col.* 644.

§. XI. Non omnium conferendorum ordinum idem est tempus a Jure constitutum. Tonsura quovis anni tempore, hora, die, minores ordines diebus Dominicis, ceterisque diebus festis de praecepto etiam extra Missam, sed ante meridiem conferuntur (1). Majores autem ordines die Sabbati in omnibus quatuor anni temporibus (2), ac Sabbato sancto, Sabbato ante Dominicam Passionis (3), in Ecclesia intra Missarum solemnia conferendi sunt. Qui extra statuta tempora hos ordines suscepit, eorum muneribus fungi (4), et Episcopus, qui in illam legem peccavit, ordines conferre prohibetur (5).

(1) Cap. 3. *de tempor. ordinat.*, cujus quidem decretalis explanationem dedimus *in Instit. Jur. Canon. tit.* 4. *sect.* 2. §. 6. *not.* 6. *tom.* 1. *pag.* 280.

(2) Gelasius I. apud Gratianum *can. ult. dist.* 75. prior constituit, ut ordinationes fierent *jejunio mensis quarti* (hoc est Junii, quoniam olim Christiani exemplo Romanorum a Mense Martio annum inchoabant) *septimi*, hoc est *Septembris*, *decimi*, hoc est Decembris, et quadragesimalis initii, hoc est *primae hebdomadae quadragesimae*, *ac medianae hebdomadae*, idest Sabbati ante Dominicam passionis quintam quadragesimae, quae mediana quoque Dominica dicitur, quia in ejusdem lectionibus commemoratur luna quartadecima, et quintadecima, quae sunt medietas periodi lunaris. Quamquam vero nulla fiat a Gelasio mentio Sabbati Sancti, tamen eo quoque die ab eodem permissas Presbyterorum, et Diaconorum ordinationes tradit Christianus Lupus *in calc. Schol. ad decret.* 3. *Leonis IX. in respons. ad* 2. *quaest. tom.* 4. *pag.* 299. Gelasio vetustior Leo M. *ep.* 9. *ad Dioscor. Alexand. cap.* 1. *tom.* 1. *opp. col.* 629. statuit » ut non passim diebus omnibus » sacerdotalis, vel levitica ordinatio celebretur; sed post diem Sabbati, » ejus noctis, quae in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, in quibus » his, qui consecrandi sunt, jejunis, et a jejunantibus sacra benedictio » conferatur. Quod ejusdem observantiae erit, si mane ipso dominico die, con- » tinuato Sabbati jejunio celebretur; a quo tempore praecedentis noctis initia » non recedunt, quam ad diem Resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini » declaratur, pertinere non dubium est « et paulo post » Pie et laudabiliter » apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum for- » mam per Ecclesias, quibus Dominus praeesse te voluit, etiam ipse servave- » ris; ut his, qui consecrandi sunt, numquam benedictio, nisi in die resur- » rectionis dominicae tribuatur, cui a vespera sabbati initium constat adscri- » bi » Sunt qui hoc loco de die Paschatis, ac Sabbato Sancto Leonem loqui arbitrantur; sed eos copiose refellunt Fratres Ballerinii *in S. Leonem dissert.* 1. 4. *tom.* 2. *col.* 1072. *et seq.* Primus igitur Gelasius certis illi Sabbati diebus sacras ordinationes addixit. Multo post Gelasium Alexander III. *in cap.* 3. *de tempor.* rem omnem clarius, et explicatius constituit, dicta lege, ut ad Subdiaconatum, et ceteros majores ordines „ nisi quatuor temporibus, aut Sab- » bato sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de passione nulli Episcoporum,

» praeterquam Romano Pontifici, liceat aliquos ordinare » Adde *c.* 2. *eod. tit.*, ubi omnis contraria consuetudo ab eodem Alexandro improbatur.

(3) Antequam sacri ordines conferantur, jejunium observari voluit Ecclesia; ut populus per haec poenitentiae opera bonos a Deo ministros impetrare possit, idque ipsa fecit exemplo Apostolorum, quos orantes, et jejunantes manus imposuisse scriptum est *in act. Apostolor. cap. XIII. ver.* 3. Hinc S. Carolus Borromaeus *in Conc. Provinc. II. tit.* 1. *decr.* 22. *act. Eccles. Mediolan. tom.* 1. *pag.* 55. *edit. Patavii* 1754. jussit » ut dominico » die, qui stata quatuor temporum jejunia, quibus ordinis sacramentum ad- » ministratur, antecedit, Parochi in sua unusquique eorum parochiali Ecclesia » supplicationes, litaniasque pie, ac religiose vel intus habeat, vel prose- » quente fidelium multitudine foris Ecclesiam sicut moris, obeat; ut Dei, San- » ctorumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, quibus ordines » confert, Spiritus S. lumine illustretur, tum illi, quibus conferuntur, in » vitae sanctitate, doctrina, religiosisque virtutibus proficiant » Sed non eo- » dem tempore, quo jejunia quatuor temporum instituta sunt, etiam sacrae ordinationes iisdem temporibus jussae sunt celebrari. S. Leo M., quo Pontifice, uti diximus, nondum statutum erat, ut ordinationes quatuor anni temporibus haberentur, disserte memorat eorumdem temporum jejunia *serm.* 19. *cap.* 2. *tom.* 1. *col.* 59. cum ait » Siquidem jejunium vernum in Qua- » dragesima, aestivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hye- » male autem in hoc, qui est decimus, celebramus » eaque jejunia ex Apostolica repetit traditione *serm.* 79. *cap.* 1. *col.* 316. Quod aliquibus minus placet, propterea quod jejunium quatuor temporum universa Ecclesia non observaverit, ideoque Apostolicae traditioni minime adscribendum videatur. Sed, ut recte monent Fratres Ballerinii *not.* 4. *in serm.* 79. *S Leonis col.* 315. *et seq.*, quod in Romana Ecclesia antiqua consuetudine obtinebat, apostolicae institutioni tribuendum communi loquendi usu, ac sensu inolevisse videbatur. Accedit, quod saepe Leo jejunia, aliaque pietatis opera apostolicae institutioni idcirco tribuit, quod ea omnia apostolica doctrina commendaverit. Non igitur, uti dicebamus, pro sacris ordinationibus quatuor temporum jejunia sunt instituta; sed haec antiquiora sunt, ac postea sacrae ordinationes eo tempore *propter jejunium praecedens*, uti loquitur Amalarius Fortunatus *de eccles. offic. lib.* 2. *cap.* 2. *in Biblioth. PP. edit. Lugdun. tom.* 14. *pag.* 968. celebrari coeperunt. Jam vero quatuor temporum jejunia in solemni Missa post salutationem illam *pax Domini sit semper vobiscum* denunciabantur certis formulis, quas describunt Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.* 2. *cap.* 16. §. 4. *t. pag.* 343., Thomasius *lib.* 1. *sacramen. Rom. Eccles. num.* 82 *opp. tom.* 6. *pag.* 100., et Muratorius *Liturg. Rom. vet. tom.* 1. *pag.* 365. *edit. Neapol.* 1776. Quae denunciatio, uti observat Cardinalis Bona *loc. cit.*, necessaria erat, quoniam haec jejunia certam, fixamque sedem non habebant. Nam jejunium mensis primi, quod hebdomada prima Martii indictum erat, interdum in Bacchanalium tempus, et jejunium mensis quarti, quod secunda hebdomada Junii ubservabatur, saepe in tempus extra octavam Pentecostes incidebat; cum alii a feria IV., alii a Sabbato rationem ineundam putarent. Omnia diligenter explicant Bona *loc. cit.*, Hugo Menardus *not.* 410. *in sacram. S. Gregor. opp. ejusdem tom.* 3. *col* 403., Sirmondus *in not. ad Goffridum Vindocinensem ep.* 23. *lib.* 3. *oper var. tom.* 3. *col.* 498 *edit. Venet.* 1728. Denique S. Gregorius VII. jejunium mensis primi transtulit in primam hebdomadam Quadragesimae; jejunium mensis quarti infra octavam Pentecostes semper observari praecepit; quod sane consentaneum est antiquae disciplinae, quam testatissimam faciunt S. Leo M. *serm* 1. 2. 3. 4. *de jejun. Pentecost. opp. tom.* 1. *col.* 313.

seqq. et S. Isidorus *de ecclesiast. offic. lib.* 1. *cap.* 38. *opp. tom.* 6. *pag.* 407. *edit. Cl. Arevali Romae* » Ut semper fiat jejunium veris in prima hebdomade » quadragesimae ; jejunium vero aestatis infra hebdomadam pentecostes » Cetera, quae ad hoc argumentum pertinent, copiose explicantur duabus dissertationibus, quas Fr. Antonius Zaccaria descripsit *in opere Claudii Fl*[illegible] *disciplina populi Dei tom.* 1. *pag.* 140. *seqq. edit. Venet.* 176[illegible], quarum alteram cum titulo *de IV. temporum jejuniis* Ludovicus Antonius Muratorius, alteram vero cum titulo *de jejunii IV. temporum origine, ac institutione : dedit* Jo. Hyacinthus Sbaralea, quibus adjungenda est dissertatio Bononiae edita an. 178[illegible]. Fr. Dominici Thomae Valfredi Ord. Praed *De usu et institutione jejuniorum Temporum.*

(4) Cap. 2. *et cap.* 8. *de tempor. ordinat.* Potest tamen Episcopus ordinatum ab ea poena post actam poenitentiam liberare, ut in *cap.* 16. *eod. tit.* sancitum est a Gregorio IX., emendata ea in re decretali, quae est in *cit. cap.* 8., per quam haec clerici restitutio Sedi Apostolicae fuerat reservata. Et quamvis Sixtus V. *Const. sanctum et salutare* 140. *tom.* 5. *par.* 1. *Bullarii pag.* 40. eam rem similiter Sedi Apostolicae reservasset, tamen huic constitutioni derogavit recentior constitutio *Romanum Pontificem* 121. Clementis VIII. *pag.* 97. *tom.* 5. *par.* 2. *Bullarii.*

(5) Cap. 2. *et* 9. *de tempor. ordinat.* Interdum tamen Summus Pontifex Episcopo concedit facultatem conferendi ordines extra tempora a Jure constituta ; id vero fit literis apostolicis *in forma Brevis*, quas vulgo *extra tempora* appellamus. Quae facultas conceditur justis de causis, quas enumerat Congregatio particularis habita Innocentio XII. Pontifice apud Rigantium *ad regul.* 24. *Cancell.* §. 1. *num.* 44. *tom.* 2.

§. XII. Neque tantum pro conferendis ordinibus certi sunt constituti dies, sed quaedam etiam observanda sunt intervalla temporum, quae *interstitia* appellantur. Vetus sane est lex interstitiorum (1), quae sapientissime ab Ecclesia constituta sunt, ut hac cunctatione, et tarditate probentur diligenter mores eorum, qui ex inferioribus ordinibus ad superiores ascendunt. Qui ea non servaverant, olim *per saltum promoti* dicebantur (2); sed nunc alia, uti post dicam, ejus vocabuli significatio est. Pertinent autem interstitia tum ad majores, tum ad minores ordines (3); in his nulla est definita certa temporis mora, sed res tota Episcopi arbitrio permissa; in illis vero statutum est, ut annus integer inter unum, atque alterum ordinem intercedat, nisi quem lege solvendum putarit Episcopus propter Ecclesiae utilitatem, aut necessitatem (4). In utroque genere aliquid est Episcopi arbitrio datum ; semper tamen cum justa causa praesto est. Sed in minoribus hoc arbitrium tam late patet, ut Episcopus una die eidem homini, nullo interjecto spatio, plures ordines simul conferre possit, in majoribus vero non possit, sed ei tantum in his liceat interstitiorum tempus ex justa causa contrahere (5).

(1) Concilium Sardicense *can.* 10. *tom.* 2. *Concil. col.* 665. » Habebit autem, *inquit*, uniuscujusque ordinis gradus non minimi scilicet » temporis longitudinem, per quod et fides, morum probitas, et constan- » tia, et moderatio possit cognosci; et ipse divino sacerdotio dignus exi- » stimatus, maximum honorem assequatur. Neque enim conveuit, neque » scientia, et bona conversatio hoc recipit, ut temere, et leviter ad id ac- » cedatur, ut Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus prompte, ac facile con- » stituatur » Moram hanc temporis, quam minime definivit Synodus Sardicensis, constituit primum Siricius P. *ep.* 1. *ad Himerium cap.* 9. *et* 10. apud Coustantium *Rom. Pontif. epist. col.* 633. *et seq.*, posique Zosimus *ep.* 9. *ad Hesychium cap.* 3. *ibid. col.* 970., cujus haec verba sunt » Haec autem sin- » gulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministe- » riis nomen dederit, inter lectores usque ad vigesimum aetatis annum conti- » nuata observatione perduret. Si major jam, et grandaevus accesserit, ita » tamen ut post baptismum statim, si divinae militae desiderat mancipari, si- » ve inter lectores, sivi inter exorcistas quinquennio teneatur: exinde acoly- » tus, vel subdiaconus quatuor annis, et sic ad beoedictionem diconatus, si » meretur, accedat, in quo ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, » haerere debebit. Exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis pro- » priae fidei documentis, praesbyterii sacerdotium poterit promereri » Videndi sunt etiam Innocentius I. *ep* 37. *ad Felicem Nucerinum cap.* 5. *ibid. col.* 912., et Coelestinus I. *ep.* 4. *ad Episc. Viennen. et Narbonen. cap.* 3. *col.* 1069. Hanc disciplinae severitatem generatim non abrogavit; sed eam pro re nata, uti ferebat illius temporis, rerumque illarum ratio, temperavit Gelasius I. *in can.* 9. *dist.* 77., qui in exitu saeculi V. Pontificatum obtinuit. In Ecclesia quoque orientali observata fuisse ordinum interstitia ostendit Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 36. *num* 11. *tom.* 1. *pag.* 191. Legem interstitiorum memorant etiam Gregorius Turonensis *Histor. Franc. lib.* 4. *cap.* 6. *pag.* 146., Canones Hibernenses *cap.* 9. *lib.* 1. apud Dacherium *spicileg. tom.* 1. *pag.* 493. *edit. Paris.* 1723., Concilum OEcumenicum VIII. *can.* 5. *tom.* 10. *concil col.* 635., et Capitularia Regum Francorum *lib.* 7. *cap.* 42. apud Baluzium *tom.* 1. *pag.* 693. *edit. Venet.* 1772. Eadem occurrit mentio in epistola Caji Pontificis apud Gratianum *can.* 1. *dist.* 77.; sed haec decretalis una est ex falsis mercibus Isidori Mercatoris. Late de interstitiis agunt Thomassinus *loc. cit.*, Hallierus *de sacr. election.*, *et ordin. par.* 3. *sect.* 7. *c.* 1. *art.* 7. *tom.* 3. *par.* 270. *seqq.* Juenimius *de sacram. dissert.* 8. *quaest.* 8. *cap.* 3. *de ritib. sacr. ordinat. in communi pag.* 549. *edit. Venet.* 1740.

(2) Siricius *cit. epist. cap.* 13. *col.* 635. post praescripta in Monachorum ordinatione interstitia ». Nec statim, *inquit*, *saltu* ad Episcopatus cul- » men ascendant, nisi in his eadem, quae singulis dignitatibus superius » praefiximus, *tempora* fuerint custodita » Idem et Zosimus habet *loc. cit.* » *num.* 2. *col.* 969. » Nec vile sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, » diaconum per ordinem fieri; nec hoc *saltu*, sed statutis majorum ordinatio- » ne temporibus »

(3) In minoribus quoque ordinibus interstitiorum habendam esse rationem perspicue declaravit Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 11. *de reform.*, cum illos conferri voluit *per temporum interstitia*; verum nullum certum eorum tempus constituit.

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 11. 13. 14. *de reform.* Hic vero interstitiorum annus, qui inter unum, atque alterum majorem ordinem medius esse debet, est annus ecclesiasticus, ideoque ordinatus Diaconus in

quatuor temporibus Quadragesimae recte ordinatur Sacerdos in quatuor temporibus anni proxime consequentis, licet Pascha celerius advenerit, uti secundum sententiam Sac. Congregationis Concilii monet Fagnanus *in Cap. literas num.* 2. *de tempor. ordinat. et in Cap. ad nostram num.* 18. *vers. et confirmatur de Regular.*

(5) Cap 13. *et* 15. *de tempor. ordinat.*

§. XIII. Sunt etiam ordinum servandi gradus, quod eo spectat, ut nemo superiores ordines suscipere possit, nisi primum inferiores, quotquot medii sunt, gradatim acceperit. Qui ad majores ascendit ordines, omissis inferioribus, quem *per saltum promotum* dicimus (1) is si dolo careat, tamdiu suscepti ordinis munus exercere prohibebitur, quamdiu labatur tempus necessarium ad ordinem, quem omisit, et si non ministraverit; poterit cum eo Episcopus, ut inquit Synodus Tridentina (2), *ex legitima causa dispensare.* Est haec, ut videtur, non adeo vetus Ecclesiae disciplina; nam in veteri exempla non desunt ordinationum (3), quas rite recteque celebratas fuisse constat, quamquam unus pluresve minores ordines praetermissi fuissent. Nimirum cum satis comperta erat alicujus fides, ac pietas, ita ut satis ipse probatus videretur, Episcopi judicio, et auctoritate evehebatur ad ordines superiores.

(1) Vox haec *per saltum promotus* vetus sane est; sed ea olim uti dixi significabatur, qui omissis interstitiis ordines susceperat. Nunc eo vocabulo designatur, qui mediis neglectis ordinibus ad superiores evectus est. Eleganter Alexander II. *in can.* 1. *dist.* 52. *praepostrum cursum* vocat, hoc est inversum cursum, atque ordinem ab antiquis canonibus constitutum προκοπήν, hoc est *progresum* vocat Concilium Sardicense *can.* 10. *tom.* 2. *concil. Labbaei col.* 663. Eum vero, qui omisso ordine Subdiaconatus *negligentia potius, quam superbia*; Diaconatum, ac Presbyteratum acceperat ab officio Sacerdotali prohiberi jubet ipse Alexander „ donec proximo quatuor temporum jejunio subdiaconatus ministerium sibi rite imponas, et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas. „

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 23 *cap.* 13. *de reform.* Quod tamen ita est intelligendum, ut Episcopus post susceptum ordinem, quem omisit, facultatem tribuat ministrandi in ordine *per saltum* suscepto, non ut ordinatus, antequam omissum inferiorem ordinem suscipiat, ad superiorem ascendat. Confer etiam Clementis VIII. *cit. constit. Romanum Pontificem*, qua Episcopis restituta est facultas ea in re dispensandi, quam uni Sedi Apostolicae reservaverat Sixtus V. *cit. constit. Sanctum et salutare.*

(2) Consule Murinum *de sacr. ordinat. par.* 3. *exer.* 11. *cap.* 2. *et* 3., et Card. Norisium *Histor. Donatist. par.* 2. *opp. tom.* 4. *col.* 322.

DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO

TITULUS XII.

I. Scrutinium ordinationi praemittendum.
II. Triplex hoc scrutinium, sive examen.
III. Quae poena constituta adversus eos, qui hoc examen subterfugerint?
IV. Tertium scrutinium.

Decretum *can.* 2. *et seq. dist.* 23., *et dist.* 24. *et* 51. *can.* 5. Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 7. 12. 16. *de reform. et* Novella 137.

§. I.

Ordinationi praemitti debet scrutinium, per quod diligenter expendantur, noscanturque mores, et omnis vitae ratio eorum, qui ordinibus initiandi sunt. Scrutinium a *scrutando* dictum, quod per illud ordinandorum indolem, vitaeque institutum, et consuetudinem scrutetur Ecclesia, ut re sedulo expensa intelligat, sit ne dignus ordinibus, qui eosdem postulat. Hinc scrutinium examen est (1). Plura antequam Baptismus tribueretur, scrutinia adhibebantur, de quibus suus erit dicendi locus, ne quis non bene probatus in Christianam societatem cooptaretur; et suum etiam in ordinatione scrutinium fieri voluit Ecclesia, ne quis minus dignus ordinibus donaretur (2).

(1) Augustinus *de symbolo lib.* 2. *cap.* 1. *app. tom.* 8. *col.* 1609. Baptismi scrutinium *examen* vocat. Graeci autem canones scrutinium in ordinatione adhibendum vocant ἐξετασμὸν sive ἐξέτασιν; et hinc Concilium Constantinopolitanum in templo Apostolorum *can.* 13. apud Breveregium *Pandect. Canon. tom.* 1. *pag.* 358. *edit. Oxonii* 1672. statuit, ut ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς βαθμοῖς ἐξεταζόμενον πρότερον, οὕτω τῆς ἐπισκοπῆς τὴν χειροτονίαν ἀποδέχεσθαι, *in ecclesiasticis gradibus primum examinatus ita episcopalis dignitatis ordinationem suscipiat.* Et Balsamon *in not.* fieri in-

quit ἀταξίαν ἐκκλησιαστικήν, *confusionem ecclesiasticam*, cum ordines non praemisso examine conferuntur. Audiebantur etiam accusatores adversus eos, qui ordines suscepturi erant; ac de iis agit Justinianus *Novel.* 6. *quomodo oporteat Episcopos etc. cap.* 10.

(2) Vetus est lex Ecclesiae constituens, ut cum aliquis ordines suscepturus est, praesertim Sacerdotium et Episcopatum, diligens fieri debeat scrutinium de ejus doctrina, moribus, cunctisque animi dotibus; licet non eadem semper fuerit hujus scrutinii habendi ratio. In Constitutionibus Apostolicis *lib.* 8. *cap.* 4. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1. *pag.* 391. *cit. edit. Antuerp.* ab Apostolis statutum dicitur, ut Episcopum ordinaturi primum diligenter inquirant, *an ab omnibus testimonium habeat, quod dignus sit magna hac, et illustri praefectura.* Quod etiam in sacerdotum, et Diaconorum ordinationibus secundum Apostolicam traditionem fieri consuevisse testatur Cyprianus *ep.* 67. *pag.* 288. *cit. edit. Amstelod.* Sed in exitu saeculi IV. Episcopis suo arbitratu licebat vel populi testimonium exquirere, vel alio modo ordinandi mores, vitamque cognoscere Concilium Carthaginiense III. an. 397. *can.* 22. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 1401. Cum autem absurdum videretur, quod quilibet e plebe candidatum publice accusaret, consuetudine induci coepit, ut non palam, sed secreto ordinandi vitia Episcopo proponerentur, ipseque cuncta expenderet diligenter, ut nosceret, quae accusationis ratio habenda videretur; qua de re videndus est Cironius *paratil. in decretal. lib.* 1. *tit.* 12. *tom.* 1. *pag.* 98 *edit. Vindobon.* 1761. Lapsu temporum hoc examen, seu scrutinium primo Diacono, sive Archidiacono commissum est, quam disciplinam IV. saeculo obtinuisse testatur Hieronymus *ep.* 146. *ad Evangelium num.* 3. *pag.* 1083. Nono saeculo a Concilio Nannetensi *cap.* 11. *tom* 11. *concil. Labbaei col.* 660. accuratior est praescriptus scrutinii instituendi modus: verum cum saluberrima hujus concilii institutio paulatim absolevisset, delecti a Paulo III. Cardinales, et Praesules in celebri consilio an. 1538. Pontifici exhibito illud inter cetera maxime curandum putarunt, ut nemo nisi diligenter cognitus, atque probatus ordinibus donaretur. Rem denique perfecit Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 7. *de reform.*, cujus postea sanctionem comprobarunt, ac sedulo observari praeceperunt Clemens VIII., Alexander VII., Innocentius XIII. postremo Benedictus XIV. *Const. ubi primum* 2. §. 1. *tom.* 1. *ejus Bullar. pag.* 3. *edit. Romae* 1754.

§. II. Hoc autem examen, quod *scrutinium ordine faciendum* dicitur, triplex est. Primum in eo consistit, ut minores ordines suscepturi bonum habeant, a parocho, et magistro scholae, in qua educantur, vitae, morumque testimonium; qui vero majoribus ordinibus initiandi sunt, per mensem ante ordinationem adire debent Episcopum, a quo praecipitur Parocho, vel alteri, cui magis expedire videbitur, ut illorum nominibus, ac desiderio publice in Ecclesia propositis, in eorumdem natales, aetatem, vitam diligenter inquirat, posteaque rem omnem ab se gestam suis literis testificetur(1). Alterum examen in eo positum est, ut constituta die omnes ordinandi ad Civitatem vocentur, et Episcopus cum sacerdotibus, aliisque doctis, et probis viris

sibi adscitis ordinandorum genus, personam, aetatem, instiˌ„ tutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, „ et examinet „ (2).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 5. *de reform.*

(2) Concilium Tridentinum *cit. sess.* 23. *cap.* 7. Ecclesiae lex ut nemo, ordinetur, nisi primum Episcopi judicio probatus fuerit, *Can.* 2. 3. 5. *dist.* 24. consentanea est praecepto Apostoli I. *ad Timotheum cap.* 5. *ver.* 22., eamque commendant SS. Patres, praesertim S. Jo. Chrysostomus *Homil.* 16. *in* 1. *ad Timotheum opp. tom.* 11. *pag.* 642., S. Leo. M. *ep* 12. *cap.* 2. *tom.* 1. *col* 659., S. Gregorius M. *lib.* 3. *ep.* 49. *et lib.* 4. *ep.* 26. *col.* 660. *et* 704. *opp. tom.* 2. Hinc ut ordinandorum indoles, vita, mores omnibus plane innotescant, antiquissima consuetudine receptum est, ut eorum nomina clero, et populo nuncientur, sicuti patet ex Concilio Chalcedonensi apud Gratianum *can.* 1. *dist.* 70., ubi habetur *ordinationis publicatae* vocabulum, ex S. Cypriano *ep.* 38. *pag.* 222., aliisque, quos laudant Hallierus *de sacr. election. et ordinat. lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 1. *par.* 1. *pag.* 62., et Emmanuel Gonzalez *ad tit. de scrutin. in ordin. facien.* Sapientissimas has leges confirmavit Synodus Tridentina *d. sess.* 23. *et cap.* 4. 11. 13. 14., ac decreta etiam edidit de scientia, qua clericos pro singulis ordinibus praeditos esse oportet.

§. III. Quisquis hoc examen subterfugerit, prohibebitur exercere munus ordinum susceptorum, si ordinandis se clam inseruerit, ut Episcopum deciperet (1); qua poena ab ipso Episcopo liberari potest, modo in furtim suscepto ordine non ministraverit (2). Quin etiam si quis sacris se miscuerit officiis, cum non esset ordinibus initiatus, spem ordinum amittet in posterum, atque ab Ecclesia abjicietur (3). His legibus provisum est, ut omnes ab ordinatione fraudes removeantur; sed illud in primis ordinandis animadvertendum est, sese ingenue patefacere oportere vitia omnia, si quae habent, ut veniam obtineant, cum nemini liceat ad ecclesiastica munera obrepere contra Ecclesiae voluntatem. Quocirca etiam Episcopi proposita excommunicationis poena edicere solent, ne quis contra interdictum Ecclesiae ad ordinationem accedat; quo spreto si quis se temere ordinari passus est, deprehenso vitio, deponi jubetur (4).

(1) Cap. *ult. de eo qui furtiv. ordin. suscep.*

(2) Confer Constitutionem Clementis VIII., cujus supra facta mentio est, et qua sublata fuit antiquior Constitutio Sixti V., qui eam rem Summo Pontifici reservaverat.

(3) Cap. 1. *de cleric. non ordinat. ministran.*

(4) Can. 65. *dist.* 50., *Can.* 4. *et* 5. *dist.* 81.

§. IV. Postremum examen in ipsa ordinatione conficitur.

Nimirum Episcopus ab Archidiacono, aut alio Sacerdote, qui ejus loco praesens est, sciscitatur, num ordinandum dignum esse sciat, ipseque respondet, eum, *quantum humana fragilitas nosse sinit*, dignum esse, qui ad certum illum ordinem evehatur; sed nunc hujusmodi examen merus ritus, ac caeremonia est, cum jam Episcopus ordinandi vitam, ac mores aliunde cognoverit, ideoque Archidiaconus culpa vacat, cum illa adhibita formula, eum dignum affirmat, quem indignum esse non novit (1).

(1) Cap. *unic. de scrutin. in ordin. faciend.* Vide Pontificale Romanum *tit. de ordin. Diaconat. et tit. de ordin. Presbyter.*

DE ORDINATIS

AB EPISCOPO,

QUI RENUNCIAVIT EPISCOPATUI

TITULUS XIII.

I. A quovis Episcopo collata ordinatio valida est.
II. Ut ea valida sit, et licita, a proprio Episcopo conferenda est. Quis proprius Episcopus sit?
III. Quomodo quis ordinetur ratione beneficii, aut familiaritatis? A quo ordinandi Regulares?
IV. Literae dimissoriae.

Decretum *dist.* 67. *ad* 73. *can.* 18. *c.* 1. *q.* 1. *can.* 24. *et seq. c.* 1. *q.* 7. *et c.* 9. *q.* 1.

§. I.

Ordinationis minister est Episcopus consecratus (1); et valet quidem ordinatio a quovis Episcopo, qui annexam habet characteri potestatem, tributa sit. Itaque ratae, firmae sunt ordinationes factae ab Episcopo haeretico, schismatico, excommunicato, suspenso, vel ab eo, qui loco simul, et dignitati renunciavit; modo in ea servata sint omnia, quae ad ejusdem firmamentum, ac robur sunt necessaria. Verum ab his Episcopis nefas est ordines accipere, et ideo quamquam hujusmodi ordinationes vim habeant, tamen licitae non sunt (2). Idem esto judicium de eo, qui proprio Episcopo ignaro ab alieno contra jus fasque ordinatus est.

(1) Auctor libri *de l'autorité du Clergé* editi anno 1766. *Parisiis cap.* 9. *sect.*6. *par.* 2. olim Presbyteris licuisse putat cum Episcopi venia alios Presbyteros ordinare. Quaeret statim lector, unde hoc tam ingens paradoxum sumpserit? Rem omnem noscat, et si qui potis est, iracundiam contineat. Concilio Ancyrano *can.* 12. *tom.* 1. *concil. col.* 1497. scriptum est « Chorepisco» pis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare: sed nec Presbyteris civitatis, sine praecepto Episcopi, vel literis in unaquaque parochia aliquid

» imperare, nec sine auctoritate literarum ejus, in unaquaque parochia aliquid agere » Vera haec, et germana hujus canonis lectio est, et ejus certe interpretatio nullam, vel levem dubitationem habere potest. Scilicet verbis disertissimis prohibentur Chorepiscopi *Presbyteros, aut Diaconos ordinare*, aut aliquid *imperare Presbyteris civitatis, sine praecepto, vel literis Episcopi*, aut sine harum auctoritate in unaquaque parochia *aliquid agere*. Quid hoc ad jus ordinandi, quod Praesbyteris attribui vellet? Sed Auctor libri, cujus facta mentio est (, aut ignorans, aut se ignorare fingens meliorum codicum fidem corruptum, et mutilum profert canonem, ita ut longe alium sensum efficiat; atque ita deterrima hac fraude lectores decipere conatur. Nam contra probatorum codicum fidem legendum putat » Chorepiscopis non licere Presbyteros, et Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis sine praecepto » Episcopi, vel literis in unaquaque parochia » Totum igitur erroris fundamentum est corrupta canonis lectio; qua restituta res omnis in vado est.

(2) Cap. 1. *et* 2. *de ordinat. ab Episc. qui renunciav. Episcopat., Caus.* 1. *q.* 1. *can.* 79. *Caus.* 9. *q.* 1. *can.* 5. De vi tamen Anglicanarum ordinationum disputatum est; et eas quidem Masonus Archidiaconus Norfolciae Godwinus Episcopus Landavensis, et P Courayer ratas firmas habendas esse contenderunt. Verum longe aliud ostenderunt Renaudotius, Harduinus, Le-Quienius, aliique complures, qui eas plane irritas esse demonstrarunt; et horum quidem sententiae adhaerendum est. Convenit sane inter omnes, quod hujusmodi ordinationes vim habere deberent, si fierent ab Episcopis, qui rite consecrati essent, ac legitima forma uterentur; sed quoniam de eorum Episcoporum successione, ac praeterea de forma, quae ab iis adhibetur, jure meritoque dubitatur, hinc illae a catholicis fere omnibus irritae judicantur. Itaque a Romana Ecclesia ceterarum matre, et magistra sapienter sancitum est, ut quoties Minister aliquis Anglus ad catholicam Ecclesiam redeat, si dignus sit, qui in clerum cooptetur, tamquam merus laicus omnes ordines suscipere debeat secundum Ritualis Romani leges. Confer Le-Quienium *nullité de ordination. Anglican.*, Bossuetum *Histoir. des variation. liv.* 10. §. 16. *seqq. opp. tom.* 4. *pag* 381. *seqq. edit Leodii* 1766., Tournelyum *praelect. theolog. quest.* 2. *art.* 2. *tom.* 11. *pag.* 19., Billuartium *Summa S. Thomae de sacram. ordin. append. de ordinat. Anglican. tom.* 3. *pag.* 510. *edit. Venet.* 1778., Drovenium *de re sacrament. lib.* 8. *quaest.* 6. *append. de ordinat. Anglican. tom.* 2. *pag.* 287. *seqq.*, Bertium *de theolog. disciplin. lib.* 36. *cap.* 13. *tom.* 8. *pag.* 459. *seqq edit. Romae cit.*

§. II. Ut simul et firma, et licita ordinatio sit, eam a proprio Episcopo accipere unusquisque debet. Diu in utraque Ecclesia proprius Episcopus is tantum fuit, qui primus aliquem clero adscripserat; laicus autem a quovis catholico Episcopo ordinibus donabatur. Nam de clericis tantum loquuntur antiqui canones, qui ea de re conditi sunt (1); et Origenem, Augustinum, Hieronymum, aliosque complures ordines accepisse constat ab Episcopis civitatis, in qua neque nati erant, neque Baptismum obtinuerant (2). Lapsu temporum ratio haberi coepit originis, et beneficii (3), deinceps etiam domi-

cilii (4), postremo titulus etiam familiaritatis accessit (5). Nunc igitur omnes certo Episcopo obnoxii sunt, aut propter beneficium, quod habent in ejus dioecesi, et ex quo capiunt ea, quae suppetunt ad cultum, et ad victum (6); aut propter originem, eum in ejus dioecesi nati sunt non fortuito, sed domo pridem a parentibus constituta (7); aut propter domicilium, quod in eadem dioecesi perpetuum, fixumque posuerunt (8); aut propter familiaritatem, si per triennium cum Episcopo tamquam familiares commorati sunt, ab eoque statim beneficium obtineant (9).

(1) Concilium Sardicense *can.* 18. *et* 19. *t.* 2. *Concil. Labbaei col.* 679., Carthaginiense III. *can.* 21. *ibid. col.* 1402., Arausicanum I. *can.* 9. *tom.* 4. *col.* 703. Quod etiam confirmant S. Augustinus *ep.* 64. *num.* 3. *opp. tom.* 2. *col.* 202., et S. Leo M. *ep.* 14. *cap.* 9. *col.* 689. *tom.* 1. *opp.* De Orientali Ecclesia testatur Balsamon *in respons. ad Marcum* apud Leunclavium *Jur. Graeco. Roman. pag.* 382. *et* 383. *edit. Francofurt.* 1596. primum in synodo Constantinopolitana Michaelis Anchiali Patriarchae actum fuisse de alienis laicis non ordinandis. Late hoc argumentum persequitur Hallierus *de sacr. election. et ordinat. par.* 1. *sect.* 5. *cap* 3. *art.* 1. §. 4. *tom* 2. *pag.* 355. *et seq.* Quamquam autem laici a quovis catholico Episcopo ordinari possent, tamen id ita fieri debuisse existimo, ut prius ab originis Episcopo quaereretur, num aliquid ipse haberet contra ordinandi mores ejusque vitae institutum. Id mihi aperte demonstrare videtur Concilium Carthaginiense I. sub Grato *can.* 5 *tom.* 2. *Concil. col.* 749. cujus haec verba sunt „ Privatus dixit: „ Suggero Sanctitati vestrae ut statuatis, non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine literis Episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum „ usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi, de cujus plebe est. Gratus Episcopus dixit haec observantia pacem „ custodit. Nam et memini in sanctissimo Concilio Sardicensi (*cui ipse interfuerat*) statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet „ Clericus igitur ab alieno Episcopo ordinari non poterat, nisi sui *literas* haberet, per quas a primae Ecclesiae servitio dimissus fuisset, laicus autem ordinari quidem poterat a quovis Episcopo, verum ne temere ordinatio fieret, in ejus mores, vitamque actam inquirere oportebat, quod proprius Episcopus, cui nota erant omnia patefacere debebat, et ideo *sine illius conscientia* etiam laicorum ordinationes minime fiebant.

(2) Origenes Alexandriae natus primum in Palaestina ordinatus fuit, neque id Demetrius Episcopus Alexandrinus Origeni infensissimus aut ei, aut Episcopo, a quo ordinatus fuerat, umquam vitio vertit. Sic Hieronymus Antiochiae ordinatus est, ubi nec natus fuerat, nec baptizatus; sic Augustinus, qui Tagastensis erat, ab ejus civitatis Episcopo minime ordinatus fuit; sic et alii multi, quos numerat Hallierus *loc. cit.*, ordines acceperunt ab Episcopis, quorum in dioecesibus neque nati fuerant, neque baptizati.

(3) Cap. 1. *de tempor. ordinat.* in 6.

(4) Cap. 3. *eod. tit.*

(5) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 9. *de reform.*

(6) Subjectio propter beneficium egregie congruit cum antiqua Ecclesiae

disciplina, per quam clericus in ordinatione adscribebatur certae Ecclesiae, ex qua omnia ad cultum, et victum necessaria percipiebat. Ne quae vero in re tam gravi fraudes admittantur, statuit Innocentius XII. in *Bulla Speculatores* 96. *tom.* 9. *pag.* 374. *Bullarii*, ut tale sit beneficium, quale est necessarium ad decentem clerici tuitionem. Qua quidem Bulla accurate recensentur, atque explicantur quatuor illi tituli *beneficii, originis, domicilii, familiaritatis*, quorum causa quis certo Episcopo subjicitur, et alia in conferendis ordinibus servatu necessaria proponuntur.

(7) Clemens IV. in *cap.* 1. *de tempor. ordinat.* de originis Episcopo mentionem facit; sed ex eo facile deprehenditur, disciplinam hanc jampridem fuisse constitutam. Jus autem civile originis nomine non tantum propriam ipsius ordinandi, sed etiam patris originem comprehendit; verum cum de ordinatione agitur, nulla paternae originis habetur ratio, sed tantum spectatur locus nativitatis ejus, qui ordinibus initiatur: modo ipse eo in loco natus non fuerit casu, puta cum pater esset in itinere, aut ibi mercaturae ex. gr., officiive causa temporalem moram duceret.

(8) Quale esse debeat domicilium, ut quis ejus loci Episcopo obnoxius sit, explicat Innocentius XII. *cit. Constit. Speculatores* edicens ab eo domicilium acquiri, qui » illud adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per de» cennium saltem ibi eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum » partem cum instructis aedibus in locum hujusmodi transferendo, ibique in» super per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum » perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulte» rius utroque casu se vere, et realiter animum hujusmodi habere jurejuran» do affirmet ».

(9) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 9. *de reform.*, ut quis *familiaritatis* titulo recte ordinetur, illud etiam constituit, ut Episcopus ordinato *beneficium, quacunque fraude cessante, statim re ipsa conferat.* Illud autem *statim* ita explicat Innocentii constitutio §. *ad haec: statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factae Ordinationis.* Et quamquam Synodus Tridentina, atque Innocentii Constitutio tantum beneficii titulum memorent, tamen licere Episcopo clericum familiarem suum etiam titulo pensionis, aut patrimonii ordinibus initiare, modo id postulet utilitas, aut necessitas Ecclesiae, idemque illi adscribatur, monet Giraldus *Exposit. Jur. Pontific. par.* 2. *sect.* 97. *tom.* 2. *pag.* 958.

§. III. A quovis Episcopo, cui quis obnoxius est propter beneficium, aut originem, aut domicilium, aut familiaritatem, ordinari potest; quin etiam, modo fraus absit, ordo unus ab uno Episcopo, et alius ab alio recte suscipitur (1). Verum cum Episcopus ordines confert jure beneficii, aut familiaritatis, necessariae sunt literae testimoniales Episcopi originis, et domicilii, per quas comperta sit vita, aetas, natales, mores clerici, a quo ordines accipiendi sunt (2). Regulares autem exhibitis literis dimissoriis sui Superioris ordinandi sunt ab Episcopo, cujus in dioecesi situm est Coenobium, in quo commorantur, non ab alio Episcopo, nisi aut ejus testimonio demonstrent, eumdem vel abesse, vel or-

dinationes non habere, aut nisi Apostolicae Sedis privilegio consequuti sint veniam, per quam a quovis catholico Antistite ordinari possint (3). Qui a Summo Pontifice inferiores ordines susceperunt, nonnisi ab ipso Pontifice, aut ab aliquo Episcopo, cui sit ab eo concessa facultas, accipere superiores debent (4).

(1) Ita qui unum ab Episcopo originis ordinem accepit, alium ab Episcopo domicilii, vel beneficii accipere potest, atque ita, modo procul sit fraudis causa, responsum est a Sacra Congregatione Concilii in *Fundana Ordinum* 23. *Januar.* 1666. *lib.* 25. *Decret. pag.* 52., *in Aquipendien. seu Clusina Diaconatus* 13. *Novembris* 1717., *et in Bononien. seu Ferrarien. Ordinationis* 14. *Novembris* 1733. *t.* 6. *pag.* 183. Consule Cardinalem Petram *ad Constit. Apostol. Const. Urbani II. sect.* 1. *n.* 64. *tom.* 1. *pag.* 186. *edit. Venet.* 1741.

(2) Cit. *Constit. Speculatores.*

(3) Confer Benedictum XIV. *Constit. Impositi* 27. *tom.* 2. *ejus Bullarii pag.* 109.

(4) Agit ea de re copiose, ac diligenter Benedictus XIV. *Constit. in postremo* 64. *tom.* 4. *ejus Bullarii pag.* 298.

§. IV. Alienae dioeceseos hominem ordinare quis nequit, nisi is a proprio Episcopo *dimissorias*, ut vocamus, literas obtinuerit (1). Dabantur olim hae literae, ut clericus dimitteretur ab Ecclesia, cui erat addictus, atque ut alteri Ecclesiae adscribi posset; nunc dantur, ut ordinetur ab Episcopo non suo, sed is tamen, ut antea, pertinet ad suum Episcopum, cum hodie tantum suscipiendorum ordinum gratia clerici dimittantur (2). Qui sine literis dimissoriis sui Episcopi ab alieno ordinatus est, sine illius venia susceptorum ordinum munera exercere non potest; et Episcopo, qui alienum subditum ordinavit, anni spatio ordinum conferendorum potestate interdicitur (3).

(1) Dimissoriae literae pertinent ad *formatas*, quarum illae species sunt, uti sunt *pacificae*, de quibus supra actum est, *commendatitiae*, *et communicatoriae*. Dimissoriae literae a Graecis ἀπολυτικαὶ, pacificae εἰρηνικαὶ, commendatitiae συστατικαὶ, communicatoriae κοινωνικαὶ vocabantur. Harum omnium literarum mentio est in Concilio Laodiceno *can.* 41 *tom.* 1. *Concil. col.* 1538., in Antiocheno *can.* 7. *tom.* 2. *col.* 590., Agathensi *can.* 38. *tom.* 5. *col.* 527., Trullano *can.* 17. *tom.* 7. *col.* 1355., Romano an. 853. *can.* 18. *tom.* 9. *col.* 1124., in notis Balsamonis, et Aristini apud Beveregium *Pandect. Canon. pag.* 125., in epistola Arsenii Hypsilitensis Episcopi apud Athanasium

apolog. contr. Arianos num. 69. *opp. tom.* 1. *pag.* 146., apud Basilium *ep.* 203. *n.* 4. *opp. tom.* 3. *pag.* 301., apud Augustinum *ep.* 43. *num.* 1. *opp. tom.* 2. *col.* 118., in epistola Synodi Antiochenae adversus Paulum Samosateuum apud Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 30. *pag.* 318., in Novella 4. Heraclii Imperatoris apud Justellum *Biblioth. Jur. Canon. tom.* 2. *pag.* 1374. *edit. Paris.* 1661. Mitto ceteros, a quibus eaedem illae literae memorantur. Jamvero literas *dimissorias*, sive ἀπολυτικὰς eas fuisse ajunt Zonaras, et Balsamon *ad can.* 11. Concilii Chalcedonensis apud Beveregium *tom.* 1. *Pandect. Canon. pag.* 125., quas Clerici ab Episcopis, Episcopi a Metropolitis, Metropolitae a Patriarchis impetrabant, ut Romam, aut Constatinopolim, aut alio ituri sese in pace Ecclesiae fuisse dimissos ostenderent, et ideo dignos esse, qui Ecclesiae societatis honore, ac beneficio fruerentur. Verum haec minus propria earumdem epistolarum significatio est. Nam proprie *dimissoriae* vocabantur, quae dari solebant clericis ad aliam Ecclesiam transeuntibus, ut ei rite et recte addicerentur. Non enim licebat clericis deserere Ecclesiam, cui semel in ordinatione adscripti fuerant, nisi primum Episcopus ipsos ab ejus servitio dimitteret, et quasi emanciparet. Concilium Carthaginiense I. sub Grato *can.* 5. *t.* 2. *Concil. col.* 749. Trullanum *can.* 17. *t.* 7. *col.* 1355. quo decernitur, ut » nullus omnino clericus, in » quocunque sit gradu, potestatem habeat alne proprii Episcopi scripta dimisso» ria in alienae Ecclesiae cathalogum referri » Ex quo intelligimus, datas literas *dimissorias*, ut clericus referri posset *in alienae Ecclesiae cathalogum*; quod fieri non poterat, nisi ipse primum ab Ecclesia, cui erat addictus, dimitteretur. Plures autem doctrina, et ingenio praestantes viri *dimissorias*, literas a *commendatitiis* distinguunt, quod illae propriae essent clericorum in aliam dioecesim euntium, ut in ea perpetuo manerent, *commendatitiae* autem iis tribuerentur, qui ad tempus discederent, puta alicujus publici, vel privati nogocii causa, reversuri deinceps in dioecesim suam. Atque haec quidem sententia est Sirmondi in Sidonium Apollinarem *lib.* 6. *ep.* 8. *tom.* 1. *opp. var. pag.* 579. *edit. Venet.* 1728., Fabroti *in not. ad Theodor. Balsamonem Constit. Eccles. lib.* 3. *tit.* 1. apud Justellum *Biblioth. Jur. canon. pag.* 1415. *tom.* 2., Beveregii *in can.* 11. *Concil. Chalcedonen. Pandect. Canon. tom.* 2. *pag.* 116 *et seq.*, et Sviceri *Thesaur. Ecclesiast. verb.* ἀπολυτικός. Verum id quidem est, quod *dimissoriae* literae darentur clericis, qui in aliam dioecesim migrabant, ut in ea perpetuo manerent; sed illae interdum etiam *commendatitiae* dicebantur, quod commendationem etiam continerent clerici, qui a proprio Episcopo dimissus fuerat. Interdum inquam, non semper id recte dici, vereque poterat. Nam saepe *dimissoriae* literae commendationis nihil habebant, et bis quidem commendatitiarum nomen adscribi non poterat. Ita *commendatitiae* tantum, non item *dimissoriae* sunt literae, quas Basilius pro Cyriaco Presbytero ad Eusebium dedit *ep.* 271 *pag.* 417. *opp. t.* 3. *ed. Paris.* 1730., et exemplum Συστατικῆς, quod extat apud Goarium *Euchology. Graecor. pag.* 935, et Formatarum Teutgardi Archiepiscopi Trevirensis pro Hegilone ad Sanctorum loca peregrinante *tom.* 10. *Concil. Labbaei col.* 1400., et Joannis Camaracensis pro Ursione Presbytero *ibid. col.* 1402. *Dimissoriae* autem, non *commendatitiae* dici possunt literae, quae extant apud Labbaeum *ibid. col.* 1404. *seq.*, quasque describit Mabillonius *Museum Italicum tom.* 1. *pag.* 241. *num.* 3. *et pag.* 242. *num.* 4. *edit. Paris.* 1724. At vero *commendatitiae* et simul etiam *dimissoriae* sunt literae Ebroini Bituricensis, Wolfeonis Constantiensis, Liutadis Vinciensis, Æneae Parisiensis, quae omnes descriptae sunt *cit. tom.* 10. *Concil. Labbaei col.* 1399. 1403. *seqq.*

itemque literae, quae occurrunt apud Reginonem *de ecclesiast. disciplin. cap.* 338. *seq. pag.* 196. *seq. edit. Baluzii* 1671., Ivonem Carnotensem *par.* 6. *cap.* 434. *et* 435. *pag.* 238. *et seq. edit. Paris.* 1647., Burchardum *lib.* 2. *cap.* 227. Ceterum *commendatitias* literas memorat Apostolus II. *ad Corint. cap. III. vers* 1.; itemque Canon Apostoliens 10. et 26. apud Coteleriam *PP. Apostolic. tom.* 1. *pag.* 438. *et* 442., Concilium Sardicense *can.* 9. *tom.* 2. *Concil.* 663., et Chalcedonense *can.* 11. *tom.* 4. *col.* 1686., aliaeque synodi complures; eaeque dabantur iis, qui in honore, atque existimatione erant, in primisque clericis, quod in Isidoriana vetere versione *can.* 11. *Concilii Chalcedonensis*, atque in alia ejusdem canonis versione, que a Dionysio Exiguo perfecta est apud Labbaeum *tom.* 4. *Concil. col.* 1698. *et* 1706. disertis verbis expressum est. Confer Albaspinaeum *not. in quosd. canon. Concil. Asiae in d. can.* 11. *pag.* 200. *seqq. edit. Neapol.* 1770., et Cujacium *in* 3. *lib. Decretal. cap. fraternitati* 3. *opp. tom.* 6. *col.* 958. *edit. Venet.* 1778. Sed Gentianus Hervetus Chalcedonensem illum canonem 11. apud Labbaeum *loc. cit. col.* 1636. ita vetit „ literas commendatitias iis solis personis, quae sunt suspectae, praeberi „ oportet „ Ita nimirum graecum illud τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει latine reddidit *quae sunt suspectae.* Qua eadem significatione usurpatum est a Balsamone, Zonara apud Beveregium *pandect. can. t.* 1. *pag.* 126., et a Graeco Scholiaste Harmenopuli *sect.* 3. *tit* 2. *Epitom. Canon. pag.* 38. *edit. Leunclavii Francfurt.* 1596. Sed prava haec interpretatio est Chalcedonensis canonis, unde orta est falsa illa opinio, quod *commendatitiae* darentur suspectis, cum contra tribuerentur iis, qui in honore et existimatione versabantur. Revera τῆς ὑπολήψεως vocabulum bonam existimationem significare, Aristotelis, Polybii, et Justiniani Imperatoris auctoritate ostendit Albaspinaeus *loc. citat.*, et huc etiam referenda est epistola Valentiniani, et Marciani Imperatorum *parte tertia ejusdem Concilii Chalcedonensis loc. citato col.* 1809., ubi vocabulum ὑπόληψις *existimatio* est. Idem etiam testimonio complurium veterum Scriptorum confirmant Henricus Stephanus *thesaur. graec. lingu. verbo* ὑπόληψις, et Du-Cangius *eodem verbum glossarium mediae et infimae graecit.* Quare Chalcedonensis canonis 11., ut mihi quidem videtur, haec sententia est, *commendatitias* literas iis tantum, qui in honore, et existimatione essent, concedi oportere, ut nimirum ii, qui eas impetrarant, lautius ab Ecclesia exciperentur. Harum literarum exempla sunt apud Venantium Fortunatum *lib.* 3. *cap.* 2., *et lib.* 10. *cap.* 7. *opp. par.* 1. *tom.* 1. *pag.* 184. *et* 364. *edit. Romae* 1786., Desiderium Cadurcensem *epist.* 7., Ruricium *lib.* 2. *epist.* 7. 8. 11. 43. 52. utrumque apud Canisium *thesaur. monument. ecclesiast. tom.* 1. *pag.* 384 *seqq. et* 616. *edit. Antuerp.* 4725., Lupum Ferrariensem *epist.* 101. 102. 106. 107. *pag.* 152. *seqq. edit. Paris.* 1664., Alcuinum *ep.* 51. *et* 73. *col.* 1569. *et* 1600. *ed Paris* 1664. Confer formulas veteres *cap.* 12. apud Bignonium, et apud Pitaeum. *Glossar. ad Julian. Anteeessor. Communicatoriae* literae dicebantur etiam *pacificae*, sed illae non solum, ut hae, dabantur lapsis, qui poenitentiam egerant, factique fuerant participes communionis, sed etiam ceteris orthodoxis in alias civitates religionis causa profecturis, ne piorum aditu congressuque prohiberentur, itemque ab Episcopis ad alios Episcopos, praesertim vero ad Summum Pontificem mittebantur vel ineundae, vel declarandae, vel confirmandae mutuae communionis causa. Atque hujus generis fuisse videntur literae, quibus se Apostolicae Sedi conjunctos gloriabantur contra Donatistas disputantes Optatus *adver. Parmenian. lib.* 2 *pag.* 36. *et* 37., et Augustinus

contr. Cresconium lib. 3. *cap.* 34. *opp. tom.* 12. *col.* 573., quem Augustini locum diligenter explicat Albaspinaeus *not. in Optatum loc. cit.*

(2) Cap 8. *de offic. Archidiac., cap.* 3. *de tempor. ordinat. in* 6.

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* Adi Rigantium *ad regul.* 24. *Cancellariae.* §. 4. *num.* 39. *et seq.*, ubi etiam explicatur poena, qua plectitur Episcopus, qui aut extra tempora constituta, aut ante legitimam aetatem ordines contulit.

DE AETATE, QUALITATE, ET ORDINE PRAEFICIENDORUM

TITULUS XIV.

L. 2. *tit.* 10. in 6. in Clement. *lib.* 1. *tit.* 6. Decretum *dist.* 21. 23. 24. *etc. dist.* 49. 50. 51. 59. 60. 78. *c.* 9. *q.* 1. *et* 2. *et c.* 15. *q.* 8. Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 3. *sess.* 22. *cap.* 2. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform. sess.* 25. *cap.* 21. 22. *de Reg. et sess.* 25. *cap.* 7. *de reform.*

§. I.

In conferendis tum ordinibus, tum ecclesiasticis beneficiis, praeter vitam integram, probatosque mores, et idoneam scientiam, quibus omnibus ecclesiasticos viros maxime praeditos esse oportet, attendenda est aetas, et conditio singulorum; praeterea videndum est, ne quis sine titulo ordinetur, Partem eorum, quae ad ordines, et eorum etiam, quae ad beneficia pertinet, hoc eodem loco complexus est Raymundus; cetera deinceps explicat. Recte in libris quibusdam hic titulus inscribitur *de aetate et qualitate ordinandorum, et praeficiendorum* (1); quoniam in eo comprehenduntur, quae propria ordinandorum, ac praeficiendorum sunt; et in quarta compilatione titulus est his plane conceptus verbis: *De aetate et qualitate ordinandorum, praeficiendorum, et ordinantium.*

(1) Confer Innocentium Cironium *Paratil. in Decretal. lib.* 1. *tit.* 14. *opp. tom.* 2. *pag.* 61. *edit Vindobon.* 1781.

§. II. Ergo pro singulis ordinibus certa aetas requiritur, qua in re non idem semper mos, atque institutum fuit (1). Nunc Tonsura, et minores Ordines ante exactum septimum aetatis annum non conferuntur (2); Subdiaconus autem nemo esse potest, nisi vigesimum secundum, Diaconus, nisi vigesimum tertium, Presbyter, nisi vigesimum quintum aetatis annum attigerit (3). Qui ante hanc aetatem, non impetrata venia Sedis Apostolicae, ordinatus est, susceptorum ordinum munera exercere non potest, et si exercuerit, irregularis efficitur (4).

(1) Vide-sis Thomassinum *vet. ac. nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 67. *et seq. pag.* 251. *tom.* 1. Pertinet ad hunc eumdem locum tractactio de pueris, quos parentes Ecclesiae afferebant, ut in clerum cooptarentur, sed ea de re multa me dixisse memini in *Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 4. *sect.* 2. §. *XV. not.* 1. *tom.* 1. *pag.* 295. *seq.*

(2) Nulla pro tonsura, et minoribus ordinibus certa aetas a Synodo Tridentina expresse constituta est; sed ea res Episcopi arbitrio relinquitur, qui pueros ordinare poterit ea aetate, qua ipsos ad hoc munus aptos; et idoneos judicabit. Generatim tamen post septennium tonsura, ac minores ordines conferuntur. Consule Catalanum *in Pontific. Roman. tit.* 2. §. 1. *num. par.* 1. *pag.* 28., Fagnanum *in cap. super inordinata de praeben. num.* 27. *ad ultim.*, Giraldium *exposit. jur. Pontific. par.* 2. *sect.* 91. *pag.* 938.

(3). Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 12. *de reform.* Presbyterum, et Episcopum ante annos triginta creari aliquem vetat Concilium Neocaesariense *can.* 11. *tom.* 1. *Concil. col* 1519., Agathense *can.* 17. *ibid. tom.* 5. *col.* 524., Toletanum IV. *can.* 19. *tom.* 6. *col.* 1437. *ibid.* Verum Auctor *Constitut. Apostolic. lib.*2. *cap.* 1. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 1. *pag.* 213. in Episcopo requirit aetatem annorum quinquaginta. Contra Gregorium Thaumaturgum, ejusque fratrem valde juvenes, ἔτι νέας ἄμφω Episcopos fuisse ordinatos, tradit Eusebius *Histor. Eccles. lib* 6. *cap.* 30. *pag.* 256. Acholium Episcopum Thessalonicensem in ipsa adolescentia sua fuisse constitutum scribit Ambrosius *ep.* 16. *ad Anysium num.* 3. *tom.* 3. *col.* 865.; quod idem de Paulo Constantinopolitano Episcopo memoriae prodidit Socrates *Histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 72. Remigius tantum annos viginti duos natus erat, cum Rhemensis Episcopus electus est, sicuti testatur Hincmarus in ejus *vit.* apud Baronium *ad an.* 471, *num* 34. *tom.* 8. *pag.* 307., et Eleutherius viginti annorum adolescens Illyrici Episcopatum obtinuit, uti post Nicephorum Calistum monet Cotelerius *not. in Const. Apostolic. lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 213. Pro ordinatione Diaconorum aetas annorum vigintiquinque, Presbyterorum autem triginta constituitur *in can.* 5. 6. 7. *dist.* 77. Subdiaconorum aetas a Concilio Toletano II. *can.* 1. *tom.* 5. *Concil. Labbaei col.* 878. et Trullano *can.* 15. *col.* 1354. *tom.* 7. *Concil.* definitur annorum viginti; contra Concilium Melphitanum *can.* 4. *tom.* 12. *ejusd. collect. col.* 781. anno decimo quarto, aut decimoquinto Subdiaconos ordinari permittit. Hugo a S. Victore *de Sacram. lib.* 2. *cap.* 21. *pag.* 614. *tom.* 3., *opp. edit. Rothomag.* 1648. sua adhuc aetate ante quartum decimum aetatis annum Subdiaconatum minime dari consue-

visse testatur, et Clemens V. *in Clement. generalem* 3. *de aetat. et qualit. et ordin. praefic.* pro subdiaconatu annos decem et octo, pro Diaconatu annos viginti, pro Sacerdotio annos vigintiquinque constituit.

(4) Confer Constitutionem *cum ex sacrorum* 9. Pii V. *tom.* 3. *par.* 3. *p.* 109. *Bullarii*, et constitutionem *Romanum* 121. Clementis VIII. *tom.* 5. *par.* 2. *pag.* 97. qua sublatae sunt graviores poenae, quae indictae fuerant a Sixto V. *in Constit. Sanctum* 140. *tom.* 5 *par.* 1. *pag* 40. Licet autem Pius II. tantum memoret *ordines sacros*, unde effici videtur posse, poenas ab se constitutas ad eos tantum pertinere, qui majores, non item qui minores ordines ante legitimam aetatem, vel extra stata tempora, vel sine literis dimissoriis proprii Episcopi susceperunt, tamen recentior Constitutio *Speculatores* Innocentii XII., cujus supra est facta mentio, *eo ipso suspensos a susceptorum ordinum executione declarat clericos*, qui sine literis proprii Episcopi tonsuram, atque ordines susceperunt.

§. III. Sua quoque constituta sunt tempora pro beneficiis, quae etiam praebendae appellantur; sed proprie utraque distincta sunt. Nam praebendae nomine comprehenduntur fructus, reditus, emolumenta, quae clerici percipiunt propter ecclesiastica officia, et beneficia, quibus fruuntur. Itaque illam saepe vocamus beneficii dotem, sive eadem consistat in praediis rusticis, aut urbanis, sive in pascuis, silvis, aut similibus, sive in illis juribus, quae fructuum vicem obtinent, et rebus immobilibus aequantur, uti sunt census, et reliqua generis ejusdem. Verum beneficii nomen latius patet, ac non ea tantum, quae praebenda, comprehendit, sed etiam ecclesiasticum officium, et magistratum. Officium commune est omnibus beneficiis, cum haec illius causa dentur, neque deceat, clericos otiosos, et nihil agentes ex ecclesiasticis reditibus vitam traducere. Hoc autem praesertim est positum in altaris ministerio, atque in precibus, quas ad Deum mittere pro cunctis debent; et vero Ecclesia certas constituit preces, quae unoquoque die a beneficiariis fundendae sunt, ut suo muneri satisfaciant; atque hae sunt, *horae canonicae*, quas *divini officii*, aut *breviarii nomine* appellamus.

§. IV. Sed praeter hoc officium, quod ad omnes pertinet universe, quidam sunt ex beneficiariis, qui et aliud habent ministerium, personatum, dignitatem, aut curam animarum. Haec beneficia duplicia, cetera, in quibus illa non insunt, simplicia appellantur. Ex simplicibus beneficiis quaedam sunt, quae adjunctam habent legem residentiae, uti sunt Canonicatus, et Capellaniae perpetuae ecclesiastica auctoritate constitutae, et haec beneficia *residentiaria*, cetera, a quibus

onus illud abest, proprie *simplicia*, et *non residentiaria* dicuntur. Verum Canonicatus, quamquam inter beneficia simplicia recenseantur, tamen accedunt, ad dignitates (1), ideoque in odiosis simplicium beneficiorum nomine non continentur. Haud tamen dignitates sunt, quas proprie habere dicuntur, qui ob praecipuam aliquam administrationem, et honoris gradum, aut praeeminentiam, et jurisdictionem a reliquis canonicis distinguuntur, licet unum cum iis corpus efficiant.

(1) Cap. 2. *de rescript. in* 6.

§. V. Beneficium autem, quamquam simplex sit, nemo consequi potest, nisi et natus annos quatuordecim, et saltem per tonsuram inter clericos cooptatus (1). Neque alicui conferenda sunt beneficia, quae conjunctam habent curam animarum, aut vicariae, quas vocant, perpetuae, nisi is annum aetatis saltem vigesimumquintum attigerit. Ceteris autem Dignitatibus, quibus annexa non est cura animarum, clerici minores annis viginti duobus praeficiendi non sunt (2). Quod si dignitati, vel beneficio certi connexi sint ordines, alterutrum petiturus in ea versari debet aetate, in qua eosdem ordines suscipere intra annum possit (3). Ita qui curam gerere animarum debet, intra anni spatium sacerdos fiat necesse est (4). Similiter Canonicatus cathedralium Ecclesiarum sacrum aliquem ordinem requirunt aut Presbyterii, aut Diaconatus, aut Subdiaconatus (5), Qui in illo unius anni cursu, postquam beneficii possessionem tutam, et quietam adeptus est nulla justa causa impeditus non suscepit ordinem, quem beneficium postulat, is eodem carere debet (6).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.*
(2) Cap. 7. §. *inferiore de elect.*, *Clement. Unic. de offic. Vicar.* Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12 *de reform.*
(3) Cap. 14. *de elect. in* 6., *Clement.* 2. *de aetat. et qualit. et ord. praefic.*
(4) Cap. 5. *de aetat. et qualit.*, *et ord. praefic.*, *Cap.* 14. *de elect. in* 6.
(5) Concilium Tridentinum *cit. cap.* 12
(6) Cap. 1. *de aetat. et qualit. et ord. praefic.*, *Cap.* 14. *et* 35. *de elect. in* 6.

§. VI. Neque tantum certi ordines quibusdam beneficiis an-

nexi sunt, sed etiam statutum est, ut aliqua iis tantum concedantur, qui Magistri, vel Doctores, aut etiam Licentiati in Theologia, vel jure canonico sint. Ex eo numero sunt Episcopi, Canonici Scholastici, Poenitentiarii, Vicarii Capituli Sede vacante, demum, ubi id fieri potest, Archidiaconi (1). Quin etiam Synodus Tridentina (2) „ hortatur, ut in provinciis, ubi id „ commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia „ pars canonicatuum in cathedralibus Ecclesiis, et Collegiatis „ insignibus conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut „ etiam Licentiatis in theologia, vel jure canonico „ Atque haec quidem omnia a jure communi requiruntur. Sed saepe in aliquibus beneficiatis certae exiguntur dotes aut consuetudine, aut lege fundationis, vel peculiaris statuti; eaeque leges observandae, custodiendaeque sunt diligenter, quamquam inde regula canonum non sane tollatur omnino, sed vel paulo lenior, vel etiam severior evadat. Quare etiamsi despiciatur impune lex, quae ecclesiastica beneficia laicis attribuit, ea tamen retinenda lex est, per quam simplices etiam Capellaniae, et Canonicatus beneficia fiunt sacerdotalia, aut per quam beneficia quaedam, quae jure essent sacerdotalia, vel diaconalia, minoribus clericis conceduntur,

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. *sess.* 23. *cap.* 18. *sess.* 24. *cap.* 8. 12. 16. *de reform.* Sed quod a Synodo Tridentina *cit. cap.* 12. de Archidiacono statutum est, ut nimirum Doctor, aut Licentiatus sit in Theologia, aut Jure Canonico, id minime ad eos Archidiaconos, qui neque curam habent animarum, neque ullam jurisdictionem, pertinere ostendunt Monacellus *formular. legal. in append. ad* 1. *tom. annot. ad Constit.* 58. *S. Pii V. num.* 15., Garcias *de benefic. par.* 7. *cap.* 7. *num.* 33., Pignatellus *Consult. Canon.* 114. *num.* 44. *tom.* 9.

(2) Concilium Tridentinum *cit. sess.* 24. *cap.* 12.

§. VII. Sed et titulus necessarius est omnibus, qui sacros ordines consequuturi sunt. Vetus est lex Ecclesiae, neminem *absolute* ordinandum esse (1); quod idem est ac ordinare aliquem *sine titulo* (2), nulla scilicet designata Ecclesia, cui addictus esse, ac perpetuo servire deberet (2). Neque enim convenit, clericos cum sui ordinis dedecore aut stipem quaerere, aut sordidum aliquod munus exercere; ideo titulus requiritur, ut ipsi ex eo percipiant quidquid est ad cultum, et ad victum necessarium. Id olim ipsa praestabat Ecclesia, cui quis in ordinatione addictus fuerat, et quam ipse deserere non po-

terat, uti supra demonstratum est, nisi primum esset a proprio Episcopo dimissus, solutusque lege, qua se in ordinatione obligaverat. Nunc certae quidem Ecclesiae omnes clerici in ordinatione adscribendi sunt, et ei sane debent servire, maxime si sit parochialis (4); sed neque ita adscribuntur, ut in ea semper haereant, neque semper eadem Ecclesia suppeditat ea, quibus est opus ad vitam honeste, ac decore traducendam. Plures enim ordinantur cum titulo patrimonii, aut simplicis beneficii, quod residentiam non postulat, et hi certe non ita mancipati sunt Ecclesiae, cui semel adscripti fuerunt, ut ab ea discedere nusquam possint (5).

(1) Concilium Chalcedonense *can.* 6. *tom.* 4. *Concil. Labbaei col.* 1683. » Nullum absolute ordinari *jubet*, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec » omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi specialiter » in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is, qui or» dinatur, designetur. Eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit S. Sy» nodus irritam, ac invalidam habere ejusmodi manuum impositionem, et » nusquam exercere, ac operari posse ad ejus, qui ordinavit, injuriam » Quo quidem loco, uti patet, recensentur tituli Ecclesiae civitatis, vel oppidi, loci videlicet extra civitatem siti, martyrii, et monasterii sed omnes, eodem recidunt. Nam martyrium erat Ecclesia, seu locus pius, et religiosus extra Ecclesiam cathedralem vel parrochialem in quo antea condita erant martyrum corpora, quique in sacram aedem conversus fuerat. Eodem spectat titulus Monasterii, hoc est Ecclesiae, quam Monasterium habebat, ut in ea res divina conficeretur, ne Monachi, qui ea tempestate laici erant, aut divinis mysteriis carerent, aut sacrorum causa a solitudine exire cogerentur. Quod Chalcedonensi, idem Concilio Francofordiensi *can.* 28. *ibid. col.* 105. statutum est.

(2) Clericus, qui a Chalcedonensi Concilio *absolute*, ab Urbano II. *sine titulo* ordinatus dicitur *in can.* 2. *dist.* 70.

(3) Titulus idem est ac Ecclesia; et Baronius quidem *ad an.* 112. *num.* 5. *tom.* 2. *pag.* 68. tituli nomine ecclesias appellatas putat, quia Christiani crucis imagine, aut Christi nomine Ecclesiae inscripto locum aliquem divino culti addictum ostendebant. Sed credibile non est, Christianos ea tempestate, qua ethnici imperio potiebantur, signa illa in suis Ecclesiis ante omnium oculos ponere voluisse; nisi forte dicamus, eadem signa tantum Christianis nota fuisse. Rectius Mabillonius *comment. in ordin. Rom cap.* 3. *tom.* 2. *Musei Italic. pag. XI. et seqq. edit. Paris.* 1724., et Bertius *Histor. Eccles. II. saec. tom.* 2. *dissert.* 1. *num.* 3. *pag.* 40. *edit. Bassani.* Titulos fuisse observant loca Deo consecrata, quae sacerdotes, et ministros sibi addictos habebant. Nam et lapis erectus, et Deo consecratus a Jacob in Bethel *Titulus* dicitur *Genes. cap. XXVIII. ver.* 18. *et* 22., atque arae similiter, et delubra Idolorum *Levit. cap. XXVI. vers.* 2., *et Numer. cap. XXXIII. ver.* 52. *tituli* appellantur. Multa de titulis solide, graviterque scripsit Cardinalis Nicolaus Antonellius *De titulis quos S. Evaristus Rom. Presbyter. distrib.* §. 6. *pag.* 32. *seqq.*

(4) Concilium Tridentinum *sess* 23. *cap.* 16. *de reform.* Confer etiam Constitutionem *Apostolici ministerii* 34. §. 3. Innocentii XIII. *tom. II. Bul.*

pag. 259. et Constitutionem *In supremo militantis* 31. §. 2. Benedicti XIII. *ibid. pag.* 350., praeterea Concilium Romanum ab eodem Benedicto celebratum *tit.* 6. *de aetat. et qualit. praefic. cap.* 2. Clerici, qui nunc in ordinatione certae Ecclesiae adscribuntur, non iisdem tenentur legibus, quibus antiquiores tenebantur; sed tamen debent in illa susceptos ordines exercere, tum suam Parocho opem praebere, cum pueros rem christianam docet, cum sacris in Ecclesia muneribus fungitur, cum ad aegrotos defert sanctissimum Eucharistiae sacramentum. Omnis clericus, qui non haec praestitisse demonstraverit, ad superiores ordines traducendus non est.

(5) Videndus Benedictus XIV. *de Synod. dioeces. lib* 11. *cap.* 2. *num.* 8. *et seq. tom.* 2. *pag.* 59. *edit. Ferrariae* 1764.

§. VIII. Hodie titulus ordinato praestare debet id, quod ei necessarium est ad decentem ejus tuitionem; neque aliquis sine hoc titulo sacris est donandus ordinibus, exceptis Regularibus, quos paupertatis titulo ordinari constat (1). Qua in re suae sunt constitutae poenae tum adversus Episcopum, qui aliquem sciens prudens sine titulo ordinavit, tum adversus ipsum ordinatum, qui decepto Episcopo titulum obtulit commentitium, ac simulatum. Hic enim suspenditur a susceptis ordinibus, donec ab eo verus, et idoneus titulus exhibeatur (2); ille cogitur ordinato praestare necessaria ad vitam honeste transigendam, donec ipse beneficium aptum, atque conveniens adipiscatur (3). Atque hic quidem titulus semper clerico integer esse debet, ne ordinem dedecorante inopia afficiatur; et ideo neque distrahi, neque ullis subjici oneribus potest, nisi clericus aliunde habeat, quo vivere decenter queat (4).

(1) Confer Costitutionem *Romanus Pontifex* 102. S. Pii V. *tom.* 4. *par.* 3. *Bullar. pag.* 46., qua sancitum est, ut paupertatis titulo ordinari nequeant, qui nondum professionem emiserunt, vel exire, aut expelli a Regulari Instituto possunt.

(2) S. Pius V. *cit. constit. Romanus Pontifex.*

(3) Cap. 13. *de aetat. et qualit. et ord. praefic. Cap.* 16. *de praeben. et dignit.*

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* Eadem Synodus tantum in majoribus ordinibus titulum postulat beneficii, pensionis, aut patrimonii; sed in locis compluribus, sive lege, quam multi cum Glossa repetunt ex *Cap.* 2. *de praeben.*, ubi ea in re nullum inter majores, minoresque ordines discrimen constituitur, sive consuetudine receptum est, ut etiam in minoribus ordinibus titulus requiratur. Confer Giraldium *Exposit. Jur. Pontific. par.* 1. *lib.* 3. *tit.* 5. *sect.* 360. *tom.* 1. *pag.* 250.

§. IX. Est autem titulus vel beneficii, vel pensionis, vel patrimonii. Beneficii titulus omnium antiquissimus, atque aptissimus, et ab eo parum abest vetus titulus Ecclesiae, cui

quis in ordinatione addicebatur (1). Nam ei de ipsius Ecclesiae reditibus alimenta praestabantur; atque harum praestationum loco beneficia, qualia nunc sunt, fuere instituta. Itaque hic sane proprius, atque ordinarius est titulus, cum quo aliquem inter Ecclesiae ministros cooptare decet. Reliqui duo tituli pensionis, ac patrimonii *extraordinarii* sunt, ac veluti *ex dispensatione* admittuntur, cum nimirum Episcopus propter Ecclesiae utilitatem, aut necessitatem aliquem ordinandum putat (2).

(1) Quamquam vetus sit regula, eaque omni aetate probata, ut nemo sine titulo ordinetur, et olim quidem omnes certae Ecclesiae mancipurentur, tamen non desunt exempla aliquorum, qui ab Episcopis impetrare potuerunt, ut in ordinatione nulli ceterae Ecclesiae addicerentur. Sic Paulinus Nolanus *epist.* 6. *pag.* 7. *edit. Veron.* 1736., ordinatione, quam accepit a Lampio Barchinonensi, habet haec » Ea conditione in Barchinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ipsi Ecclesiae non alligarer in sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Ecclesiae dedicatus » eademque lege Hieronymus a Paulino Episcopo Antiochenus ordinatus est. Sunt tamen haec exempla praeter communem consuetudinem, a qua, sicuti mea quidem fert opinio, se recte discedere Episcopi putarunt posse, ut memore gererent iis, quos propter egregiam pietatem, atque doctrinam universae Ecclesiae utiles fore prospiciebant. Verum disciplina, per quam nemo ordinabantur, nisi certae adscriberetur Ecclesiae, cui semper addictus esse deberet, generatim obtinuit, eaque vigebat adhuc saeculo XI., uti patet ex Concilio Placentino *cap.* 15. *tom.* 12. *Concil. col.* 825., et Claromontano *can.* 13. *ibid. col.* 831. Videndus Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 9. *tom.* 2. *pag.* 21. *seqq.*

(2) Patrimonii titulus saeculo XI., ac fortasse etiam XII. recentior est. Verum in illis Chalcedonensis Concilii verbis, quae sunt apud Gratianum *can.* 1. *dist.* 70. *neminem absolute ordinari etc. nisi in Ecclesia civitatis, sive possessionis etc.*, Glossographus ad vocem illam *possessionis* ita animadvertit: *idest si ordinatur ad titulum patrimonii*, quasi ea tempestate, qua Chalcedonense Concilium habitum est, inducta jam fuisset clericalium patrimoniorum disciplina. Sed Glossographus, et qui eum sequuti sunt ecclesiasticarum antiquitatum rudes, non intellexerunt, clericalia haec patrimonia multo serius obtinere coepisse, et verba canonis Chalcedonensis haec plane esse ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ χώρης, quae sic latine vertenda sunt *in ecclesia urbis, vel pagi*. Itaque nulla hic possessionis mentio, et etiam esset, res tamen eodem rediret. Nam Ecclesia *possessionis* est Ecclesia parochialis cujusque loci extra urbem positi, uti patet ex *can.* 1. *caus.* 16. *q.* 3., ubi rusticae parochiae, et possessiones promiscue sumuntur, et haec debat titulum eodem modo, quo Ecclesia parochialis Civitatis. Patrimonii titulo occasionem dedisse videtur Alexander III. *in cap.* 4. *de praeben.* cum Episcopo, qui clericum sine titulo ordinaverat, liberat a poena eidem suppeditandi necessaria ad vitam traducendam, donec ecclesiasticum beneficium obtinuerit, unde sese aliter honeste » possit „ nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua, vel paterna » hereditate subsidium vitae possit habere „ Quisquis Alexandri mentem » diligere considerat, facile intelligerit, non hic ab eo patrimonii titulum

fuisse institutum, sed tantum propositum casum, quo Episcopus ab illa poena liberetur. Verum canonici juris interpretes hoc freti decreto Alexandri nullo discrimine ordinandos putarunt clericos vel beneficii, vel patrimonii titulo; sed Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* statuit» Ne » quis clericus saecularis ad sacros ordines promoveatur nisi prius legitime » constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere . . . Patrimonium vero, vel pensionem obtinente » ordinari post hac non possint, nisi illos, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum „ Quibus ex verbi manifestum est a Sac. Congregatione Concilii apud Fagnanum *in cap.* 4. *de praeben. num.* 24. recte fuisse definitum, ex sententia Synodi Tridentinae beneficii titulum, *legitimum* atque *ordinarium* esse, titulum vero patrimonii, ac pensionis *extraordinarium*, esse, ac veluti *ex dispensatione* admitti, cum id utilitatem, aut necessitatem postulare Episcopus animadvertit.

DE SACRA UNCTIONE

TITULUS XV.

I. Sacrarum unctionum diversae species.

II. et III. Quo die sacra olea conficiantur, et eorum usus.

IV. Materia et forma Sacramentorum Confirmationis, et Extremae Unctionis.

Decretum *dist.* 64. 65. 95. *et dist.* 1. *de Consecr.* Conc. Tridentinum *sess.* 7. *can.* 1. *et seq. de Confirm. et sess.* 14. *cap. visum est, et seq. de sacr. Extrem. Unct.*

§. I.

Cum in sacris ordinibus conferendis sacra unctio adhibeatur, recte cum tractatione de ordinibus hic titulus conjunctus est; sumptaque occasione omnes, quae plures numero, sunt, unctiones distinguuntur. Alia est enim unctio Pontificum, alia Sacerdotum, alia Regum, alia catechumenorum, confirmandorum, infirmorum, altarium, sive ecclesiarium. Est autem multiplex oleum, quo hujusmodi unctiones fiunt. Nam aliud est oleum catechumenorum, aliud infirmorum, aliud quod chrisma appellatur. Utrumque illud, quod priori loco memoravimus, simplex est oleum expressum e baccis olivarum; atque unum ab altero distinguit, quia dissimili modo benedicuntur, ac dispar utriusque usus est. Verum oleum chrismatis apud Latinos admixtum habet balsamum, de quo quaeritur, num illud semper Ecclesia adhibuerit, et num ea balsami, oleique commixtio necessitate sacramenti, an potius necessitate praecepti facienda sit(1). Graeci alias adhibent trigintaquinque aromatum species, ex quibus vino concoctis, ac per totam fere Quadragesimam praeparatis chrisma componitur (2).

(1) Olei benedictionem ex antiquissima traditione repetit S. Basilius *de Spiritu S. cap.* 27. *tom.* 3. *opp. pag.* 55., cumque eadem semper constans in Ecclesia fuerit, neque ejus initium manifestum sit, eadem secundum

constans in Ecclesia fuerit, neque ejus initium manifestum sit, eadem secundum protritam Augustini regulam ab Apostolis repetenda est. Videndus ea de re est Cardinalis Orsius *dissert. de chrism. confirm.* Haud tamen convenit inter viros intelligentes, num semper balsamum eum oleo commixtum fuerit, et num ea commixtio necessaria sit necessitate sacramenti, ita ut solum oleum sine balsamo minus apta materia sit ad sacramentum. Late ea de re disputant Juenninius *de sacrament. dissert.* 3. *de confirmat. quaest.* 2. *art.* 2. *et* 3. *pag.* 99. *seqq.*, Drouenius *de re sacrament. lib.* 3. *quaest.* 4. *cap.* 3. §. 2. *tom.* 1. *pag.* 345., Christianus Lupus *in VIII. Synod. opp. tom.* 3. *pag.* 345., Hugo Menardus *in Sacrament. S. Gregorii M. not.* 326 *opp. tom.* 3. *col.* 326. Natalis Alexander *Theolog. Dogmat. Moral. de sacramen. confirmat. cap.* 1. *art.* 2. *prop.* 2. *tom.* 1. *pag.* 203. *edit. Venet.* 1772., Tournelius *praelect. teolog. de sacram. confirmat. quaest.* 1. *art.* 3. *tom.* 8. *pag.* 234. *et seq.* Bertius *de theolog. disciplin. lib.* 32. *cap.* 5. *tom.* 7. *pag.* 56., Catalanus *in Pontific. Roman. par.* 3. *tit.* 4. *pag.* 72. *seqq. tom.* 3. Integrum cuique est sine fidei dispendio alterutram opinionem sequi. Recte Bellarminus *de sacram. confirmat. lib.* 2. *cap* 3. *pag.* 170. postquam monuit „ quaestionem esse inter „ Theologos, utrum balsamum requiratur in chrismate necessitate sacramen- „ ti, an solum necessitate praecepti „ scribit haec „ Neutra opinio est de fide, „ vel contra fidem, et fallitur Kemnitius, ubi docet Concilium Florentinum „ definivisse contra scholasticos, balsamum requiri in chrismate. Nam Conci- „ lium non expressit, quo modo requiratur, sed dixit materiam esse oleum „ cum balsamo, ut etiam in Eucharistia dixerat, materiam esse vinum cum „ aqua; et tamen omnes fatentur aquam non esse ita de essentia, ut sine ea „ sit irritum sacramentum „.

(2) Confer Goarium *Euchaolog. Graecor. pag.* 637. *seqq. cit. edit. Paris.*

§. II. Cuncta haec olea feria V. in coena Domini solemni ritu apud Latinos ab Episcopo consecrantur (1). Apud Graecos eadem die Episcopus conficit tum chrisma, tum oleum infirmorum; sed hoc postremum mox insumitur ungendis tum Episcopo, quem OEconomus ungit, tum ceteris omnibus ad sacram sinaxim accessuris, qui ab ipso Episcopo inunguntur. Cum aegroti ungendi sunt, singulis vicibus oleum a Parocho consecratur, eademque apud eos est de oleo catechumenorum disciplina (2). Novo oleo consecrato vetus comburendum est (3). Unguntur apud Latinos, uti supra dictum est, Episcopi, Sacerdotes, suscipientes baptismum, confirmationem, extremam unctionem, et hae sunt unctiones, quas Canonistae sacramentales vocant. Unguntur et Reges, Ecclesiae, Altaria, calices, patenae, fons baptismalis, campanae, quae extra-sacramentales appellantur.

(1) Extat apud Gratianum *can.* 18. *de consecr. dist.* 3. Fabiani Epistola, qua Episcopi quotannis feria V. in coena Domini chrisma conficere jubentur; sed haec epistola ab Isidoro Mercatore conficta est. Antiquiori aetate omni tem-

pore licebat Episcopo chrisma conficere; eaque de re perspicuum est decretum Concilii Toletani I., quod habitum fuit anno 400., *can.* 20. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 1474. » Episcopo sane certum est omni tempore licere chrisma » conficere » Itaque hac aetate recentior est disciplina, quae nunc viget, ut semel tantum in anno feria V. in coena Domini chrisma ab Episcopo consecretur. Cum autem ea reperiatur tum in Gelasiano Sacramentario, quod pertinet ad exitum saeculi V., apud Thomasium *opp. tom.* 6. *pag.* 57. *seqq.*, et apud Muratorium *Liturg. Roman. tom.* 1. *pag.* 340. *seqq. edit. Neapol.* 1776., tum in Graegoriano, quod illo recentius est, *opp. S. Gregorii tom.* 3. *col.* 65. dubitari non potest, quin ea, qua nunc utimur disciplina recepta fuisset in exitu saeculi V., eaque posteriori aetate servaretur. Itaque falsus est Van-Espenius *Jus ecclesiast. univers. par.* 2 *tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 13. *tom.* 2. *pag.* 36. *edit. Lovanii* 1732., qui hujus disciplinae originem tantum ad saeculum VII. referendam putat, cum ea jam obtineret Gelasio Pontifice, qui saeculo V., hoc est ab an. 492. usque ad annum 496. Pontificatu maximo functus est. Ac si cum hoc Gelasiano Sacramentario conferamus Toletanum canonem, cujus supra est facta mentio, facile intelligimus, medio illo tempore, quod excurrit inter initium, atque exitum saeculi V., stabilitam fuisse disciplinam conficiendi chrismatis feria V. in coena Domini; quam postea generatim obtinuisse testatur Sacramentarium S. Gregorii M., et vetusti Ordines Romani apud Mabillonium *Museum Italicum tom.* 2. *pag.* 33. 34. *et* 100. *edit. Paris.* 1724., et omnes, qui per ea tempora *de divinis officiis* libros ediderunt. Confer etiam quae scripserunt Menardus, Bona, Martenius, quorum testimonia indicavi in *Instit. Jur. Canon. lib.* 2. *tit.* 2. *sect.* 2. §. 39. *not.* 4. *tom.* 2. *pag.* 68.

2) Videndus Goarius *loc. cit. pag.* 354. *et* 429. *seqq.* Quam Graecorum consuetudinem minime improbavit Clemens VIII. instructione ad Episcopos Latinos, qui in suis dioecesibus Graecos Presbyteros numerabant, *Ballarii tom.* 5. *par.* 2. *pag.* 72. Ejus autem verba sunt haec » Non sunt cogendi » Presbyteri Graeci olea sancta, praeter chrisma, ab Episcopis Latinis dioe» cesanis accipere, cum hujusmodi olea in ipsa oleorum, et sacramentorum » exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. Chrisma autem, » quod nonnisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici potest, co» gantur accipere. »

(3) Consule Rituale Romanum *tit.* 2. *cap.* 1. §. 31., ibique Catalanum *tom.* 1. *pa.* 70. *et* 71. *edit. Romae* 1757., praeterea Concilium provinciale IV. Mediolanense a S. Carolo habitum *Act. Eccles. Mediolanen. par.* 1. *tom.* 1. *pag.* 113. *edit. Patavii* 1754.

§. III. Solum Chrisma adhibetur in sacramento confirmationis, et consecratione Episcoporum, itemque patenae, et calicis; chrisma, et oleum catechumenorum simul in consecratione ecclesiae, et altaris; solum oleum catechumenorum in ordinatione sacerdotum, et coronatione Regum; solum oleum infirmorum in sacramento extremae unctionis; oleum infirmorum simul, et chrismatis in benedictione campanarum. In confirmatione apud Latinos frons inungitur baptizati (1); in Episcopi consecratione primum ejus caput, postea manus unguntur; calices, et patenae in superficie sacro oleo liniuntur,

et calix quidem intus, ubi Christi sanguis excipitur. Presbyteri cum ordinantur, utraque manus, cum coronantur Reges, dexterum brachium oleo catechumenorum inungitur. Ceteras unctiones, quas Pontificale Romanum diligenter explicat, suis locis opportunius, et commodius persequemur. Graeci neque in Episcoporum, neque in Presbyterorum ordinationibus unctiones usurpant (2).

(1) Vide interim quae a nobis scripta sunt *in Institut. Jur. Canon. lib.* 2. *tit.* 2. *sect.* 1. §. 33. 35. *pag.* 53. 60. *sect.* 2. §. 39. *pag.* 67. *et* 68. *et sect.* 5. §. 68. *et seq. pag.* 154. *seqq. tom.* 2.

(2) Innocentius III. *in Cap. unic. hoc tit.* vindicat Latinae Ecclesiae consuetudinem. Late ea de re agit Hallierus *loc. cit. par.* 3. *sect.* 8. *cap.* 10. *tom.* 3. *pag.* 437. *seqq.*

§. IV. In sacramento confirmationis, uti diximus, apud Latinos (1) frons ungitur baptizati sacro oleo, quod cum balsamo commixtum est, atque in hoc oleo remotam, in unctione proximam sacramenti materiam multi constituunt. Contra alii materiam faciunt manuum impositionem; et alii tum hanc impositionem, tum unctionem frontis. Quae de materia, eadem est disputatio de forma, quam alii ponunt in oratione, qua Episcopus Neophito manus imponens invocat Spiritum S.; alii in verbis *signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; alii denique et in his verbis, et in illa oratione, cujus est facta mentio (2). Cum extremae unctionis confertur sacramentum, apud Latinos unguntur quinque organa sensuum, per quos vitia contraximus; videlicet oculi, aures, nares, os, manus, itemque pedes, et renes (3); Graeci ungunt aegri frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus, tum utramque manum, postremo pedes (4). Atque in hac unctione proxima, in oleo remota hujus sacramenti materia consistit (5); forma posita est in precibus, quae a Sacerdote aegrotum ungente funduntur.

(1) Latini solam frontem ungunt; Graeci etiam aures, nares, pectus, oculos, et pedes, uti patet ex eorum Euchologio apud Goarium *pag.* 356. *cit. edit. Paris.* Sed aetate S. Cyrilli Jerosolymitani tantum ungebantur frons, aures, nares, pectus; quoniam ipse *catech.* 21. *mijstag.* 3. *cap.* 4. *pag.* 317. *edit. Venet.* 1763. has tantum partes memorat.

(2) Quamquam autem ea de re nulla sit edita ab Ecclesia definitio, compertum tamen est, eam semper certis quibusdam verbis hoc sacramentum administrare consuevisse, ut proinde in hoc etiam locum

habeat illud Augustini *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Sane Apostolos verbis usos esse testantur Sacrae literae Act. *cap. VIII., ver.* 15.; idemque postea semper factum fuisse, constat ex plurimorum Patrum testimoniis, ac inter ceteros id diserte tradit Innocentius I. *ep.* 25. *ad Decentium Eugubinum cap.* 3. apud Coustantium *Epist. Roman. Pontif. col.* 859., quamquam ob arcani disciplinam non ipsa describat verba, quibus confirmationis forma constabat. Variae sacramenti hujusce formae describuntur ab Edmundo Martenio *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 3. §. 11. *pag.* 91. *cit. edit.*

(3) Sed in mulieribus propter pudorem sexus, atque in aegrotis, qui loco commode moveri non possunt, unctio renum omittur, uti habet Rituale Romanum *tit. de sacram. extrem. unction.* Renum, et pedum unctionem necessariam non esse ad vim sacramenti, inter omnes constat; sed quaeritur, num reliquae quinque unctiones necessario adhibendae sint, ut valeat sacramentum. Plerique, cum summa necessitas impedimento est, quominus illae omnes actiones adhibeantur, unicam satis esse arbitrantur, prolata tamen formula universali, quae sensus omnes comprehendat. Late ea de re agit Benedictus XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 8. *cap.* 3. *tom.* 1. *pag.* 381.

(4) Solide, et copiose doctissimus Cardinalis Borgia disseruit *de Sacramento Extremae unctionis apud Orientales* peculiari dissertatione, quae extat apud Jo. Chrysostomum Trombellium *de Extrema unctione tom.* 3. *pag.* 92. *edit. Bononiae* 1777.

(5) Innocentius I. *ep.* 25. *ad Decentium Eugubin. cap.* 8. *col.* 863. *loc. cit.* hujus sacramenti materiam esse inquit *oleum chrismatis*, qui locus Scholasticos complures in eam opinionem adduxit, ut crederent, olim balsamum cum oleo misceri consuevisse. Verum saepe apud Ecclesiasticos Scriptores chrisma merum oleum infirmorum est. Consule Jueninium *de sacram. dissert.* 7. *quaest.* 3. *cap.* 1., et Tournelyum *de sacram. extrem. unct. quaest.* 1. *art.* 3.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS

TITULUS XVI.

I. Tria Sacramenta, quae iterari non possunt. II. et III. Quomodo in his supplendum quod omissum fuerat?

Decretum *dist.* 68. *can.* 3. *et can.* 21. *c.* 1. *q.* 7. *et can.* 84. *et seqq. dist.* 4. *de consecr.* De iterantibus Baptismum est specialis *Titulus* 9. *lib.* 5. in Codice *lib.* 1. *tit.* 6. Trident. *sess.* 7. *can.* 9.

§. I.

Titulus hic veluti appendix est tituli superioris. Nam quod initio docuit Innocentius III. (1), sacram unctionem in Episcopi consecratione omissam esse supplendam, nec ideo consecrationem iterandam, idem observandum esse statuitur in ceteris sacramentis, quae non repetuntur, ut in his nihil sit temere iterandum, sed *caute supplendum*, *quod incaute fuerat praetermissum* (2). Ex septem catholicae Ecclesiae sacramentis quatuor repetuntur, Eucharistia, poenitentia, extrema unctio, matrimonium; reliqua tria, quae imprimunt characterem, baptismus, confirmatio, ordo iterari non possunt. Quod adeo verum est, ut etiam mortalis criminis rei quamquam propter peccati obicem gratiam non accipiant, tamen accipiunt sacramentum, quique ab eodem imprimitur, characterem.

(1) Cap. *unic. de sacr. unct. in princ.*
(2) Innocentius III. *in Cap.* 1. *de sacramen. non iteran.*

§. II. In his tribus sacramentis si quid omissum est, id

caute suppleri debet, sed non ideo sacramenta ipsa iterantur; modo peccatum non fuerit, in ipsam ut vocant, *substantiam* sacramenti; Ita si in baptismo neglecti fuerint exorcismi, unctiones, cetera similia, et his sane ritibus postea satisfaciendum est. Verum si neglecta fuerit immersio, aut effusio, vel aspersio in baptismo, unctio in confirmatione, cum sine his neque baptismus, neque confirmatio consistere possit, denuo conferendum est sacramentum, cum irritum sit quidquid antea gestum fuit. Neque enim cum antea factum nullum est, quod postea recte fit, iteratum intelligitur (1).

(1) Cap. *ult. de Presbyter. non baptiz.*

§. III. Si in confirmatione unctio non chrismate, sed oleo facta fuerit, nihil est iterandum, sed ea tantum, quae deerat, unctio cum chrismate facienda est (1). Idem observandum si manuum impositio non substantialis omissa sit, cum Presbyter, aut Diaconus ordinatus fuit (2). Similiter benedictio in vestibus sacris, ac coemeterio repetenda non est, nec renovanda in altari consecratio, si Sacerdos degradatus, vel schismaticus iis usus, vel in coemeterio sepultus fuerit (3).

(1) Cap. 1. *de sacrament. non iteran.* Quod etiam fieri debere monet ipse Innocentius *loc. cit.*, si quis *sine impositione manuum fuerit ad ordinem Subdiaconatus assumptus etc.* Quem Innocentii locum non uno omnes interpretantur modo, qui sunt in canonico jure versati. Nam in ordinatione Subdiaconi nulla fit manuum impositio; et ideo percipi non potest, quid sibi voluerit Innocentius, cum eam supplendam docet, propterea quod in ordinatione omissa fuit. Emmanuel Gonzalezius *comment. in cit. c.* 1. pro verbo *Subdiaconatus* legendum esse putat *Diaconatus*, ut in multis codicibus legi testatur, pluresque laudat, quibus eadem sententia est. Mihi nulla videtur esse causa, propter quam vulgata leotio rejiciatur. Nam saepe in canonibus *manuum impositio* est benedictio diversa ab ea consecratoria manuum impositione, quae in ordinatione Presbyteri, ac Diaconi adhibetur, ut *in can.* 1. *dist.* 69., et *in can.* 74. *can.* 4. *q.* 1. De hac impositione loquutum arbitror Innocentium, uti recte Glossographus animadvertit.

(2) Gregorius IX. *cap.* 3. *eod. tit.* Magna autem de hujus Decretalis interpretatione controversia est inter peritos juris canonici, qui eam ad omissam manuum impositionem pertinere arbitrantur. Nam si haec manuum impositio vim ipsam respicit, ac substantiam ordinationis, qui fieri potest, ut ea rata firma habeatur, ac tantum supplenda manuum impositio, quasi sine ea facta ordinatio valere possit? Potius eadem iteranda videretur, uti fert regula, quam paulo ante exposuimus: id vero Gregorii decreto adversatur. Ut hunc nodum solvat, complures Canonistae Gregorii decretum referunt ad primam manuum impositionem, quae cum minime pertineat ad substantiam ordinationis supplenda est, quoniam propter ejus omissionem ordinatio irrita haberi non potest. Probari haec forte posset interpretatio, si Gregorius tantum ageret de Presbytero, sed cum simul agat etiam de Diacono, qui solum unam accipit manuum

impositionem, alia sane quaerenda est Gregorianae decretalis explicatio. Alii fatentur quidem Gregorium legem dixisse de illa manuum impositione, quae substantialis est, sed ajunt duplicem esse Presbyteratus, ac Diaconatus materiam, utramque distinctam, ac neutram ab alia dependentem, alteram scilicet in manuum impositione positam, alteram in vasorum traditione. Haec quidem materia in ea, quae proponitur, ordinatione adhibita fuerat, tantum illa prior omissa; et ideo non sacramentum iterare, sed omissam materiam adhibere oportebat. Placuit haec interpretatio Canonistis bene multis, ac prae ceteris Francisco Schmalzgrueberio *Jus ecclesiast. univers. par.* 3. *tit.* 16. *num.* 4., et Emmanueli Gonzalezio *loc. cit. in d. cap.* 3. *num.* 10., qui tamen in ea sententia sese aequiescere affirmat, *donec alius meliora attulerit, cui libenti animo herbam tradam.* Verum Theologi complures in primis nobiles, et illustres essentiam tum Presbyteratus, tum Diaconatus in sola manuum impositione cum Episcopi oratione conjuncta positam esse sentiunt, quod late ostendunt Natalis Alexander *Theolog. Dogmat. Moral. lib.* 2. *de sacram. ordin. cap.* 1. *art.* 7. §. 2. *tom.* 1. *pag.* 483. *seq.*, Jueninius *de sacrament. dissert.* 9. *quaest.* 3. *cap.* 2. *pag.* 580. *seq.*, Drouenius *de re sacrament. lib.* 8. *par.* 2. *sect.* 4. §. 5. *tom.* 2. *pag.* 358. *et sect.* 5. § 2. *pag.* 362. Scio multos esse, qui duplicem faciunt Presbyteratus, et Diaconatus materiam, alteram positam in manuum impositione, alteram in instrumentorum traditione; verum si illa probaretur Gregorianae decretalis interpretatio, illud certum fixumque habere oporteret, manuum impositionem ad vim, et substantiam ordinationis non pertinere. Mihi res omnis facilius expediri videtur posse, si Gregorii decretalem sedulo expendamus, et ipsum praeterea, qui Gregorianam collectionem absolvit, Raymundum de Pennafort, interpretem adhibeamus. Inquit porro Gregorius » Presbyter, et Diaconus cum ordinantur manuus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt, quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit praetermissum «. Quaestio igitur erat de simplici *ritu*, hoc est *de tactu Corporali*, qui neglectus fuerat. Pari modo decretalem explicat Raymundus, qui eam cum ceteris in Gregorii collectione descripsit, quique ideirco veram ejus significationem ignorare non potuit. Nam ipse *in summa lib.* 3. *tit.* 22. §. 6. *pag.* 294. *edit. Veronae* 1744. hanc ipsam describit Gregorii Decretalem, cujus gratia omnis haec quaestio instituitur. Primum autem inquit » Si autem fuit omissum id, de quo est expressum, quod non est de substantia, non debet ordinatio, nec consecratio iterari; sed quod omissus est debet caute suppleri statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos « Mox ut id, quod proposuit, verum ostendat, Gregorianam decretalem laudat. Postremo rem totam conficit his verbis » Est autem expressum in jure, quaedam non esse de substantia, scilicet tempus etc. item quod ordinandus in Diaconum, vel Presbyterum, recipiat manuus impositionem Episcopi, non tantum manu super caput suspensa, sed tactu corporali etc. *de sacram. non iteran. cap. ult. seu Presbyter* « En igitur quam ob causam iterari non debuerit ordinatio, quae iterari debuisset, si quid neglectum fuisset eorum, quae ad substantiam pertinent, uti monet ipse Raymundus *loc. cit.* Facta quidem fuerat manuum impositio, sed tantum *suspensa manu* super caput ordinandi, non *tactu corporali*, ideo Raymundo teste *in cap. ult. de sacram. non iteran.*, quaerebatur, num propter omissionem hujus *tactus corporalis* ordinationem renovare oporteret. Recte a Gregorio IX. responsum est, non esse iterandam ordinationem, quoniam illa, quae *substantialis* est, manuum impositio peracta fuerat, sed tantum supplendam illam *accidentalem* impositionem, quae fit per *tactum corporalem*.

(3) Cap. 2. *de sacramen. non iterant.*

DE
FILIIS PRESBYTERORUM

TITULUS XVII.

I. Qui sint irregulares?
II. Qui Presbyterorum filii ab ordinibus arceantur?
III. Filii Presbyterorum ante Patris Sacerdotium editi a quibus beneficiis repellantur?
IV. Illegitimi ab ordinibus, et beneficiis arceutur.

Lib. 1. *tit.* 11. in 6. Decretum *dist.* 56. Conc. Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 15.

§. I.

Ab ordinibus repelluntur, qui alieni a regula (1), sive *irregulares* sunt, quibus nimirum ecclesiastica regula impedimento est, quominus aut clero adscribantur, aut ad ordinem superiorem ascendant, aut exerceant munera ordinum, quae susceperunt. Unum, aut alterum ex his tribus efficit irregularitas; unde facile educitur ejus definitio. Genus universum irregularitatum nos alio persequuti fuimus (2), easque omnes vel ex crimine, vel ex vitio, aut defectu sive animi, sive corporis procedere demonstravimus. Hic eas indicabimus, quae a Gregorio, et eodem ordine, quo ab ipso proponuntur. Agit autem in hoc titulo Gregorius de filiis Presbyterorum, qui irregulares sunt propter sordes, quas ex vetita conjunctione procreati contraxerunt.

(1) Concilium Nicoenum *can.* 17. *tom.* 2. *Concil. col.* 42.
(2) Consule nostras *Institutiones Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 7. *tom.* 1. *pag.* 357. *seqq.*

§. II. Sunt autem filii Presbyterorum vel ex justis nuptiis ante Presbyteratum nati, et hi certe legitimi sunt (1); vel concepti, natique sunt in Sacerdotio aut ex legitima uxore,

aut ex concubina, ex meretrice, et hi omnes illegitimi, atque ex vetito concubitu in lucem editi censentur (2). Nam clerici, qui vivi uxore sacros ordines suscipiunt, perpetuam castitatem vovere debent (3); quod ex antiquissima Ecclesiae traditione procedit (4). Quin et ipsis Apostolis antiqui canones hanc disciplinam tribuunt (5); et inde petitam traditionem confirmavit Siricius P., cum Sacerdotibus perpetuae castitatis legem imposuit (6). Omnes igitur a Sacerdotibus procreati post Sacerdotium filii illegitimi habentur.

(1) Cap. 12. *de filiis Presbyt.*

(2) Cap. 1. *et* 14. *eod. tit. L. sacris canonibus* 45. *Cod. de Episc. et Cler.*

(3) Cap. 2. *de Cleric. conjug.*

(4) Origenes *hom.* 23. *in Numer. num.* 3. *tom.* 3. *pag.* 358. „ Certum „ est, *inquit*, quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus „ necessitatibus serviunt; unde videtur mihi, quod illius est solius offerre „ sacrificium indesinens, qui indesinenti, et perpetuae se voverit castitati „. S. Hieronymus *ep.* 48. *ad Pammachium num.* 21. *opp. tom.* 1. *col.* 235. „ Apostoli, *inquit*, vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Pre„ sbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut certe post sacerdotium in aeter„ num pudici „, *et contr. Jovinian. lib.* 1. *num.* 34. *tom.* 2. *col.* 293. „ Si „ laicus, *inquit*, et quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio „ conjugali, sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper „ orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio „. Confer etiam S. Epiphanium *haeres.* 59. quae est *Cataphryg.* §. 4 *tom.* 1. *opp. pag.* 496.

(5) Videndus Fr. Antonius Zaccaria *nuova giustificazione del celibato sacro dissert.* 1. *cap.* 4. *pag.* 48 *seqq. edit. Fulgin.* 1785. Hos autem vetustos canones conciliorum collegit Antonius Augustinus *Epitom. Jur. Pontific. lib.* 7. *tit.* 17.

(6) Siricius apud Gratianum *can.* 3. *dist.* 82.; atque hoc decretum laudant Innocentius I. *loc. cit. can.* 2.; Concilium Agathense *can.* 9. *tom.* 5. *Concil. col.* 523. Sed ea de re diligentius agemus alio loco; ubi etiam de graecae Ecclesiae consuetudine disputabimus.

§. III. Inter filios Sacerdotum, qui ante Sacerdotium, interque eos, qui post Sacerdotium geniti sunt, magnum discrimen intercedit. Filii ante Sacerdotium nati, cum sint legitimi, neque ab ordinibus, neque a beneficiis repelluntur (1); tantum prohibentur obtinere beneficia, quae pater obtinuit, ne in his successio haereditario jure introducatur (2); nisi media aliqua persona intercesserit (3). Qua in re Jus canonicum merito deserit asperiorem disciplinam a Jure civili constitutam in turpes personas, quae ne media quidem persona interposita, tacitoque fideicommisso, per quod legibus illuderetur, hae-

reditatem adipisci possunt (4). Non enim hi filii turpes haberi possunt, ac media persona satis apta est ad rumpendam successionem, quae sacris canonibus adversatur. Haud tamen ipsi prohibentur habere beneficium, in quo pater vicarius temporalis fuit (5), aut aliud quodibet in Ecclesia, in qua idem pater aliud distinctum beneficium retinet (6); quin etiam ex justa causa Sedis Apostolicae judicio comprobata paterna quoque beneficia consequuntur (7).

(1) Cap. 12. *de filiis praesbyter.*
(2) Cap. 3. §. 11. *eod. tit.*
(3) Cap. 7. *eod.*
(4) L. *non intelligitur ff. de Jur. fisci et* §. 1. *Instit. de fideicom. haered.*
(5) Cap. 8. *de filiis praesbyt.*
(6) Cap. 12. *eod. tit.*
(7) Cap. 17. *eod. tit.*

§. IV. Filii post sacerdotium, ac ceteros sacros ordines nati non solum a paterno beneficio repelluntur, sed etiam in Ecclesia, in qua eorum pater canonicus est, praebendam habere prohibentur (1). Imo et hi, et qui ex vetita laicorum conjunctione progeniti sunt filii, ordines consequi, aut beneficium nequeunt (2); nisi religionem professi hoc pietatis monumento natalium sordes eluerint; quia tunc recte ad ordines ascendunt, licet a sui Ordinis praefecturis, nisi primum veniam obtinuerint, excludantur (3). Sed et bona cum venia Episcopi, aut Summi Pontificis ordines suscipere potest illegitimus, atque etiam consequi ecclesiasticos magistratus. In minoribus ordinibus, et beneficiis simplicibus satis est venia Episcopi (4); in ordinibus sacris, parochiis, dignitatibus Summi Pontificis venia desideratur (5). Quae venia, uti supra demonstravimus, inter constitutum modum, ac leges cohibenda diligenter est; et ideo neque ad beneficium, quae pro ordinibus, neque ad plura beneficia producenda est, quae pro uno tantum concessa fuit (6); eaque ut vim obtineat, narranda sunt omnia, quae nota esse oportet, ac potissimum significandum est, num beneficium, quod illegitimus postulat, situm sit in eadem Ecclesia, in qua pater ejus ministrat, vel ministravit. Nam beneficium illegitimo difficilius in hac Ecclesia conceditur.

(1) Cap. 15. et 16. *de filiis praesbyter.*

(2) Nulla in antiquis canonibus ejus rei mentio est. Nam cum olim Ecclesiae ministri eligerentur, non quaerebatur, quo quisque patre genitus esset, sed quibus praestaret virtutibus; quod pluribus collectis monumentis ostendit Gratianus *dist.* 56. Atque huc spectat Canon 8. Nicephori Confessoris apud Cotelerium *Eccles. Graec. monumen. tom.* 3. *pag.* 146. *edit. Paris.* 1686. ubi habentur haec » Qui ex concubina, aut bigamis, vel trigamis nati sunt, » modo vitam exhibuerint sacerdotio dignam, ordinantur » Concilio quidem Toletano IX. *can.* 10. *tom.* 7. *col.* 469. clericorum filii in Ecclesiae servitutem rediguntur, et *can.* 11. hi homines ab ordinibus arcentur, nisi primum ab Episcopo libertatem obtinuerint. Verum fuit haec peculiaris lex Hispaniarum; quae in ceteris Occidentis regionibus minime obtinuit. Saeculo XI. genus hoc irregularitatis, quae ex natalium vitio procedit, memorat Urbanus II. *can.* 1. *dist.* 56., et canon Synodi Pictaviensis *in Cap.* 1. *de fil. Presbyter.*, ac recentiori aetate Innocentius III. *lib.* 1. *ep.* 444. *tom.* 1. *pag.* 469. *edit. Paris* 1682. Confer Christianum Lupum *in synod. general. et provinc. cap.* 12. *dissert.* 1. *proem. pag.* 36. *tom.*4., Jueninium *de sacrament. dissert.* 12. *quaest.* 6. *art.* 7. *pag.* 702. *seq.*, Drouenium *de re sacrament. lib.* 8. *par.* 1. *quaest.* 9. §. 2. *num.* 3. *tom.* 2. *pag.* 304. *seq.* Lege veteri, quae est in *Deuteronom. cap. XXIII. vers.* 2. statutum erat » Non ingredietur mamzer, hoc est de » scorto natus in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem » Id autem quidam referunt tantum ad sanctuarium, alii vero Ecclesiae nomine intelligunt societatem, et coetum Judaeorum, apud quos mamzeres, ut extranei, jura civium non habebant, non autem illa locum illum explicandum putant, ut a sacris, ac templo arcerentur. De his Mamzeribus agit Seldenus *de jur. natur. et gent. lib.* 5. *cap.* 16. apud Ugolinium *Thesaur. antiquit. sacr. tom.* 27. *col.* 1153. *seqq.*

(3) Cap. 1. *de filiis Presbyter.* Quid autem observandum sit, ut illegitimi regulare institutum recte suscipiant, explicant Gregorius XIV. *Const. circumspecta* 5. *tom.* 5. *par.* 1. *Bullar. pag.* 252., et Clemens VIII. *Constit. in suprema* 268. *pag.* 403. *tom.* 5. *par.* 2., quae constitutiones mitigant, et relaxant severitatem constitutionum ea de re a Sixto V. editarum.

(4) Cap. 1. *eod. tit. in* 6.

(5) Cap. *ult. de fil. Presbyter. Cap.* 1. *eod. in* 6.

(6) Cit. *cap.* 1. *et cap.* 2. *de filiis Presbyter.*

DE SERVIS

NON ORDINANDIS,

ET EORUM MANUMISSIONE

TITULUS XVIII.

I. Servi non ordinandi.
II. et III. Servus ignaro, aut invito Domino ordinatus.
IV. Servi manumissi in sacrosanctis Ecclesiis perfectam ingenuitatem obtinebant.

Decretum *Dist.* 54.

§. I.

Servilis quoque conditio impedimento est, quominus quis inter clericos rite ac recte cooptetur. Antiqua lex est (1) probata, et confirmata recentioribus (2), servos ordinari non oportere. Cujus rei duplex causa est; altera, quod conveniens, et decorum non esset, vilissimos homines inter Ecclesiae ministros adscribere (3), altera, ne Ecclesia dominis fraudem facere videretur (4). Itaque expresso, vel tacito dominorum consensu, aut manumissione opus erat, ut servi rite ordinarentur (5). Hoc modo servi liberi fiebant, recteque ordinibus donabantur; licebat tamen dominibus consentientibus certas adjicere, easque honestas conditiones, quales erant, ut ipsi extra ecclesiastici peculii causam vita functis ordinatis succederent, vel ut iidem ordinati dominorum gratia ecclesiastica quaedam officia gerere cogerentur (6).

(1) Canon LXXXII. Apostolorum apud Beveregium *pandect. canon. tom.* 1. *pag.* 54. » Servos in clerum provehi sine venia dominorum non permittimus » ad possessorum molestiam. Domorum enim eversionem illud efficit. Si quando » autem etiam dignus servus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster » quoque Onesimus visus est, et Domini concesserint, ac liberaverint, et ae- » dibus emiserint, fiat » Concilium Toletanum I. *can.* 10. *tom.* 2. *Concil. col.*

1472. Quin paulo longius progreditur Concilium Eliberitanum *can.* 80., cum vetat » ut liberti, quorum patroni in saeculo fuerint (hoc est gentiles, uti explicat Albaspinaeus *in not. ad d. can. pag.* 187. *edit. Neapol.* 1770.) » ad » clerum provehantur » Id vero Imperatoris etiam legibus sancitum est, nimirum *Novel.* 12. Valentiniani III. *ad calcem Cod. Theodos. tom.* 6. *par.* 2. *pag.* 127 *edit. Lipsiae* 1736.

(2) Cap. 1. *et tot. tit. de serv. non ordinan.* Eamque legem de servis non ordinandis tam accurate servari voluit Ecclesia, ut aliquando in consecratione Episcoporum eos specialim moneri voluerit his verbis: *Vide ne quemlibet servilis conditionis ad ordines promovere praesumas. Cap.*5. *de serv. non ord.*

(3) Can. 6. *et* 21. *dist.* 54., cujus rei argumentum est quod dicitur *in cap.* 3. *de serv. non ordinan.*, *ex necessitate temporis quandoque fieri*, ut servi etiam post datam libertatem ordinentur.

(4) Can. 5. 7. 9. 10. *dist.* 54.

(5) Can. 1. 2 4. 5. 6. *seqq. dist.* 54., *Cap.* 2. 3. 4. *de serv. non ordin.*

(6) Can. 8. *et* 10. *dist.* 34. *Cap.* 3. *et* 4. *de serv. non ordin.*

§. II. Si quem servum ignaro, aut invito domino Episcopus ordinasset, non eadem semper, aut ubique disciplina servabatur. In Italia ea tempestate, qua Gelasius I. Pontificatu maximo fungebatur, aliud erat de Sacerdote, aliud de Diacono, aliud de minori clerico constitutum. Cum quis insignitus erat sacerdotio, peculium domino restituebatur, servusque inter clericos remanebat, tamquam homo semel Deo dicatus; cum Diaconus erat, praeter peculium, domino dare oportebat vicarium, qui cum deerat, Diaconus ipse restituebatur; cum de minoribus clericis agebatur, hi removebantur e collegio clericorum, ut domini jura sarta tecta servarentur (1). In Gallia si servus presbyter, aut diaconus ordinatus fuisset Episcopus duplum domino pendere debebat, quoties id fecissat non ignarus servitutis; secus duplum solvebat, qui hunc hominem ordinari postulaverat (2), quamquam aliqando sancitum etiam fuerit, ut ordinati suis dominis restituerentur (3).

(1) Can. 9. 10. 11. *dist.* 54.

(2) Can. 19. *dist.* 54.

(3) Capitularia Reg. Francorum *lib.* 1. *cap.* 82. *col.* 485., *et lib.* 5. *cap.* 210. *col.* 577. *edit. Baluzii Venet.* 1772.

§. III. Ubi obtinuit jus Justinianeum, quo praesertim Graeci utebantur, illud in primis receptum erat, ut si servus sciente, et non contradicente domino ordinaretur, statim libertatem, et ingenuitatem acquireret, ita tamen ut iterum veteri domino obnoxius evaderet, si vita saeculari suscepta, ecclesiastica ministeria deseruisset. Servus vero ignaro domino ordina-

tus, ab eo repetebatur, modo intra annum demonstrasset et servilem hominis conditionem, et suam in eum potestatem. Quod si quis servus non esset, sed adscriptitius (1), poterat is quidem praeter domini voluntatem ordinari, modo in agro, cui addictus erat, totum opus conficeret, quod sibi a domino impositum fuerat (2). Denique servus Episcopus ordinatus statim omni servitutis jugo solvebatur, eodem modo, quo filius familias non amplius obnoxius erat patriae potestati; cum Episcopatum obtinuerat (3).

(1) Adscriptitii dicebantur, qui certis agris addicti, sive assignati, et adscripti fuissent. Eorum erat agros colere, atque horum dominis dare frumentum, aut pro eo quanti frumentum esset, neque ab agris removeri poterant, donec illud darent, quod conventum fuerat. Hi homines servi non erant, quoniam ratione agrorum, non personarum suam praestabant operam, ac praeterea jus connubii, et proprium aliquid habebant *L. unic. Cod. de colon. thrac* Videndus Du-Cangius *glossar. med. et infim. latinit. verb. adscriptitii.* Iidem hi sunt ac coloni, et rustici, quorum meminit S. Gregorius M. *lib.* 1. *ep.* 44. *opp. tom.* 2. *col.* 533., locisque aliis, agricolae nimirum patrimonii Ecclesiae Romanae in Regno Siciliae, et a quibus agrorum causa *burdationem*, hoc est nummariam pensionem solutam tradit *ibid. col.* 536. His iisdem rusticis mutuam pecuniam dari jubet ipse Graegorius *lib.* 5. *ep.* 8. *col.* 734., quod etiam eos servos non fuisse demonstrat, uti etiam animadversum est a Cl. Cardinali Borgia *Difesa del dominio temporale della Sede Apostolica nelle due Sicilie cap.* 1. §. 6. *pag.* 8. Hinc intelligimus, recte a Justiniano *Novel.* 123. *cap.* 17. constitui discrimen inter servos, et adscriptitios, quorum illi sine domini voluntate ordinari non possunt, hi vero possunt, modo *impositam sibi agriculturam adimpleant.* Novum hinc educitur argumentum libertatis, qua fruebantur adscriptitii, sive rustici, et coloni, qui tantum debebant praestare operas, quas praestandas susceperant.

(2) Novella 123. *cap.* 17.

(3) Novella 81. *cap.* 3. *et Novel.* 123. *cap.* 4. Has imperatorias constitutiones Gratianus descripsit *in can.* 20. *dist.* 54., ubi et quaedam adjecit de servis, qui monachi fiunt, quae sunt intelligenda secundum integrum textum *in Novell.* 5. *cap.* 3. Extant quoque eaedem constitutiones in Codice Justinianeo *Auth. sed episcopalis, auth. adscriptitios, auth. si servus, auth. Episcopalis, et auth. verum de Episc. et Cleric.*, sed authenticarum auctor quaedam ibidem adjecit, quae in Novellis minime occurrunt; quod in primis manifestum facit *Auth. adscriptitios*, quae consonat cum Novella Justiniani, sed illud subjicit *subrogato aliquo, quem maluerint*, quod in eadem Novella desideratur.

§. IV. Servi, qui manumittebantur, ut clerici fierent, libertatem obtinebant per eam manumissionem, quam Constantinus instituit, quae in sacrosanctis Ecclesiis fieri dicebatur (1). Neque enim fas erat, aliquem fieri de servo clericum, *antequam esset perfecta ditatus ingenuitate* (2), quae per illud genus manumissionis acquirebatur; quoniam in Ecclesia manu-

missi plenam libertatem, et Romanam civitatem consequebantur (3). Fiebat haec manumissio per tabulas in Ecclesia recitatas secundum mandatum manumissionis scriptas a Sacerdotibus, hoc est Episcopis cum Presbyteris, aut Presbyteris cum Diaconibus subscriptas; eaeque tabulae certum erant libertatis monumentum. Ea tempestate, qua Gregoriana collectio edita in lucem est, integra adhuc erat servitus, ac servi ab ordinibus arcebantur, uti hic titulus *de servis non ordinandis* ostendit. In collectione Bonifacii VIII. nullus est titulus, qui ad servorum ordinationem pertineat; sed tamen etiam post ea tempora vigentis adhuc servitutis monumenta non desunt (4). Eadem paulatim desiisse videtur, et nunc apud Christianos non amplius manet ea servitus, quae homines ab ordinibus repellunt.

(1) Constantinus M. in *L.* 1. *et* 2. *Cod. de his qui in Eccles. manumitt.* et Tribonianus §. *multis Inst. de libert* Confer Sozomenum *histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 10. *edit. Taurini* 1747., Papianum *respons. tit.* 3. *tom.* 2. *Jurisprud. Ante-Justinian. Schultingii pag.* 829. *edit. Lipsiae* 1737., et Codicem Theodosianum *lib.* 4. *tit.* 7. *tom.* 1. *pag.* 396., ibique Gothofredum *edit. Lipsiae* 1736.

(2) Concilium Triburiense an. 895. *can.* 39. *tom.* 11. *concil. col.* 644. » » nullum servum inquit, Episcopus ordinare praesumat, antequam perfecta » ditetur ingenuitate, quia non debet vilis persona fungi sacerdotii dignitate »

(3) L. 2. *Cod. de his qui in Eccles. manumitt.* De hac autem, deque ceteris manumissionibus multa me dixisse memini *in Instit. Jur. canon. lib.* 1. *tit.* 1. §. 1. *not.* 1. *tom.* 1. *pag.* 102. *seqq.*

(4) Extant *in appendic. opp. S. Paulini Aquilejensis pag.* 270. *edit. Venet.* 1737. tria manumissionis documenta, quorum duo pertinent ad annum 1351., tertium vero ad annum 1352. Aliud simile, quod est anni 1317., memorat Baluzius *ad Capitular. Reg. Francor. lib.* 1. *cap.* 82. *tom.* 2. *col.* 764. *edit. Venet.* 1772.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS VEL NON

TITULUS XIX.

I. Obligati ad ratiocinia non ordinandi ante redditas rationes. II. Qui ab hac regula excipiantur, quaeque hodie disciplina sit?

Decretum *dist.* 51. *et* 53.

§. I.

Proxime ad servos videntur accedere administratores rerum alienarum; quoniam hi, nisi primum rationes reddiderint, non potiuntur plena libertate (1), ac semper obnoxii sunt creditoribus, in quorum bonorum curatione, et administratione versati sunt. Accedit quod Ecclesia clero asciscens homines *saeculo obstrictos* (2), eos clam saecularibus, publicisque judiciis subducere velle videretur; quodque iidem in reddendis rationibus fraudis, et doli accusari possunt; id vero in Ecclesiae ministros cadere indecorum, ac turpe est. Huc autem referendi sunt procuratores, actores, executores rerum et jurium publicorum, tutores pupillorum, et curatores minorum, ac similium. Hi omnes, nisi primum ab ipsis redditae rationes fuerint, ab ordinibus repelluntur (3).

(1) Recte *in Cap. unic. de obligat. ad ratiocin. ordin.* dicitur quod *ante libertatem adeptam*, scilicet nondum redditis rationibus, *Ecclesia infamatur.*

(2) Hac verborum formula utitur Tertullianus *de praescript. cap.* 41. *pag.* 217., cum haereticorum ordinationes reprehendit „ Ordinationes, *in-* „ *quit*, eorum temerariae, leves, inconstantes; nunc neophytos collocant, nunc saeculo obstrictos etc. Eorum autem nomine eos intelligit, qui pubblica munera exercebant.

(3) Can. 2. *dist.* 51. *can.* 3. *dist.* 54. *cap. unic. de obligat. ad. ratiocin. cap.* 1. *et tot. tit. ne cleric. vel monach.* Idem de eo, qui alicujus patrocinio obligatus est, statuitur in *can.* 5. *dist.* 54.

§. II. Verum haec juris disciplina minime comprehendit eos, qui legis necessitate administrationem suscipere coguntur. Nam si vel ipsi clerici legitimae tutelae onus recusare non possunt, haud sane e clero arcendus est laicus, qui hujusmodi tutelam gerere coactus est (1). Pari modo ordinibus reste initiatur qui res ad Ecclesiam, aut monasterium pertinentes administravit, quique in iis versatus est causis, quas praecipue clericis committi decet, cujusmodi est administratio bonorum pauperum, viduarum, et aliarum personarum, quae miserabiles dicuntur (2). Hodie testantur Pragmatici hanc irregularitatem, uti olim obtinebat, usu recepto fuisse sublatam; ac tantum vigere, vel cum quis reddere rationem debet ob gestam administrationem rerum publicarum, vel cum quis privata quidem gessit negocia, sed jam ob dolum judicio conventus fuit.

(1) Can. 1. *caus.* 21. *q.* 3.

(2) Can. 1. *cit.* Ceterum *in cap. unic. de obligat. ad ratiocin.* a clero arcentur *procuratores*, *actores*, *executores*, *seu curatores pupillorum*; sic enim vulgata lectio concepta est. Sed Janus a Costa *in Decretal. lib.* 1. *tit.* 19. *tom.* 1. *pag.* 117. *edit. Neapol.* 1770. legendum putat; *procuratores*, *actores*, *executores*, *tutores etiam*, *seu curatores pupillorum*. Certe tutor pupillis datur.

DE CORPORE VITIATIS

ORDINANDIS VEL NON

TITULUS XX.

I. Vetus disciplina de corpore vitiatis non ordinandis.
II. Qui ordinum munera exercere non possunt, ab ordinibus arceantur.
III. Quae deformitas suscipiendis ordinibus impedimento sit?
IV. Quid si impedimentum post susceptos ordines emergat?

Decretum *dist.* 49. *et* 55.

§. I.

Lege veteri cautum erat, ut ab altaris ministerio prohiberetur, si quis esset „ caecus, si claudus, si parvo, vel grandi, vel „ torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si „ albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem „ in corpore, vel herniosus (1) „. Sed haec caeremonialia veteris „ legis peaecepta desierunt. Antiqui Ecclesiae canones potius vitia mentis, atque animi, quam corporis notari voluerunt (2); hujus autem causa eos tantum ab ordinibus arcebant, qui eorum munera obire non poterant, vel qui sibi sponte, ac sine causa partem aliquam corporis absciderant (3). Labentibus annis recepta est disciplina, ut corpore vitiati ab ordinibus prohibeantur (4).

(1) Levit. *cap. XXI. ver.* 18. *ad* 29.

(2) Canones Apostolorum 77. et 78. apud Beveregium *Pandect. Canon. tom.* 1. *pag.* 50. *et seq.* » Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblaesus, Epi- » scopatu autem dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed » animae inquinatio. Qui autem est surdus, et caecus, ne sit Episcopus, non » ut pollutus, sed ne ecclesiastica impediantur ». Facit etiam id, quod Socrates *Histor. Eccles. lib.* 4. *cap.* 23. *pag.* 204., et Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 30. *pag.* 241. narrant de Ammonio Anachoreta, qui cum sibi auriculam praecisisset, ne Episcopus fieret, id ei impedimento esse non potuit, posteaquam intellectum est „ Judaeis quidem haec observanda esse; Ecclesiam vero de corpore

» non curare, dummodo sacerdos integer sit moribus » Idem scribit Palladius
» *Histor. Lausiac. cap.* 12. apud Ros-weidum *vit. Patr. pag.* 947. *edit. Antuerp.* 1611., qui narrat Timotheum Episcopum dixisse » si dederitis mihi
» aliquem etiam naribus truncum, sed moribus probum; non enim dubitabo
» Episcopum facere ».

(3) Canon Apostolorum 22. et 23. *loc. cit. pag.* 15., Concilium Nicoenum *can.* 1. *tom.* 2. *Concil. col.* 34., Arelatense II, *can.* 7. *tom.* 5. *col.* 3. Origenes falsae pietatis opinione sibi ipsi viriles partes amputavit, sicuti narrat Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 8. *pag* 230., quod facinus postea originem dedit haeresi, quam Epiphanius *haeres.* 38. *sive* 58. *lib.* 2. *tom.* 1. *pag.* 489. *edit. Coloniae* 1682., et Augustinus *de haeres. cap.* 37. *tom.* 10. *opp. col.* 12. appellant *Valesiorum* » qui et se ipsos castrant, et hospites suos » hoc modo existimantes Deo se deberet servire » Leontius Antiochenus Presbyter, qui se ipsum absciderat, gradu motus est, et hinc date occasio condendi canonis Nicoeni, cujus paulo ante facta mentio est, uti narrat Socrates *Histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 26. *pag.* 230., et cum deinceps ab Arianis Antiochenus Episcopus ordinatus fuisset, catholici aegre tulerunt hanc ordinationem, quae Nicoeno canoni adversabatur, uti tradit Theodoritus *Histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 24. *pag.* 94. Hic autem canon ad eos pertinet, qui se ipsos sua sponte absciderunt. Nam » Eunuchus, si ex hominum quidem » injuria factus sit, vel in persecutione virilibus privatus sit, vel sic na» tus est, et dignus est, fiat Episcopus » uti habet Canon Apostolorum 21. *loc. cit. pag.* 14. Sic Dorotheus apud Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 32. *pag.* 230. Melitho, et alii, sic Germanus, et Ignatius a violentia eunuchi facti sunt, neque sunt habiti irregulares. Ivo Carnotensis *ep.* 231. *opp. par.* 2. *pag.* 98. *edit. Paris* 1647. loquitur de Monacho Cluniacensi, qui propter languorem eunuchus factus fuit, neque irregularis evasit, aliaque hujusmodi exempla refert Theophilus Reynaud *op. de Eunuchismo.* Idem esto judicium de iis, qui aut in cunalibus, aut ob infirmitatem cum consilio medicorum eunuchi facti sunt: *Cap.* 3. *et* 5. *de corpor. vitiat.* Vide Ivonem Carnotensem *ep.* 231. *opp. par.* 2. *pag.* 98. Quod autem dixi de iis, qui sibi sua sponte virilia amputaverant, id generatim obtinuit adversus omnea, qui sibi alias corporis partes praeciderant, et forte unicum, quod contra proferri potest, exemplum illud est, quod narravimus de Ammonio, qui tamen Episcopus ordinatus non fuit.

(4) Disciplina, qua corpore vitiati nullo discrimine ab ordinibus prohibentur, saeculo V. vigebat, sicuti patet ex Concilio Romano habito an. 495. Hilaro Pontifice *can.* 3. *tom.* 5. *Concil. col.* 87., quem canonem Gratianus describit *can.* 3. *dist.* 55.

§. II. Sacri canones arcent universe ab ordinibus omnes, qui corpore vitiati sunt (1); at difficile est definire, quae speciatim corporis vitia impedimento sint, quae contra non sint. Tenenda est regula, generatim irregulares habendos esse omnes, quibus summa deformitas est, adeout risum, aut stomachum moveant, quique tali corporis vitio laborant, quo vel omnino non possunt, vel possunt non facile, et non decore sacra officia exercere (2). Facilius est de hoc postremo vitio, quam de altero, quod pertinet ad corporis pravitatem,

judicare. Neque enim valde difficile est intelligere, irregulares habendos esse surdos, mutos, coecos, vel etiam uno oculo orbatos, praesertim sinistro (3), quem oculum canonis appellamus, paralıticos, laborantes morbo comitiali, aut eo, quo mens fere alienetur, carentes manu, aut pede, aut etiam digito ad frangendam hostiam necessario, pollice nimirum, atque indice (4), qui pedibus stare, et consistere non possunt (5). Hi omnes ordinum officia gerere propter corporis infirmitatem nequeunt; ideoque ab illis repelluntur. Idem debet esse judicium de alia qualibet corporis imbecillitate, quae eadem munera aliquem obire non sinat.

(1) Can. 1. *dist.* 33. *can.* 1. *dist.* 36. *can.* 1. *dist.* 55.

(2) Cap. 10. *de renunciat. cap.* 1. *et ult. de corpor. vitiat. cap.* 2. 3. 4. *de cleric. aegrotan. can.* 2. *caus.* 7. *quaest.* 2.

(3) Nullum inter dexterum, aut sinistrum oculum discrimen constituitur in *can.* 13. *dist.* 55., quem Gratianus tribuit Gelasio; Ivo Carnotensis *decret. par* 6. *cap.* 111. *opp. par.* 1. *pag.* 206. *edit. Paris.* 1647., quem sequitur Mansius *supplem. ad Concil. Labbaei in Pelagio tom.* 1. *col.* 440. *edit. Lucae* 1748, Pelagio; sed neutri adscribendum putat Carolus Berardus *Gratiani canones genuini ab apocryphis discretis par.* 2. *tom.* 1. *cap.* 46. *pag.* 355. *seqq. edit. Venet.* 1783. Itaque quod dici solet de oculo sinistro, sive *canonis* eo tantum spectat, ut cum in eo vitium inest, difficilius venia concedatur, quoniam permittendum est, ut immutato in celebratione Missarum ritu Sacerdos canonis tabellam legat in medio altari collocatam.

(4) Cap. 1. *de corpor. vitiat.* Innocentius I. *ep.* 38. *ad Felicem Episc. Nucerin. num.* 2. apud Coustantium *ep. Roman. Pontif. col.* 911. » In his, » *inquit*, clericos, quos constituas, non habere, aliquos vero mutilos, aliquos vero bigamos esse » Quidam loco vocis *mutilos* legendum putant *murcos*, quae vox eodem redit. Nam *murci*, ut ait Ammianus Marcellinus *lib.* 15. *n.* 12. *pag.* 65. *edit. Lipsiae* 1773. dicebantur, qui martium munus pertimescentes pollicem sibi praeciderant; qua de re videnda est *L.* 5. *Cod. Theodos. de tiron. tom.* 2. *pag.* 376. ibique Gothofredus, et videndus Menagius *amoenit. jur. cap.* 3. *pag.* 9. *seqq. edit. Neapol.* 1779.

(5) Can. 5. *dist.* 1. *de consecr. ibique Glossa verb. cum baculo.*

§. III. Paulo difficilius de deformitate judicium est. Cum ea perinsignis omnium oculis apparet, gravemque offensionem parit, qui ea tenetur procul ab ordinibus esse debet. Qui monstro similes, qui perridicule gibbi, aut pusilli, qui ita claudi sunt, ut sine fulcro incedere nequeant, qui lepra laborant (1), irregulares habentur (2); sed non eodem jure censentur illi, quorum leve vitium est, ut si quis maculam habeat in oculo, aut ungulam digiti amiserit, modo frangere sacram Hostiam possit (3). Sunt haec exempli causa propo-

sita, ex quibus de reliquis, quae evenire possunt, facienda est conjectura. Nam si qua oriatur dubitatio, res omnis ab Episcopo definitur, cujus est judicare, num tanta sit corporis turpitudo, quantam canones postulant, ut quis ab altaris ministerio repellatur (4).

(1) Can. 3. *dist.* 49.
(2) Cap. 4. *de cleric. aegrotan.*
(3) Cap. 2. *et* 7. *de corpor. vitiat.*
(4) Can. 3. *dist.* 33. *Cap.* 2. *de corpor. vitiat.*

§. IV. Saepe emergit vitium, de quo dubitatur, num tale sit, quod impedimentum praebeat, et tunc Episcopus, indicta interea suspensione ab ordine, si ita expedire pro adjunctis putet, certa tempora definit, intra quae de vitii natura, ac veritate judicetur (1). Quid vero si vitium perspicue demonstratum fuerit, eaque de causa vitiosus clericus a sacris ministeriis sese abstinere jussus fuerit, hic vero contendat, sese ab eo morbo convaluisse? Annus est expectandus, ut eo temporis intervallo nosci possit, vera ne sint, quae de recuperata valetudine a clerico proponuntur (2). In hoc irregularitatis genere duo observanda sunt. Primum est, quod aliquis irregularis esse potest pro uno ordine, non item pro altero, cujus scilicet commode potest fungi munere; alterum, quod vitium, sive defectus in causa est, ne quis accipiat ordines, aut beneficia, sed vitium postea contractum facit quidem, ut clericus haud gerat ordinum officia, non item ut a beneficii, quo fruitur, commodis repellatur (3).

(1) Can. 2. *caus.* 7. *qu.* 2., ubi licet ejus rei gratia triginta dies constituantur, non inde tamen sequitur, ut idem temporis intervallum universe constituendum sit, cum potius id ad singularem propositam facti speciem referatur. Eoque magis, quod non eadem in omnibus codicibus occurrit lectio, cum in aliquibus pro voce *triginta*, legatur *octuaginta*, uti a Romanis Correctoribus animadversum est.

(2) Concilium Toletanum an. 675. *can.* 13. *tom.* 7. *Conc. col.* 569. quem canonem Gratianus *can.* 3. *dist.* 33. perperam adscribit Pio P.

(3) Can. 1. *dist.* 36. *can.* 12. *dist.* 35. *can.* 1. *caus.* 7. *q.* 1. *cap.* 2. 3. 5. 6. *de cleric. aegrot. cap. unic. eod. in* 6.

DE BIGAMIS
NON ORDINANDIS

TITULUS XXI.

I. Triplex bigamia.
II. An bigamus habendus sit qui unam uxorem ante baptismum, alteram post baptismum duxit?
III. Unde bigamiae affixa irregularitas repetenda sit?
IV. An qui primum legitimum, postea illegitimum matrimonium contraxit, bigamus sit?
V. Poenae contra bigamos constitutae.

Lib. 1, *tit.* 12. in 6. Decretum *dist.* 26. 27. 33. 34., *et caus.* 28, *q.* 3. Trident. *sess.* 23, *cap.* 17.

§. I.

De bigamis non ordinandis vetustissima disciplina est, quae vel ipsum Paulum Apostolum habet auctorem (1); et hinc recentiores Pontifices Patrum vestigiis insistentes, quoties ea de re disputandi locus occurrit, semper id, quod proposuerant, Apostoli auctoritate confirmarunt (2). Simplex initio erat haec doctrina, eaque nonnisi veram bigamiam comprehendebat; accesit deinceps altera; denique Scholastici mediae aetatis, ut diversa componerent, ac studiosorum commoditati consulerent, triplicem statuerunt, primam, quam veram, alteram, quam interpretativam, postremam, quam similitudinariam appellarunt. Scholasticos sequuti sunt Pragmatici, et hodie triplex haec bigamiae distinctio ubique recepta est. Vera, ac propria bigamia est, quam Apostolus memorat, et cui vetusti canones irregularitatem affixam voluerunt, quaeque redigitur ad duplex conjugium; cum quis videlicet vel unam post aliam, vel plures simul conjuges habuit. Interpretativa bigamia dicitur, in qua non re, sed interpretatione quadam duplex matrimonium consideratur, veluti si quis ducat uxorem alio marito viduatam (3), aut ab alio corruptam, antequam suo se immisceret conjugi (4); denique similitudinaria, cum quis matrimonium contraxit, ostquam solemne castitatis votum emisit (5).

(1) Apostolus I. *ad Timot. cap. III. ver.* 2., ad Titum *cap. I. ver.* 6. Quo Apostoli testimonio utitur Bellarminus *de cleric. lib.* 1. *cap.* 23. *pag.* 150. *seqq. tom.* 2. *opp. edit. Venet.* 1721., ut hanc irregularitatem probet.
(2) Cap. 2. *et* 3. *de bigam. non ordinan.*
(3) Can. 59. *dist.* 50.
(4) Can. 2. *dist.* 33. *can.* 11. *et* 12. *dist.* 34. *cap.* 1. *de bigam. non ordinan.*
(5) Cap. *ult. eod.*

§. II De vera bigamia vetus quaestio fuit, in qua ipsi Sancti Patres, ac prae ceteris Augustinus, et Hieronymus inter se disputarunt (1); num qui duas habuisset uxores, unam ante baptismum, alteram postea, irregularis videretur, atque esset revera. Tota haec disputatio referebatur ad praeceptum Apostoli, qui unius tantum uxoris virum ordinari volebat; erat autem uxor utraque mulier, quae ante baptismum, et quae postea ducta fuerat. Contra qui pro alia pugnabant sententia ajebant, per baptismum novum fieri hominem, cunctaque deleri, quae pridem gesta fuerant. Potior est habita, et ubique recepta Augustini sententia, postquam eam Innocentius I. approbavit (2). Non enim matrimonium crimen est, quod baptismo deleatur, semperque bigamus est judicandus, qui duas uxores habuit.

(1) Can. 1. *et* 2. *dist.* 26.
(2) Innocentius I. *epist.* 2. *ad Victricium cap.* 4. *col.* 750., *et epist.* 17. *ad Macedon. Episc. cap.* 2. apud Coustantium *epist. Rom Pontif. col.* 831. Vide etiam Leonem M. *epist.* 5. *ad Episc. Metropol. Illyric. cap.* 3. *col.* 618., *et epist.* 6. *ad Anastas. Thessalon. cap.* 3. *opp. tom.* 1. *col.* 621., et Ambrosium *de offic. ministr. lib.* 1. *cap.* 50. *opp. tom.* 3. *pag.* 78.

§. III. Irregularitatem, quae ex bigamia procedit, vetusti Patres repetunt ex quadam incontinentiae nota, quam multarum nuptinarum homo videtur contraxisse (1). Quare ea tempestate obscurum esse non poterat, irregulares esse habendos non tantum iterati matrimonii viros, qui quidem non satis continentes dici poterant, at nullo tamen scelere astringebantur, sed multo magis concubinarios, stuprique, et adulterii reos, quorum erat manifestum crimen (2). Verum recentiori aetate, praesertim postquam mitius agi coepit cum reis criminum, iique passim post actam poenitentiam inter clericos cooptati sunt, fons, et caput hujus irregularitatis positum est in defectu significationis sacramenti, propterea quod conjunctionem Christi cum Ecclesia repraesentare non potest bigamus

matrimonium (3). Nunc igitur ubi conjunctio non est matrimonium, ibi non est irregularitas bigamiae, non quod plus nefariae libidini, quam secundis nuptiis tribuendum sit, sed quod nulla conjunctio extra matrimonium referre potest sacramenti significationem. Hinc intelligimus, quare irregularis haberi non debeat, qui plures habuit concubinas, quique se stupris, et incestis contaminavit (4); neque item ulla irregularitate teneatur qui alienam viduam, sed a viro non compressam uxorem accepit (5).

(1) S. Joannes Chrysostomus *in ep. ad Titum opp. tom.* 11. *pag* 738. explicans illa Apostoli verba *oportere Episcopum esse unius uxoris virum* habet haec » Eademque opera impudicos castigat, non sinens eos post secun- » das nuptias ad Ecclesiae regimen assumi » Origenes *in Jeremiam hom.* 19. *et in Lucam hom.* 17. *opp. t.* 3 *p.* 267., et 953., S. Hermas Pastor *lib.* 2. *mand.* 4. *cap.* 4., ibique Cotelerius *in not. tom.* 1. *PP. Apostol. pag.* 90., S. Cyrillus Jerosolymitanus *catech.* 4. *num.* 26. *pag.* 64., Tertullianus *ad uxor. lib.* 1. *cap* 7. *pag.* 165., S. Hieronymus *in ep. ad Titum cap.* 1. *tom.* 7. *col.* 696., Theophilactus *in eamd. epist. pag.* 626. *edit. Venet.* 1754.

(2) Can. 1. *dist.* 28. *can.* 1. *et.* 7. *dist.* 33. *can. et* 34. *dist.* 50.

(3) Forte saeculo XII. et XIII. receptum est generatim, ut bigamiae irregularitas ex defectu significationis sacramenti repeteretur. Sed non ea res tunc primum reperta est; quoniam multo ante ejusdem meminerunt S. Augustinus *de bon. conjug. cap.* 18. *opp. tom.* 11. *col.* 747., et S. Leo M. *ep.* 12. *cap.* 3, *opp. tom.* 1. *col.* 660. Eodem est referendus Augustino et Leone aetate recentior S. Gregorius M., cum inquit *ep.* 54. *lib.* 2. *tom.* 2. *opp. col.* 622., bigamos ab ordinibus esse repellendos, *ne sacramentum utique corrumpatur.*

(4) Cap. 6. *de bigam. non ordinan. can.* 7. *dist.* 34.

(5) Cap. 5. *de bigam. non ordinan.*

§. IV. At de eo, qui duplex matrimonium, alterum rite, et recte, alterum contra jus fasque conjunxit, quaesitum est, num hic irregularis esset. Perdifficilis videbatur hujus quaestionis definitio, quoniam innuptae erant secundae nuptiae, et ideo bigamiae irregularitas procul esse videbatur. Innocentius III. in utramque partem de more Scholasticorum ejus aetatis argumenta proponit, atque initio statuit id, quod tunc generatim, saltem in Latina Ecclesia, receptum erat, bigamos ab ordinibus esse repellendos propter defectum significationis sacramenti. Exinde conficit, eum, de quo quaerebatur, proprie bigamum dici non posse; sed tamen eumdem ab ordinibus procul esse oportere pronunciat „ non propter sacramenti defe- „ ctum, sed propter affectum intentionis cum opere sub- „ secuto „ (1).

§. V. Reliquae sunt poenae indictae tum contra bigamos, tum contra Episcopum, qui eosdem ordinavit. Illi igitur omnia amittunt clericorum privilegia, atque ab omnibus ordinum muneribus exercendis excluduntur (1). Episcopus vero, qui non primum a Summo Pontifice impetrata venia bigamum ordinavit, per annum a Missae sacrificio abstinere se debet (2), atque etiam potestate, et officio ordinandi privatur (3). In quo mihi quidem videtur aliquis adhibendus modus, ut non omnis irregularitas, quod a Pragmaticis fieri solet, sine ullo discrimine una et eadem lege comprehendatur. Episcopum, qui contra praeceptum Apostoli bigamum ordinum honore decoravit, eorum conferendorum potestate privari voluit Lucius III. (4), legemque tulit quae tantum veros bigamos, qui scilicet non sunt unius uxoris viri, hoc nomine videtur comprehendere. Cur legem producimus ad eos, qui proprie bigami non sunt, sed qui tantum per similitudinem, atque interpretationem bigami existimantur? Statuit Concilium Arelatense (5), ut anni spatio Missam celebrare non debeant qui aut bigamos, aut viduarum maritos ordinarunt. Cur id, quod tantum de vera, atque interpretativa bigamia sancitum est, etiam in similitudinariam cadere posse arbitrabimur (6)? Simili modo quod a Lucio III. (7) sancitum est, bigamis dari vix posse veniam ad ordines suscipiendos contra Apostoli praeceptum, id tantum videtur coercendum ad eos bigamos, de quibus Apostolus loquitur, qui scilicet vere tales sunt, quia plures uxores habuerunt. Denique quod de bigamis arcendis a privilegiis clericorum decretum est (8), id minime trahendum videtur ad eos, quos nunc bigamiae similitudo, et imago bigamos facit, quique illa aetate earum nomine non comprehendebantur. Solus Pontifex lege solvit bigamos, itaut ordines consequi possint; sed cum vera bigamia est, difficillime, ac tantum ex gravissimis causis venia conceditur (9).

(1) Cap. 2. *de bigam. non ordinan. Cap. unic. de bigamis in* 6,
(2) Can. 2. *dist.* 55.
(3) Cap. 2. *cit.*
(4) Ibidem.
(5) Concilium Arelatense *cit. can.* 2. *dist.* 55.

(6) S. Leo M. ep. 12. *cap.* 5. *et ep.* 14. *cap.* 3. *opp. tom.* 1. *col.* 674. *et* 687. *edit. Fratr. Ballerin. Venet.* 1753. tantum memorat bigamiam veram, atque interpretativam, eosque, qui alterutra tenentur, ne ob necessitatem quidem lege solvendos judicat.

(7) Lucius III. *cit. cap.* 2.

(8) Gregorius X. *cap. unic. de bigam. in* 6. Negat *Gloss. in cit. cap.* 2. Summum Pontificem adversus veram bigamiam dispensare aliquem posse; sed plerique interpretes id ab eo recte fieri defendunt, quoniam eadem ad jus divinum referri non potest, uti inter ceteros ostendunt Gonzalez *in cap.* 5. *de bigam. non ordinan. num.* 7., et Schmalzgrueber *Jus Ecclesiast. univers. par.* 3. *tit.* 21. *num.* 13. *seq.*

(9) Cum agitur de bigamia similitudinaria etiam ab Episcopo, post actam poenitentiam, recte veniam concedi monet Giraldius *Exposit. Jur. Pontific. par.* 1. *tit.* 21. *sect. sess.* 135. *tom.* 1. *pag.* 86.

DE CLERICIS PEREGRINIS

TITULUS XXII.

I. Clerici in aliam dioecesim abeuntes proprii Episcopi literis opus habent.

II. Quae laica, quae peregrina communio sit?

III. Clericus peregrinus sine literis Episcopi in aliena dioecesi neque ad divina celebranda, neque ad administranda sacramenta admittendus est.

Decretum *dist.* 71. 72. 73. 98. *et c.* 7. *q.* 1. *Trident. sess.* 22. *cap.* 16. *de reform.*

§. I.

Reliqua erat haec tractatio, quae ad ordinationes pertinet, *de clericis peregrinis* temere non ordinandis vel instituendis sine literis Episcopi, cui subjecti sunt. Summa hujus ecclesiasticae constitutionis ratio haec est, quod rectus rerum ordo perturbatur, et canonica regula confunditur, si cuivis liceat alienos clericos ordinare, vel instituere, et unusquisque Episcopus suam habet certis terminis circumscriptam potestatem, neque jus ullum in alienos subditos exercere potest (1). Accedit, quod clerici ignoti, ac peregrini nullum firmum, et grave testimonium dare possunt ordinationis suae, vitaeque actae, et morum, et instituti, neque obscuris hominibus ecclesiasticos ordines, atque officia sacri canones committi sinunt (2). Itaque omnes clerici qui in aliam abeunt dioecesim, opus habent literis proprii Episcopi, tum ut ejus potestate solventur, tum, ut constet, quibus praediti sint moribus, quod eorum sit vitae institutum, quae doctrina, quae pietas, quibus ordinibus initiandi sint. Huc sane spectabant veteres literae formatae, quarum species erant dimissoriae, et commendatitiae, uti supra demonstratum est; et si qui sine his literis in aliena dioecesi vagaretur clericus, is neque aliorum clericorum comunione fruebatur, neque suorum ordinum muneribus fungi poterat.

(1) Quod de civilibus quoque Magistratibus constitutum est in *L. ult. ff. de offic. Praefect. Urb.*, et *L. ult. ff. de jurisd. omn. judic.*

(2) Canon Apostolorum 12. *loc. cit. pag.* 7., Concilium Antiochenum *can.* 7. *tom.* 2. *Concil. col.* 590., Chalcedonense *can.* 13. *tom.* 4. *Concil. col.* 1687. » Externos clericos, et ignotos, *inquit*, in alia civitate sine pro» prii Episcopi commendatitiis literis nusquam ullo modo ministrare » Quam veram hujus canonis lectionem esse monet Cujacius *in Novel.* 3. *opp. tom.* 2. *col.* 901. *edit. Venet. indic.*, loco verbi ἀναγνώστας. quo *Lectores* significantur, in graeco textu usurpato verbo ἀγνῶτας, quo *ignoti* comprehenduntur. Atque ad hunc modum emendandus est Gratianus *can.* 2. *dist.* 71.

§. II. Itaque hi *clerici peregrinam communionem* habere dicebantur; sed haec in ipsis poena non crat (1), uti similiter *laica communio* laicis poenae loco non habebatur. Poena erat, cum clerici propter scelus deterioris conditionis fiebant, clericus nimirum tamquam laicus, et clericus non peregrinus tamquam peregrinus existimabatur. Alter *laicam*, quae gravior erat, alter *peregrinam*, quae erat levior, communionem accipiebat (2). Poena *laicae communionis* in eo erat posita, ut clerici non amplius clerici, sed laici haberentur; at vero *communio peregrina* in eo consistebat, ut clerici non peregrini eodem, quo clerici peregrini, jure censerentur (3). Illi spem nullam habebant restitutionis, quoniam perpetuo de omni gradu dejecti, ac tamquam laici habebantur; hi vero post actam privatam poenitentiam gradum suum repetebant, gerebantque munera, quae suorum ordinum propria erant. Uno verbo *laica communio* similis erat depositioni, aut degradationi; *peregrina* autem suspensioni. Nunc eo redeamus, unde discessimus, ut pauca diceremus de his duabus communionibus, *laica*, et *peregrina*, quarum in Ecclesiasticis monumentis frequens mentio est.

(1) Peregrini sunt, quos τοὺς ξένους *externos* vocat canon Apostolorum 33. apud Beveregium *pandect. canon. tom.* 1. *pag.* 21., vulgo *alieni* vocantur, qui nempe sunt ex alia parochia, sive dioecesi *can.* 1. *dist.* 71., et ex aliena *cathedra* Concilium Milevitanum II. *can.* 21. *tom.* 3. *Concil. col.* 385. De his *cit. canon. Apostolor.* sancitum est » Nullus externorum Episcoporum, » vel Presbyterorum, vel Diaconorum sine commendatitiis recipiatur: his » vero allatis, examinentur. Et si fuerint praecones pietatis, recipiantur. Sin » minus, iis, quae sunt necessaria, illis exhibitis, ad communionem eos ne » admittatis. Multa enim per subreptionem fiunt ». Concilium Laodicenum *can.* 41. *tom.* 1. *Concil. col.* 1538., Antiochenum *can.* 7. *ibid. tom.* 2. *col.* 590., Milevitanum *loc. cit. can.* 20.

(2) Concilium Agathense *can.* 2. *tom.* 5. *Concil.* 521., et Ilerdense *can.* 16. *ibid. tom.* 5. *col.* 754. Regense *can.* 3. *ibid. tom* 4. *col.* 535. de Ar-

mentario, qui Ebredunensis Episcopus perperam ordinatus fuerat, habet haec » Liceat ei in unam Parochiarum suarum Ecclesiam concedere, in qua aut » Chorepiscopi nomine, aut peregrina, ut ajunt; communione foveatur ». Tum quasi explicari velit, in quo consistat haec peregrinae communionis poena, qua Armentarius plectebatur, pergit his verbis » Additur ne umquam in civitatibus, nisi sub Episcoporum absentia, offerre praesumat, » nec ordinare vel ultimum clericum, nec in eadem quidem Ecclesia, quae » illi cujuscumque misericordia fuerit attributa, nec ulli Episcoporum vel » succedente aetate, assumpto aliquo in rudimentis suis huic in aliquo qua- » si pro aetatis reverentia, cedere liceat, nec usquam ipsi quidquam de epi- » scopalibus officiis usurpare, praeterquam in Ecclesia, quam cujusquam mi- » sericordia fuerit adeptus, in qua ei solum neophytos confirmare, et an- » te Presbyteros offerre conceditur ».

(3) Haec de laica, ac peregrina communione sententia est Sirmondi *Histor. poeniten. public. c. ult. opp. t. 4. p. 345. ed. Venet.* 1728., et Albaspinaei *observ. l. 1. c. 3. p. 4. ed. Neapol.* 1770., quos sequitur Bona *rer. liturgic. l. 2. c. 19. §. 6. t. 1. p. 421.*, eaque caeteris, quae circumferuntur, praeferenda videtur. Late de utraque hac communione actum est *in Instit. Jur. Canon. l. 1. tit. 8. sect. 4. §. 19. not. 2. t. 1. p. 385. seqq.* Extat apud Fleuryum *disciplina populi Dei t. 2. p. 63. ed Venet.* 1782. Jo. Cabassutii Dissertatio *de Communionibus laica, et peregrina.*

§. III. Clerici igitur ignoti, et peregrini non solum ab alieno Episcopo ordinandi non sunt, nisi sui habeant literas dimissorias (quod ad omnes alienos subditos pertinere demonstravimus) sed ne ipsis quidem danda facultas est suorum ordinum munera exercendi, aut conficiendi rem divinam, nisi aut ex proprii Episcopi testimonio, aut ex aliis idoneis monumentis comperta sit eorum ordinatio (1). Cum enim ea suspecta sit, et ignotus clericus vel suspensus, vel criminosus, vel excommunicatus esse possit, omnis est removenda suspicio, antequam ei ecclesiastica officia permittantur. Et in transmarinis quidem regionibus metu Arianae perfidiae, praeter literas proprii Episcopi, et alia quinque Episcoporum testimonia proferri voluit Sylvester Pontifex (2), quam disciplinam et Anastasius I. (3), et Alexander III. (4) retinendam statuerunt. Sed hodie huic antiquo juri a Synodo Tridentina derogatum est. Nunc igitur satis est proferre literas commendatitias proprii Episcopi, ut Ordinarius dioeceseos, in qua versatur clericus peregrinus, eumdem admittat ad divina celebranda, et administranda sacramenta; verum his omnibus interdicendus est tum publice, tum privatim (5), atque etiam in ecclesiis exemptis Regularium (6), vagus ignotusque clericus, quamquam juratus sacerdotem se esse affirmet (7), nisi easdem literas exhibuerit.

(1) Cap. 3. *de cleric. peregrin.*
(2) Can. 1. *dist.* 98.
(3) Can. 2. *dist.* 98.
(4) Cap. 1. *de cleric. peregrin.* Aliud tamen sancitum est ab Innocentio III. *in cap.* 2. *eod. tit.* de clericis admittendis a Patriarcha Constantinopolitano sine dimissoriis literis, si modo, ut ait, ex legitimis argumentis de eorum ordinatione constiterit. Verum haec sanctio Innocentii videtur continere jus singulare pro clericis Latinis, quos capta Constantinopoli a Francis, et Venetis in Ecclesia Orientali, quae antea schismatica erat, Constantinopolitanus Antistes instituere cupiebat. Simili modo *in cap. ad decorem* 5. *de institut.*, ut ibi observat *Glossa*, contra communes regulas eidem Constantinopolitano Antistiti extraneorum clericorum ordinatio permittitur.
(5) Concilium Tridentinum *sess.* 22. *in decret. de observan. et evitan. in celebrat. Miss.*, et *sess.* 23. *cap.* 16. *de reform.* Atque hec quidem synodi Tridentinae lege abrogatum est jus comprehensum *in cap.* 3, *de cleric. peregrin.*, ubi Innocentius III. rem divinam etiam sine Episcopi literis, aliisque testimoniis facere permittit iis, qui *secreto ex devotione celebrare voluerint.*
(6) Consule Benedictum XIV. *Instit. eccles. inst.* 34. §. 1. *pag.* 79, *edit. Venet.* 1760. *et de Synod. dioeces. lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 5. *tom.* 1, *pag.* 522. *edit. Ferrar.* 1764.
(7) Cap. 2. *de cleric. peregrin.* Fieri tamen aliquando potest, ut proprium etiam alicujus Sacerdotis juramentum ab Episcopo petitum probari possit, adeout ei rei divinae secreto conficiendae facultas concedatur. Scilicet si quis casu aliquo, ex. gr. injuria belli, naufragio, aut vi latronum proprii Episcopi literas amiserit, is per testes fide dignos ordinationem suam demonstrare potest. Quod si testes desunt, ea res comprobatur per juramentum, quod tamen non ab ipso Sacerdote sua sponte offertur, ut *in cit. cap.* 2., sed ab Episcopo exigitur. Confer Giraldium *loc. cit. sect.* 138. *pag.* 87.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI

TITULUS XXIII.

Decretum *can.* 1. *dist.* 25. §. *ab Archidiacono can.* 8. *dist.* 74. *et can. ult. dist.* 94.

§. I.

Hactenus de iis actum est, quibus ordines conferuntur; nunc de iis agitur, qui et ordinibus insigniti sunt, et habent in Ecclesia officia, personatus, dignitates, magistratus. Horum omnium non eadem ratio, eademque potestas est. Proprie officium habere dicuntur, qui certo addicti sunt muneri, sed nullam habent honoris praerogativam, et nullam in foro externo jurisdictionem; personatum qui illa tantum fruuntur, altera prorsus carent; dignitatem qui utramque obtinent. Hi postremi inter minores ecclesiasticos magistratus referuntur (1); nam majores sunt Episcopi, penes quos supra ceteros universa jurisdictio est (2). De officiis, ac dignitatibus clericorum acturus Raymundus orditur ab Archidiaconis, qui inter ceteros principem locum tenent.

(1) Ulpianus Magistratum generatim interpretatur eum, qui in potestate est; eumdemque ita describit Cujacius *in lib.* 1. *respons. Papinian. ad L. ult. de offic. Assessor. opp. tom.* 4. *col.* 772. » Is est Magistratus » quicumque jurisdictioni praeest, qui jurisdictionem habet, quam exer» ceat publice » Quisquis igitur in civili republica jurisdictionem habet, civilis magistratus, qui vero in Ecclesia, magistratus ecclesiasticus est.

(2) Quae de Presbyterorum potestate memorat Curaltius *loc. cit. cap.* 25. *pag.* 141. *seqq.*, atque Auctor notarum in eumdem late a nobis explicata sunt *tom.* 1. *cap.* 6. §. 13. *pag.* 128. *seqq.*, et ideo nihil hic addemus, ne actum agere videamur.

§. II. Decretales Gregorii IX. post Episcopum summam tribuunt potestatem Archidiacono, et Archipresbytero, sed ille quamquam inferior esset ordine, erat tamen jurisdictione superior (1). Ejus origo antiquissima est; sed qui eam a prima ipsa Diaconorum institutione repetendam putant (1), ii nihil affirmare potuerunt, nisi sententiam, et opinionem suam. Auctor Pontificalis (3) memorat Stephanum Archidiaconum S. Lucii Pontificis, et S. Stephanum S. Sixti II. Archidiaconum; qui duo medio III. saeculo floruerunt; recentiori autem aetate, hoc est saeculo IV., frequens est Archidiaconorum mentio (4). Princeps ipse erat Diaconorum, et crebile est, ecclesiasticis officiis inter clericos distributis unum ex Diaconis fuisse datum, qui ceteris praesideret. Fuerit ne Archidiaconus a Diaconus electus, an potius ab Episcopo constitutus, vetus quaestio est, quae nondum perspicue definiri potuit (5). Fortasse Diaconis eligebatur, seu potius designabatur, qui eorum collegio praeesset; Episcopus vero, cum nihil obstare intellexerat, ratam habebat electionem, et sic ejus auctoritate Archidiaconus administrationem suscipiebat, omnemque jurisdictionem consequebatur. Ita mihi ad concordiam revocari videntur posse antiqui scriptores, quorum alios a Diaconis electos, alios ab Episcopo constitutos Archidiaconos tradiderunt. Tum hic, tum illi suas habuerunt in eo negocio partes; sed inutilis fuisset Diaconorum electio, seu designatio, nisi Episcopi accessisset auctoritas, a qua proprie Archidiaconus constituebatur.

(1) Cap. 1. *de offic. Archipresbyt.*; atque *in Cap.* 1. *de aetat. et qualit. et ordin. praefic.* scripturae ordin. Archidiaconus praefertur Archipresbytero; sibique injuriam fieri putabat, si Presbyter ordinaretur, uti testatur Hieronymus *in Ezechiel, cap.* 48, *opp. tom.* 5. *col* 607. Est et Isidori nomine apud Gratianum *can.* 1. *dist.* 25., cujus haec verba sunt „ Archipres„ byter vero se esse sub Archidiacono, ejusque praeceptis, sicut Episcopi „ sui, sciat obedire,„ Sed Romani Correctores observant, verba haec non extare in ipsa Isidori epistola, quae est ad Ludifredum data: neque apud Ivonem *in Panormia lib.* 3. *cap.* 41. ubi haec epistola refertur. Extant tamen in decreto Ivonis *par.* 6. *cap.* 20., unde ea forte Gratianus sumpsit, atque in sua decretorum collectione descripsit. Similiter quod *in Cap.* 1. *de offic. Archipresbyt.* Toletano Concilio tribuitur de Archidiaconi supra Archipresbyterum potestate, id in nullo Toletano Concilio reperiri animadvertunt viri eruditi, quos inter videntur Hallierus *de ecclesiat. hierarch. lib.* 4. *de jurisd. hierarch. art.* 3. *pag.* 869. *edit. Paris.* 1656., et Gonzalez *in d. cap.* 1. *de offic. Archipresbyt.*

(2) Confer Isaacum Habertum *not. in Pontific. Graecor. observ.* 6.

(3) Anastasius *in Lucio I. et in Sixto II. tom.* 1. *pag.* 54. *et* 59. *edit. Vignoli Romae* 1724. Quod si verum est, haud sane rejicenda videtur Priorii conjectura, qui Archidiaconum fuisse putat Nicostratum illum, cujus meminit Cyprianus *ep.* 52. ad Cornelium P. *pag.* 237, *edit. Amstelod.* 1700. Nam Lucius, quem Archidiaconum habuisse scribit Anastasius, proximus successor fuit S. Cornelii, ad quem Cyprianus eas literas dedit, et Nicostratus, uti idem Cyprianus testatur, *diaconium sanctae administrationis amiserat*, quod Archidiaconi proprium munus est.

(4) S. Hieronymus *ep.* 125. *ad Rusticum num.* 15. *et ep.* 145. *ad Exuperantium num.* 1, *tom.* 1. *opp. col.* 912. *et* 1082.: S. Joannem Chrysostomum Serapionem Archidiaconum constituisse narrat Sozomenus *Histor. Eccles. lib.* 8. *cap.* 9. *pag.* 311., idemque Chrysozomenus *ep. ad Innocentium I.* apud Coustantium *epist. Rom. Pontif. col.* 775. de Teophilo Alexandrino Episcopo conqueritur, quod in se Archidiaconum suum concitasset. Archidiaconum, cui S. Martinus Episcopus Turonensis dandam pauperi tunicam commisit, memorat Severus Sulpitius *dialog.* 2. *opp. tom.* 1. *pag.* 99 *edit. Veronae* 1741. ac S. Athanasium Alexandrinae Ecclesiae Archidiaconum fuisse testantur Theodoritus *Histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 26. *pag.* 53. *edit. Taurin.* 1748.

(5) Hieronimus *cit. ep.* 146. videtur tradere Archidiaconum a Diaconis electum fuisse. Nam haec ejus verba sunt,, Quomodo si exercitus Imperatorem faciat, » aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent » Sie et Amalarius Fortunatus *de ecclesiast. offic. lib.* 2. *cap.* 3. Archidiaconus, *inquit*, eamdem habet conseerationem, quam ceteri Diaconi, sed » electione fratrum praeponitur » Contra Concilium Agathense *can.* 23. *tom.* 5. *Concil. col.* 525. jus eligendi Archidiaconum Episcopo adscribit. Ait enim » » Si officium Archidiaconatus propter simpliciorem naturam implere, aut expedire nequiverit, ille loci sui nomen teneat, et ordinationi Ecclesiae, quem » Episcopus elegerit, praeponetur » Ac multa quidem sunt antiqua testimonia, ex quibus patet, constitui Archidiaconum consuevisse Episcopi arbitrio, et voluntate. Sed integrum hoc arbitrium erat, cum liceret Episcopo minus justam Diaconorum electionem rejicere: nec mihi credibile videtur, ea tempestate, qua etiam populus suas habebat partes in designando, laudandoque homine, qui Episcopatu dignus videretur, nullas omnino partes habuisse Diaconos, cum esset constituendus, qui cuncto eorum ordini praesideret. Atque ad hunc modum intelligi volo, quod scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 8. §. 71. *tom.* 1. *pag.* 246.

§. III. Diu singuli Episcopi unum in Ecclesia cathedrali Archidiaconum habuerunt (1), sed lapsu temporum plures constituti sunt (2), jussique etiam suscipere Presbyteratum, cum antea Diaconi tantum essent (3), neque ad accipiendum ordinem superiorem cogi ab Episcopo repugnantes possent (4). Erat autem amplissima auctoritas Archidiaconi, qui Episcopi Vicarius erat a Jure constitutus, et ejus etiam oculus dicebatur (5), propter latam administrationem, et in rebus gerendis potestatem, quae omnia fere, exceptis sacramentalibus muneribus, comprehendebat. Is enim non tan-

tum Episcopo rem divinam conficienti ad aram ministrabat (6), eique ordinationes absolventi suam praestabat operam (7); sed etiam ecclesiasticis poenis in Diaconos, clericosque inferiores animadvertebat (8); colligebat oblationes, reditus, totamque ecclesiasticam pecuniam, ac suam clericis partem, suam pauperibus, suam Ecclesiae fabricae tribuebat, curam agebat viduarum, orphanorum, pauperum (9); mittebat in possessionem eos, qui beneficia obtinuerant; quos nosset idoneos ad ordines, et beneficia, Episcopo offerebat; atque omnes fere noscebat causas fori ecclesiastici, easque definiebat (10).

(1) S. Hieronymus *cit. epist.* 125. » Singuli, *inquit* Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi » Concilium Emeritense anni 666. *can.* 10. *tom.* 7. *Concil col* 518. » Communi deliberatione sancimus, » *inquit*, ut omnes nos Episcopi infra nostram provinciam constituti in cathedralibus nostris Ecclesiis singuli nostrum Archipresbyterum, Archidiaconum, » et Primicerium habere debeamus.

(2) Plurium in una Ecclesia Archidiaconorum diserta mentio est in Concilio Parisiensi VI. an. 829. *can.* 25. *tom.* 9. *Concil. col.* 728. quo statuitur » Ut » unusquisque Episcoporum super Archidiaconis suis deinceps vigilantiorem » curam adhibeat » Quo eodem saeculo Hincmarus Rhemensis duos Archidiaconos suos saluberrimis consiliis docet, quemadmodum dioeceseos visitationem obire debeant.

(3) Ita Optatus *lib.* 1. *pag.* 18. Coecilianum, qui ex ordine Diaconorum erat, Archidiaconum appellat; et ita S. Laurentius ex eodem ordine Romanae Ecclesiae Archidiaconus fuit. Celebres etiam sunt literae Hincmari Rhemensis ad Archidiaconos Presbyteros.

(4) Hinc Aetium Archidiaconum, quem Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus *per speciem provectionis* et *sub honoris specie* Presbyterum ordinaverat, ut eum ab Archidiaconatu removeret, ad pristinam dignitatem restituendum curavit S. Leo M. *ep* 121 *et* 122. *opp. col.* 1186. *seqq.*

(5) Can. *Diaconi* 6. *dist.* 93. *cap.* 1. *de offic. Archidiac.* Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.*

(6) Auctor *Constit. Apostolic. lib.* 2. *cap.* 57. apud Coterium *PP. Apostol. tom.* 1. *pag.* 264. ubi memoratur Diaconus ὁ παρεστὼς τῷ ἀρχιερεῖ *qui Episcopo assistebat*, et cum Missa celebrari incipiebat: *ne quis contra aliquem, ne quis in hyprocisi.* Ambrosius *de offic. lib.* 1. *cap.* 41. *opp. tom.* 3. *col.* 64.

(7) Concilium Carthaginiense IV. *can.* 5 *tom.* 2. *Concil. col.* 1437., Subdiaconus, *inquit*, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, » patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, et calicem vacuum. De manu » vero Archidiaconi urceolum cum aqua, et mantile, et manutergium ,, Alia » Archidiaconi officia in reliquis ordinibus *can.* 6. *seqq.* describuntur. Et *can.* » 9. habentur haec Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono in» structus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem » Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiae de altari dicens: sic age » quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quae his clavibus recluduntur ».

(8) Ita in actis Concilii Chalcedonensis *act.* 10 *tom.* 4. *Concil. col.* 1563. haec scripta sunt » Religiosissimus Episcopus Ibas dixit . . . . Maras secundum veritatem excommunicatus est a proprio Archidiacono (non » enim a me excommunicatus est) quoniam injuriam fecit Presbytero; ob » hoc eum a communione suspendit » Num vero Archidiaconi etiam in Presbyteros potestatem aliquam habuerint, plane non constat. Simile veri est, eamdem ipsos usurpasse, posteaquam ex ordine Presbyterorum constitui coeperunt.

(9) Concilium Carthaginiense IV. *can.* 17. *loc. cit.* Atque id a S. Laurentio Romanae Ecclesiae Archidiacono factum fuisse testantur Ambrosius *de offic. lib.* 2. *cap.* 28 *num.* 140. *opp. tom.* 3. *col.* 123., et Prudentius *Hymn. de S. Laurentio ver.* 160. *tom.* 2. *pag.* 902. *edit. Cl. Arevali Romae.*

(10) Innocentius IV. *in. Cap.* 3. *de appellat.* a sententia Officialis Episcopi non ipsum Episcopum, cujus idem tribunal est, sed Archiepiscopum appellandum statuit; at in §. *ab Archidiaconis* ab horum judicio ad ipsum Episcopum deferendam appellationem monet. Cujacius reprehendit Innocentium, quod hanc ad Episcopum appellationem praescripserit, cum Archidiaconus, ut ipse inquit, sit Episcopi vicarius, eamdemque personam gerat, atque idem tribunal habeat. Verum, ut animadvertit Innocentius Cironius *observ. lib.* 2. *cap.* 8. *p.* 38. *seqq. ed. Vindobon.* 1761., rectissime jus illud de Archidiacono dictum est. Nam Archidiaconus et Episcopi vicarius est, et proprium habet tribunal, propriamque jurisdictionem ab Episcopali discretam, atque sejunctam. Cum judicium exercet tamquam Episcopi vicarius, ipse Episcopus appellari non potest, quoniam unum est utriusque tribunal; sed cum propria utitur, eaque distincta auctoritate, quam habet privilegio, vel consuetudine, diversum est tribunal Episcopi, et Archidiaconi, ideoque proximus superior, nimirum Episcopus, appellandus est. Utrumque Innocentius discriminat accurate, ac diligenter.

§. IV. Ampla haec Archidiaconorum potestas, quae eo usque processerat, ut jura ipsa invaderet Episcoporum (1), viguit usque ad saeculum XIII., quo Gregorii IV. collectio edita est. Postea coepit paulatim imminui, et nunc Archidiaconi officium eo redactum est, ut adsistat Episcopo, cum generales ordinationes conficit, vocetque eos, qui ordines suscepturi sunt (2). In reliquis vel nullam omnino, vel tantam habet auctoritatem, quanta ab Episcopo concessa, vel a diuturna consuetudine, statutisque Ecclesiarum tributa est (3). Causas matrimoniales, et criminales neque Archidiaconus, neque ceteri inferiores Praelati cognoscunt, quoniam hae solius Episcopi judicio reservatae sunt (4); integrum tamen est Archidiaconis visitare Ecclesias, quas antea visitare consueverant, modo id faciant per semetipsos, et cum consensu Episcopi; cui debeant intra mensem rationem reddere peractae visitationis, atque integra acta exhibere (5). Eos autem Diaconatus ordine insignitos esse oportet (6), ac

praeterea magistros in Theologia, sive in Jure Canonico Doctores, ac licentiatos in omnibus Ecclesiis, in quibus id fieri commode potest (7).

(1) Synodaticum, procurationes, aliaque hujusmodi Archidiaconi capiebant Petrus Blesensis *ep.* 51. *pag.* 237. *edit. Paris* 1667. Concilium Lateranense *in cap.* 6. *et* 23. *de censib.*

(2) Benedictus XIV. *Const. ex quo dilectus* 25. *tom.* 2. *ejus Bullar. pag.* 107.

(3) Cap. 4. *et* 5. *de offic. Archidiac.* Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.*

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 20. *de reform.*, quo decreto etiam beneficiarias, majoresque causas comprehendi, fere omnium sententia est. Eadem Synodus *sess.* 25. *cap.* 14. *de reform.* speciatim vetuit Archidiaconos clericorum de impudicitia causas judicare.

(5) Concilium Tridentinum *cap.* 3. *sess.* 24. *de reform.*

(6) Can. 1. *dist.* 60.

(7) Concilium Tridentinum *cap.* 12. *sess.* 24. *de reform.*

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI

TITULUS XXIV.

I. Institutio Archipresbyteri recentior institutione Archidiaconi.
II. Quis Archipresbyter constitueretur? Archipresbyteri urbani, et rurales.
III. Officium Archipresbyteri urbani.
IV. Officium Archipresbyterorum ruralium.

Decretum *can.* 1. *dist.* 25. §. *Archipresbyter vero.*

§. I.

Ut Archidiaconus Diaconorum, ita Archipresbyter princeps Presbyterorum est. Uterque erat Vicarius natus Episcopi, sed ille in iis, quae externum forum, hic vere in iis maxime, quae ad internum forum pertinebant; uterque initio a Episcopo delegatam habuere jurisdictionem, quae lapsu temporum propria atque ordinaria facta est. Archidiaconorum mentionem medio III. saeculo fieri animadvertimus; sed mentio Archipresbyterorum non est IV. saeculo antiquior, atque ut videtur, Hieronymus primus eorum meminit (1). Neque mirum est, primum Diaconis, quam Presbyteris unum fuisse datum, qui ceteris praesideret. Apostoli septem numero Diaconos elegerunt non tantum ut mensis, sed etiam ut altari ministrarent (2), et hunc eumdem numerum diu Romana Ecclesia retinuit (3). Huic collegio ministrorum, quorum erat et res agere ab altaris ministerio sejunctas, curamque gerere viduarum, ac pauperum, ut unus praeficeretur, qui rem totam curaret, atque officia inter ceteros distribueret, rectus ordo, et rerum bene gerendarum ratio postulabat. Sed Presbyteris ipse per se praeerat Episcopus, et si quam populi partem regendam alteri vellet committere, ipse unum, aut

alterum eligebat Sacerdotem, qui eo munere fungeretur, et cui ipse illud adimebat eodem arbitrio, quo dederat. Nemo enim, ut nunc Parochi sunt, certo erat addictus populo, quem perpetuo regeret jure officii sui; dabat Episcopus subditos cuivis Presbytero, dabat quamdiu, et quos vellet, neque ulla erat injuria Presbytero, a quo Episcopus repetebat subditos suos, quos vel ipse per se regeret, vel alteri regendos committeret.

(1) S. Hieronymus *cit. epist.* 125. *et* 145.
(2) Actus Apostolorum *cap. VI.*
(3) Confer Sozomenum *lib.* 7. *cap.* 19. *pag.* 282., et Auctorem *Comment. in* 1. *ad Timoth. inter opera S. Ambrosii col.* 351. *tom.* 4., quem aliqui Ambrosium fuisse putant; aliqui Hilarium Sardum Romanae Ecclesiae Diaconum, qui IV. saeculo vixit. Id vero negat Petavius *de ecclesiast. hierarch. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 7. *tom.* 6. *theolog. dogmat. pag.* 81. *edit. Venet.* 1757., quem tamen refellendum suscepit Natalis Alexander *Histor. Eccles saec.* 4. *cap.* 6. *art.* 14. *pag.* 296. *tom.* 4. Id unum vere dici videtur posse, incertum plane esse, cui nam opus ipsum adscribendum videatur, qua de re videndi sunt PP. Maurini *in praefat. ad eumd. commentar. col.* 25. *seqq.*

§. II. Quod igitur Presbyteris Episcopus per se ipse praeesset, ac cuique certas officii partes assignaret, mihi causa fuisse videtur, propter quam serius Presbyterorum, quam Diaconorum princeps constitutus fuit. Ut ut ea se res habeat, Presbyterorum caput a Latinis Archipresbyter, a Graecis, qui eo vocabulo, licet graeco, perraro usi sunt, Protopresbyter dicebatur (1). Apud Latinos ordinatione antiquior, ut plurimum, Archipresbyter constituebatur (2); apud Graecos qui doctrina, ac virtute ceteris antecellebat (3). Unus autem initio erat in unaquaque Ecclesia Archipresbyter, ut unus Archidiaconus; sed postea plures constituti sunt, praesertim posteaquam visum est populis in vicis, atque oppidis procul a civitate vitam agentibus dare Presbyteros, quorum non ad tempus, atque ab Episcopi arbitrio pendens, ut autem fiebat, sed fixa esset, ac stabilis administratio. His enim praepositi sunt Archipresbyteri rurales, qui sedulo discernendi sunt ab urbanis, uti civitas, in qua est Sedes Episcopalis, distinguitur ab oppidis, quae in dioecesi sunt, quaeque illi subjiciuntur (4). Plures hujusmodi Archipresbyteros per agros, atque oppida dioeceseos constitutos jam VI. saeculo extitisse constat (5).

(1) Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. *tom.* 1. *pag.* 125 negat Graecos umquam fuisse usos Archipresbyteri nomine; sed illo utitur Sozomenus *Histor. Eccles. lib.* 8. *cap.* 12. *pag.* 315. ubi Petrum vocat Ἀρχιπρεσβύτερον. Idem hic Petrus a Socrate *Histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 9. *pag.* 272. πρωτοπρεσβύτερος appellatur. Saepius tamen Protopresbyteri vocabulum a Graecis adhibebatur. Sic in actis synodi ad Quercum, quae contra S. Joannem Chrysostomum habita est, *tom.* 3. *Concil. col.* 88. Martyrius quidam πρωτοδιάκονος, et Acacius, qui eidem Chrysostomo in Episcopatu successit, πρωτοπρεσβύτερος vocatur. Idem quoque vocabulum usurpatur in Euchologio Graecorum apud Goarium *pag.* 287., ubi extat *ordo officii, quo Protopresbyter constituitur.*

(2) S. Leo M. *ep.* 19. *opp. tom.* 1. *col.* 733. Graviter reprehendit Dorum Episcopum Beneventanum, quod Juniorem, neglectis antiquioribus, Archipresbyterum constituisset, eaque de causa ab ipso *novo ambitu, faedoque colludio Presbyterii ordinem turbatum* dicit.

(3) Liberatus *Breviar. cap.* 14. *pag.* 98. *edit. Paris* 1675. Proterium memorat a Dioscoro Episcopo Alexandrinae Ecclesiae *Archipresbyterum factum.* Id etiam ex eo, quod de se narrat Nazianzenus, colligit Thomassinus *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. *tom.* 1. *pag.* 125.

(4) Ita *in Cap.* 35. *de rescript et in cap.* 19. *de verb. signific.* populus, et clerus urbanus a populo cleroque dioecesano distinguitur. Sic etiam Synesius *epist.* 11. ad *Presbyter. Cyrenenses pag.* 171. *edit Petavii Paris.* 1633. κωμητικάς ἐκκλησίας *vicanas ecclesias* ab urbanis separat.

(5) Plures hujusmodi Archipresbyteros rurales memorat S. Gregorius Turonensis, qui floruit VI. saeculo *de glor martyr. lib.* 1. *cap.* 78. *et* 90. *pag.* 808. *et* 822. *de miracul. S. Julian. cap.* 22. *pag* 866. *de glor. confessor. cap.* 5. *pag.* 898. *et in vit. Patr. cap.* 9. *pag.* 1201. *edit. Paris.* 1699. his verbis » Archipresbyter Parochiae Nemausensis etc. Archipresbyter, qui tunc locum illum regebat etc. cum Archipresbyter loci Eulalius clericos convivio invitasset, Edatius vero alius Presbyter viduis, ac pauperibus reliquis edulium praepararet etc. Archipresbyter Nereensis vici etc. »

§. III. Urbanus Archipresbyter in iis, quae sacerdotali officii sunt, erat vicarius generalis Episcopi, ac veluti proprius Parochus ejusdem Ecclesiae cathedralis, quae diu sola fuit Ecclesia in Episcopali civitate. Itaque proxime post Episcopum eidem praeerat, eratque tamquam caput Presbyterorum, quos ad sua diligenter implenda munera cogebat, quibusque poenitentiam injungebat (1); et absente, aut aegroto, aut aliter impedito Episcopo curam gerebat omnium, quae ad Ecclesiam pertinebant, Missam canebat, aut Sacerdoti, quem mallet, canendam committebat, fontem baptismalem benedicebat, populo, cum ab Ecclesia dimittebatur, benedictionem impartiebat, publicum poenitentem consulto Episcopo reconciliabat (2), sacramenta administrabat, ac cetera agebat, quae agere ab Episcopo jubebatur (3). Sed et Epi-

scopum monebat, si quid adversus continentiam peccassent Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi (4), in eosdemque, et reliquos clericos poenis animadvertebat, si quid committerant, quod canonum disciplinae adversaretur (5). Aliquam etiam curam viduarum, pupillorum, peregrinorum habuisse videtur (6); sed id generatim proprium Archidiaconi munus fuit. Hodie Archipresbyteri officium, atque potestas aestimandum, aestimandaque est ex locorum consuetudine, statutisque Ecclesiarum. In Ecclesiis quibusdam Archidiacono Archipresbyter, in aliis Archipresbytero Archidiaconus praestat, alicubi Archipresbyteratus dignitas est, quoniam aliquam adjunctam habet jurisdictionem, alibi ea caret, et ideo merus est personatus.

(1) Sic scriptum est *in Cap. 2. de offic. Archipresbyt.*, quod Antonius Augustinus Leoni IX. adscribendum putat. Id vero non tantum intelligendum est de poenitentia, et ea quidem privata, quam Archipresbyter Sacerdotibus imponebat; sed etiam respicit Archipresbyteri officium cogendi Sacerdotes ad poenitentiae sacramentum administrandum, eaque procuranda, quae ad salutem pertinent animarum. Nam integra Decretalis his est concepta verbis poenitentiam *cunctis aliis sacerdotibus, et quae ad purgationem animarum pertinet*, *injungere.*

(2) In *cap. 2. hoc tit. ult.* Archipresbyteri officia recensentur, atque inter cetera ejus esse statuitur *infirmum oleo perungere, poenitentem infirmum, consulto Episcopo, reconciliare.* Aut hoc loco de infirmo agitur, a quo procul abest mortis metus, aut vulgata lectio retineri non potest. Res hic quidem est de publico poenitente, qui tantum ab Episcopo reconciliari poterat *can. quamvis dist.* 68.; sed absente Episcopo, cum quis graviter aegrotat, ultima necessitas etiam publici poenitentis cuilibet Presbytero reconciliationem permittit *can. ult. caus.* 26. *q.* 6. Itaque delendum est verbum *infirmum*; ut proinde sensus sit, non nisi consulto Episcopo licere Archipresbytero publicum poenitentem reconciliare, infirmum vero, quia in vitae discrimine versatur; etiam inconsulto Episcopo licere.

(3) Cap. 1. 2. 3. quae quidem capitula omnia pertinent ad Archipresbyterum urbanum, postremum ad Archipresbyteros rurales referendum est. In *cap. 2. cit.* jubetur Archipresbyter curare diligenter, ut Presbyteri Cardinales ea, quae sui muneris sunt, accurate exequantur. Hi vero Presbyteri sunt Sacerdotes praefecti urbis Ecclesiis, in quibus sacramenta administrabantur, iidemque omnes Archipresbyteri curae subjecti esse debebant. De his praeclare scripsit Nicolaus Antonellus Card. *De titulis, quos S. Evaristus Romanis Presbyteris distribuit.*

(4) Concilium Autimodorense *can.* 20. *tom.* 6. *Concil. col.* 644.

(5) Concilium Turonense II. *can.* 19. *tom.* 6. *col.* 539.

(6) Concilium Carthaginiense IV. *can.* 17. *tom.* 2. *col.* 1438.

§. IV. Rurales Archipresbyteri curam gerebant eorum, qui

extra Episcopalem civitatem commorabantur. Hi dicti sunt etiam Decani, quod praeerant decaniis, quae singulae decem Titulos, sive Ecclesias comprehendebant; et omnes suos habebant Presbyteros, qui Decano subjiciebantur (1). Vocabantur etiam Plebani, qui plebi praeerant (2); quod nomen commune erat tum iis, qui uni Parochiae, tum iis, qui pluribus praesidebant. Atque ita sane ferebat recta rei ecclesiasticae administrandae ratio, ut singulae Ecclesiae, in quibus sacramenta administrabantur, suum haberent eorum gratia sacerdotem, atque ut pluribus unum esset caput, et princeps, qui curam earum gereret, videretque, ne quid res christiana caperet detrimenti. Hujus hominis, quem Archipresbyterum ruralem, decanum, plebanum appellari diximus, officia describunt Decretales, cum ejus esse inquiunt *imperiti vulgi solicitudinem gerere, et Presbyterorum, qui per minores titulos*, hoc est Ecclesias *habitant*, videlicet Parochorum, *vitam jugi circumspectione custodire*, *et qua unusquisque industria divinum opus exerceat*, *Episcopo renunciare* (3). Nunc Archipresbyteri plerumque adjunctam habent curam animarum, ideoque hujusmodi beneficia, in quibus hoc onus inest, nemo consequi potest, nisi saltem vigesimum aetatis annum attigerit, atque idonea scientia, et morum integritate commendetur (4).

(1) Vegetius *de re militar. lib. 2. cap.* 8. *int. Script. rei milit. pag.* 37. *edit. Vesal.* 1670. » erant Decani, *inquit*, decem militibus praepositi, qui » nunc caput contubernii vocantur » Rei militaris exemplo Archipresbyteri, qui decem Sacerdotibus praeerant, decani appellati sunt. Innocentius III. *in cap.* 17. *de offic. Archidiac.* » Archipresbyteri autem, *inquit*, qui a pluribus De» cani nuncupantur, ejus (*Archidiaconi*) jurisdictioni se noverint subjacere ».

(2) Plebis nomine Parochialis Ecclesia comprehenditur, unde ii, qui vel uni, vel pluribus parochiis erant praepositi, Plebani appellati sunt. Confer Du-Cangium *glossar. med. et infim. latinit. verb. plebes.*

(3) Cap. *ult. de offic. Archipresbyt.*

(4) Cap. 7. *de elect.*

DE OFFICIO PRIMICERII

TITULUS XXV.

I. Quis Primicerius? Plures Primiceriorum species.

II. Noster hic Titulus ad omnium nobilissimus referendus est.

Decretum *can.* 1. *dist.* 25. *can.* 1. *dist.* 21. *et dist.* 91.

§. I.

Primicerius generale nomen est, quo designatur quisquis inter plures, qui officia, ac dignitates obtinent, principem locum tenet, ac primus conscriptus est in cera, hoc est in cerata tabula, quae cunctorum clericorum nomina continebat. Nam, ut Presbyteris Archipresbyter, Diaconis Archidiaconus, ita Primicerius clero inferiori praeerat; singuli autem ordines suum habebant Primicerium, hoc est Primicerium scholae cantorum, lectorum, defensorum, similium. Hi dicuntur etiam ordinis Primates (1); ac Primicerii Notariorum mentio est in Conciliis Ephesino, et Chalcedonensi (2). Romana Ecclesia plures habuit Primicerios, videlicet Primicerium Notariorum, scholae cantorum, Primicerium actorum, itemque Primicerium, et Secundicerium, qui inter septem Romanae Ecclesiae officiales nobilissimum locum obtinebant (3). Sed qualem ex eo Primiceriorum numero respiciat hic Titulus, qui uno tantum capite constat, quiqui sine dubio ad Romanam Ecclesiam pertinet, non satis exploratum est.

(1) Justinianus *Novel.* 123. » Cura illorum, *inquit*, qui in singulis » gradibus Primates sunt ».

(2) Concilium Ephesinum *act.* 1. *in action.* 1. *Concil. Chalcedonensis tom.* 4. *Concil. col.* 1137. » Petrus presbyter Alexandriae, » et Primicerius notariorum dixit ».

(3) Confer Onuphrium Panvinium *Interpr. voc. ecclesiast.*

§. II. Hoc mihi certe affirmari videtur posse, Primicerium, de quo hoc titulo agitur, et qui absolute Primicerius

dicitur sine ullo additamento, quod sine dubio peculiare aliquod ejus officium designet, fuisse omnium nobilissimum, qui supra ceteros emineret, adeout ipse per excellentiam Primicerius diceretur, cum contra in reliquis exprimeretur officium, uti sunt ex. gr. Primicerius scholae cantorum, Primicerius defensorum, ceteri similes. Hic autem, qui absolute, ac per excellentiam Primicerius dicebatur. ille erat quem alio nomine *Primicerium Notariorum*, *et Primicerium primum*, *et Primicerium Judicum*, *et Primicerium S. Sedis Apostolicae* appellabant (1). Hic Primicerius collegio praeerat omnium post Presbyteros, ac Diaconos antiquissimo, ac nobilissimo, scilicet Notariorum (2), eratque Cardinalis Romanae Ecclesiae, et unus ex iis, qui Summum Pontificem eligebant (3), eoque absente, aut mortuo una cum Archipresbytero, et Archidiacono Romanam Ecclesiam gubernabat (4). Atque hunc mihi quidem videtur respicere noster hic Titulus Decretalium, neque probo opinionem illorum, qui eumdem ad Primicerium scholae Cantorum referendum putant (5). Ejus autem officia describit Ordo Romanus, unde hic Titulus sumptus est, eaque sunt, ut ipse praesit iu docendo Diaconis, minoribusque clericis, Ecclesiae disciplinam sedulo observandam curet, *Diaconis donet lectiones*, *quae ad nocturna officia clericorum pertinent* (6).

(1) Late ea de re agit Petrus Aloysius Gallettus *de Primicerio*, qui Panvinium erroris arguit, quod inter Primicerium Notariorum, ac Primicerium Sedis Apostolicae, itemque Primicerium Judicum discrimen posuit, cum nullum revera sit. Videndus est etiam Du-Cangius *glossar. med. et infim. latinit. verb. primicerius.*

(2) Notariorum Romae institutio a S. Clemente P. originem ducit, uti scribit Auctor Pontificalis *in Clemente tom.* 1. *pag.* 13. *edit. Vignoli Romae* 1724. » Hic fecit, *inquit*, septem regiones, et divisit notariis fidelibus Ecclesiae, qui gesta martyrum solicite, et curiose, unusquisque per » regionem suam, ac diligenter perquireret » Quam institutionem III. saeculo confirmasse Fabianum P., additis praeterea septem subdiaconis, *qui VII. Notariis imminerent*, tradit idem Auctor Pontificalis *in Fabiano pag.* 44. Credibile est., huic Notariorum collegio vel in ipsa institutione unum fuisse praepositum, qui Primicerius vocabatur, ideoque ejus initia eadem fuisse videntur, quae collegii Notariorum. Placuit autem Clementi primum, postea Fabiano urbem dividere in regiones septem, licet civilis partitio quatuordecim haberet, uti observavit Cardinalis Baronius *in prolegomen. ad martyrolog. cap.* 1. De Notariis copiose agit Franciscus Antonius Zaccaria peculiari dissertatione, quae inter Italicas dissertationes ab eo collectas, editasque *Romae an.* 1792. *est VIII. pag.* 142. *tom.* 6.

(3 Luitprandus Ticinensis *Histor. lib.* 6. *cap.* 6. apud Muratorium *Rer. Italic. Scriptor. tom.* 2. *pag.* 473. *edit. Mediolan.* 1723. in celeberrimo illo Romano conventu, cui Otho Imperator interfuit, inter praecipuos Ecclesiae proceres sedisse narrat Stephanus tituli Sabinae, Benedictum Cardinalem Archidiaconum, Bonofilium Diaconum, Cardinalem Primicerium, et Georgium Secundicerium. Qui a Liutprando post Archidiaconum memoratur, is profecto videtur esse Primicerius, de quo in hoc titulo agitur.

(4 Liber Diurnus *cap.* 2. *tit.* 1. 5. 6. 7. *pag.* 9. 20. *seqq. edit. Garnerii Paris.* 1680. de his Triumviris, qui mortuo, vel absente Pontifice Romanae Ecclesiae praeerant, habet haec » III. Archipresbyter, III. Archidiaconus, III. Primicerius Notariorum, servantes locum S. Sedis Apostolicae » Non eadem tamen usurpabatur formula, cum propter obitum Pontificis vacua erat Sedes Apostolica, cumque ab iis tribus propter ipsius absentiam regebatur. Cum mortuus erat Pontifex, Archipresbyter, Archidiaconus, Primicerius dicebantur *servare locum Sedis Apostolicae*; cum autem Pontifex abesset, *locum praesentabant Pontificis*, uti scribit S. Martinus I. *ep.* 15. *tom.* 7. *Concil. col.* 66. Hunc autem Triumviratum, a quo mortuo Pontifice Romana Ecclesia regebatur, desiisse post Pontificatum Benedicti II., cum Romano Clero pristina electionis libertas restituta est, ostendit Cajetanus Cennius *dissert.* 3. *tom.* 1. *pag.* 109. *edit. Pistorii* 1778. Verum absente Pontifice iisdem Triumviris adhuc Romanae Ecclesiae administratio committi consuevit, eaque tantum sublata fuit, cum eadem Ecclesia temporale dominium obtinuit, quod certe ultra annum 732. differri non potest. Porro anno 710. Constantinopolim ab Imperatore vocatus est Constantinus P. » et secuti sunt eum Nicetas Episcopus Silvae candidae, Georgius Episcopus » Portuensis, Michaelius, Paulus, Georgius Presbyteri, Gregorius Diaconus, » Gregorius Secundicerius » sicuti narrat Anastasius *in Constantino* §. 3. *tom.* 2. *pag.* 3. Ergo tres illi viri, quorum est facta mentio, Romae remanserant, ut absente Pontifice Romanam Ecclesiam administrarent. Contra anno 753. iter in Gallias aggreditur Stephanus II., atque ab Urbe solidum annum abest, eodemque teste Auctore Pontificalis *in Stephano* §. 23. *tom.* 2. *pag.* 102. itineris socios habuit praeter ceteros *Theophylactum Archidiaconum, et Ambrosium Primicerium.* Ergo ea aetate Romana Ecclesia absente Pontifice non amplius ab Archidiacono, et Primicerio regebatur. Sed clarius etiam rem totam explicat ipse Auctor Pontificalis *in Zaccharia* §. 12. *d. tom. pag.* 68., cum scribit Pontificem Roma discessisse » relicta Romana Urbe Stephano Patricio, et Duci ad » gubernandum » Itaque Romae gubernatio non amplius tribus illis viris Archipresbytero, Archidiacono, Primicerio committebatur.

(5) Scholam Cantorum in Urbe instituit Hilarus P. circa annum 462., fovit autem, atque auxit S. Gregorius M., postremo Sergius II. instauravit. In ea vero pueri cum nonem agebant vitam, ac non solum in cantu, et lectione; sed etiam in sacris literis, ac disciplinis, et moribus instituebantur. Huic scholae, quae orphanotrophium erat, unde plures prodiere Summi Pontifices, praepositus erat Primicerius, qui et omnium curam gerebat, et psallendi rationem in choro pro dierum solemnitate constituebat. Quo primum tempore Romae sublata fuerit schola cantorum, qui sub Primicerio communiter vivebant, non satis exploratum esse inquit Cardinalis Bona *rer. liturg. lib.* 1. *cap.* 25. §. 20. *tom.* 2. *pag.* 333.: Verum Caesar Rasponius Cardinalis *de Basilic. Lateranen. lib.* 2. *cap.* 4. conventionem laudat an. 1232. initam inter Ecclesiam Lateranensem, et Primicerium, ac Scholam Cantorum, unde intelligimus, eam adhuc saeculo XIII. perseverasse. Romanae Ecclesiae institutio ad alias quoque Ecclesias propagata est; et vero in capitularibus Regum Francorum *lib.* 1. *cap.* 68. *tom.* 1.

col. 482. *edit. Baluzii Venet.* 1772. statutum est » ut scholae legentium pue-
» rorum fiant ; psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per singula
» monasteria, vel episcopia discant » Cum sensim hae scholae defecissent, eas restaurari jusserunt Concilium Lateranense, Innocentius III., et Honorius III. Summi Pontifices, uti patet *ex lib.* 5. *tit.* 5. *Decretalium*, et praesertim ea de re laboravit Synodus Tridentina *sess.* 23. *de reform. cap.* 18., ubi forma praescribitur instituendi seminarium Clericorum in omnibus episcopalibus, ac majoribus Ecclesiis, in quo retinendi sunt pueri, qui » grammatices,
» cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discant ; sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque
» sacramentorum tradendorum, maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum, ac caeremoniarum formas ediscent. »

(6) Cap. *unic. de offic. Primicer.* atque haec quidem ea aetate fuisse videntur officia Primicerii ; et ideo tunc alia desiderant, quae pridem ad eum pertinebant. Joannes Mabillonius *Museum Italicum tom.* 2. *pag.* 560. ex Vallicelliano Codice librum edidit cum titulo *Joannis Diaconi liber de Ecclesia Lateranensi*, in quo et alia Primicerii munera describuntur; inter quae illud praeclarum, quod septem palatinis judicibus praesideret *pag.* 570. Sed hujus libri fides, et auctoritas valde suspecta est, uti ostendit Cajetanus Cenninus, qui de origine, officio, dignitate Primicerii, ac Secundicerii copiose disputat *loc. cit. dissert.* 2. *pag.* 85. *seqq.*

DE SACRISTAE OFFICIO

TITULUS XXVI.

I. Quis Sacrista ?

Decretum *can.* 1. *dist.* 25.

§. I.

Sacrista est, qui praesidet Sacrario, quod vulgo *Sacristiam* vocamus, sacrasque vestes, ac vasa, et ea, quae ad luminaria pertinent, totumque thesaurum Ecclesiae custodit (1). A Grecis Σκευοφύλαξ appellatur, atque apud ipsos plerumque Presbyter erat (2); a Latinis etiam sacrorum custos dicebatur, idemque munus Diaconi exercebant (3). Vocabatur praeterea χαρτοφύλαξ, quod custodiret codicillos, et archiva, quae pars erant sacrorum Ecclesiae scriniorum (4); praeterea Thesaurarius, aut Saccellarius (5), quod Ecclesiae thesauri curam gereret. Sed proprie aliud erat in Ecclesia Thesaurarii munus (6).

(1) Cap. *unic. de offic. Custod.*

(2) Theodorus Lector *lib.* 2. *cap.* 23. *pag.* 599. *edit. Vales.* memorat Macedonium Presbyterum, et *scevophylacem*; similiter a Sozomeno *lib.* 5. *cap.* 8. *pag.* 175. mentio fit Theodori, qui et presbyter, et custos sacrorum vasorum erat.

(3) S. Isidorus Hispalensis *de offic. lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 429. *opp. tom.* 6. » Custodes sacrarii, *inquit*, Levitae sunt. Ipsis enim jussum est custodire tabernaculum, et omnia vasa templi, quique ideo in lege ab anno quinquagenario eliguntur custodes vasorum, ut post edomitum carnis conflictum jam quieti, mundo corpore pariter, et mente Deo serviant ».

(4) Consule Svicerum *Thesaur. Eccles. verb.* Σκευοφύλαξ, qui recte observat Eulampium, ad quem scripsit Photius alibi *scevophylacem*, alibi *chartophylacem* appellari.

(5) Saccellarii vox sumpta est a sacco, seu sacculo, et saccello, quod verbum, uti tradit Du-Caugius *glossar. med. et infim. latinit. verb. sacellum*, significat marsupium, atque crumenam; et ideo qui custos erat pecuniae, aut thesauri, saccellarius dicebatur. In ea significatione saccum, et sacculum usurpant veteres Latini Scriptores, ac saepe eodem nomine utuntur Jurisconsulti, quod multis ostendit Brissonius *de verb. signific. verb. saccus et sacculus*; quamquam Ulpianus *in L.* 7. *ff. de extraord. crim-*

aliam habeat hujus vocabuli explicationem, de qua videndi sunt Cujacius *Observ. lib.* 10. *cap.* 27. *opp. tom.* 3. *col.* 261., et Menagius *amoenit. Jur. cap.* 39. *pag.* 261. *edit. Neapol.* 1779., Gregorius M. *ep.* 44. *lib.* 1. *opp.* » *tom.* 2. *col.* 536.» sacculum Ecclesiae, *inquit*, ex lucris turpibus nolumus » inquinari » *et ep.* 21. *ad Costantinam Augustam lib.* 5. *col.* 751. Sac. » cellarium memorat his verbis » Sed breviter judico, quia sicut in Ravennae » partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiae Saccellarium ha- » bet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat, Ita et in hac » Urbe in causis talibus eorum (*hoc est Longobardorum*) Saccellarius ego » sum » Quo loco Saccellarius Quaestor est aerario praepositus. Est autem prorsus eadem significatio sacelli, et saccelli, sacellarii, et saccellarii; nisi quando sacellum a sacro deducitur, quia tunc ejus nomine intelligitur parvus locus Deo dicatus, quique ei praepositus est Sacellarius appellatur, qua de re consulendi sunt Menagius *loc. cit. pag.* 262., et Dukerus *de latinit. vet. Juriscons. p.* 27. Confer etiam Auctorem Pontificalis *in vit. Theodor.* §. 2. *tom.* 1. *pag.* 254. *et in vit. Costantin.* §. 3. *tom.* 2. *pag.* 4., et Concilium Romanum an. 746. sub Zacharia *tom.* 8. *Concil. Labbaei col.* 304. V. Cl. Franciscus Cancellierius in opere *de Secretariis Basilicae Vaticanae veteris et novae tom.* 1 *cap.* 12. late agit *de Sacrista*, *et multimodis hujusce muneris appellationibus*, et *in cap.* 13. *de Sacrista Pontificis Maximi.*

(6) Thesaurarii munus sic describitur in *can.* 1. *dist.* 25. » Ad The- » saurarium pertinet basilicarum, et ostiarii ordinatio, incensi praeparatio, » cura chrismatis conficiendi, baptisterii ordinandi praeparatio, luminario- » rum in sacrario, et in sacrificiis ».

pag. 579., et Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. *seqq. tom.* 1. *pag.* 94. *seqq.*

(3) Innocentius III. *in cap.* 7. *de offic. Archidiacon.* memorat *Decanos rurales*, qui in oppidis vices gerebant vel Episcopi, vel Archidiaconi urbani, vel utriusque; quos vel alteruter, vel uterque suo labitu constitueret, atque ab officio removeret. Emanuel Gonzalez *in notis* ad hunc locum verbo *rurales* eos interpretatur Archipresbyteros.

(4) Cap. 1. *de offic. Ordin. in* 6.

(5) Clement. 2. *de rescript.* Male igitur Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. *tom.* 1. *pag.* 129. hanc disciplinam referi ad statuta S. Caroli Borromei, quod recte observatum est a Benedicto XIV. *loci cit. num.* 8.

§. X. Vacua Sede Episcopali omnis in Capitulum Ecclesiae cathedralis transfertur Episcopi jurisdictio (1). Vetus disciplina pluribus in locis sic ferebat, ut Ecclesia aliqua vacante propinquior Episcopus eam regendam susciperet (2); quae consuetudo nunc etiam in locis quibusdam retinetur (3). Sed generatim, atque universe tota nunc jurisdictio transit ad Capitulum, quod eam secundum jus commune exercere per se ipsum posset, et vero olim exercebat (4), cum eam alteri committere nulla scripta lege cogeretur. Sed hodie jure utimur, quod a Tridentina Synodo constitutum est (5). Nimirum vacante Ecclesia Capitulum, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, oeconomum unum, vel plures fideles, ac diligentes decernit, qui rerum ecclesiasticarum, ac proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint redditurí. Deinde intra octo dies, postquam deprehensum est, Ecclesiam vacuam evasisse, a Canonicis eligendus est vicarius Capitularis, in eumque transferenda omnis jurisdictio, et rerum agendarum potestas, ne pluribus commissa negocia serius, et difficilius expediantur. Elapso hoc tempore, jus eligendi devolvitur ad Metropolitam, et si Ecclesia ipsa metropolitana fuerit, vel exempta, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta vicarium constituit.

(1) Cap. 11. et 14. *de majorit. et obedient.*

(2) Concilium Regense an. 439. *can.* 6. *tom.* 4. *Concil. col.* 536., et Aurelianense II. an. 533. *can.* 6. *tom.* 5. *col.* 927.

(3) Vide-sis Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 1. *tom.* 1. *pag.* 55.

(4) Cap. 3. et 4. *de supplen. negligent. Praelat. in* 6.

(5) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 16. *de reform.*

§. XI. Si una cum Metropolitana vacua sit Ecclesia suffraganea, quae Capitulo caret, suffraganeus vicarius non ab antiquiori suffraganeo, sed a Capitulo Ecclesiae metropolitanae eligendus est (1). Cum vero omnes vicarium eligere neglexerunt, eum constituit Romanus Pontifex, aut Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium, ejusque facultates ampliores, minoresve sunt, uti placuit eas vel explicare latius, vel angustius coercere. Nam ut rectum de iis ferri judicium possit, expendendae sunt diligenter literae, quibus vicarius est constitutus. Illud observatu dignum est, quod cum Episcopo a Sede Apostolica vicarius datus fuit, nullus est vicarii capitularis electioni locus, propterea quod ille etiam mortuo Episcopo ob reverentiam supremae Sedis officium retinet, et auctoritatem suam (2).

(1) Videndus Benedictus XIV. *loc. cit. num.* 2. *pag.* 56. *et* 57.
(2) Consule Cardinalem Petram *ad Constit. apostol. const.* 2. *Leonis IX. sect.* 5. *num.* 42. *tom* 1. *cap.* 157. *edit. Venet.* 1741, et Gaudentium *de visitat. et jurisd. Praelat. tom.* 1. *cap.* 5. *dub.* 13. *sect.* 2. *num.* 18.

§. XII. Vicarius capitularis eligendus est ex canonicis, si qui inter eos Doctores, Licentiati, Jurisque consulti reperiuntur (1). Vicarius quoque defuncti Episcopi recte eligitur, quin et aliquis extra gremium Capituli, cum nemo est e collegio canonicorum, qui ad hoc munus gerendum aptus, et idoneus judicetur. Rite constitutus ab officio removeri non potest, nisi justa, et Sacrae Congregationi Episcoporum, ac Regularium probata causa sit (2); totamque accipit jurisdictionem, cujus nullam omnino partem sibi Capitulum reservare potest (3). Quin etiam plerique sentiunt, vicarium capitularem propter annexam suo officio potestatem ea quoque recte expedire, pro quibus vicarius generalis Episcopi speciali mandato opus habet (4), Quid enim quaeritur speciale mandatum Capituli, quod partem aliquam jurisdictionis retinere non potest? Non est tamen dubitandum, quin Capitulo suo jure liceat alium vicarium eligere, cum is, qui electus fuit, aut ex hac vita migravit, aut suo se munere abdicavit.

(1) Vicarius capitularis, inquit Synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 16. *de reform.* eligi debet » qui saltem in Jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus » Cum autem aliquis inter Canonicos recte vicarii munere fungi potest, hunc sane eligendum, non alium extra gremium Capituli, respondit Sacra Congregatio Concilii, uti testatur Gandentius *loc. cit. num* 16.

(2) Consule Benedictum XIV. *loc. cit. num.* 4.

(3) Non defuerunt olim, qui censuerunt, posse Capitulum in vicarii jurisdictione certum modum constituere, sibique ipsi aliquam ejus partem reservare; sed nunc communis omnium sententia est, quam etiam probant Benedictus XIV. *loc. cit. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 10. *pag.* 168., et Giraldius *exposit. Jur. Pontific. par.* 2. *tom.* 2. *pag.* 962. in vicarium capitularem transferendam esse jurisdictionem universam.

(4) Ea de re copiose disputat Benedictus XIV. *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 4.

§. XIII. Multa tamen sunt, quae vacua Sede Episcopali neque Capitulum, neque ejus vicarius facere potest, vel quod non habet potestatem, vel quod ei sacri canones modum constituerunt. Non facit quae sunt ordinis episcopalis, quamquam ad ea gerenda recte exteros Episcopos advocet; nec porro facit, quae ex delegatione, ac beneficio Summi Pontificis uni Episcopo concessa sunt. Quo in primis referuntur indulgentiae, quas concedit Episcopus, sed neque capitulum concedere, neque vicarius potest (1). Nihil etiam sede vacante a capitulo innovandum est, et nihil item de juribus episcopalibus detrahendum (2); quod proprium est omnium, qui rem gubernant, quae ad interregnum venit, ut neque eam imminuant, neque ei quidquam inferant detrimenti. Quare nefas est supprimere, aut dividere, aut conjungere beneficia, aut aliquid alienare. Simile interdictum est de beneficiis, quorum libera collatio ad solum Episcopum pertinet. Nam ea Capitulum sede vacante conferre non potest (3); licet recte conferat beneficia, quorum conferenderum sibi conjunctim cum Episcopo potestas est (4), et recte etiam clericos a patrono designatos instituat (5).

(1) Quamquam jus concedendi indulgentias non ad ordinem, ssed ad juridictionem pertineat, tamen eas a Capitulo minime tribui posse constat. Tres hujus rei causas affert Benedictus XIV. *loc. cit. num.* 7. *pag.* 59. *et* 60. Prima est, quod facultas concedendi indulgentia non ita necessaria est pro gubernatione dioecesesos, ut aliquid inde oriatur damni, si ea careat, qui ad tempus dioecesim administrat. Altera quod haec facultas extraordinariae cujusdam jurisdictionis est, quae tantum pertinet ad Dignitatem Episcopalem. Postrema, quod universus indulgentiarum thesaurus penes Summum Pontificem est, qui

illius juris partem in solos Episcopos conferre potuit, ac nolle illis credere, qui neque Ecclesiarum sponsi, nec veri pastores sunt, sed certo tantum tempore dioecesim administraut.

(2) Confer Titulum *ne sede vacant. aliquid innovet.*

(3) Cap. 2. *ne sede vacan. aliq. innovet.*

(4) Cap. *unic. ne sed vacan. in* 6.

(5) 1. *de Instit. in* 6.

§. XIV. Cogit et synodum vicarius capitularis, at dioecesim visitat, atque etiam concedit literas dimissorias clericis, qui a non suo Episcopo ordinandi sunt. Sed in his omnibus certus est constitutus modus. Synodum diocesanam convocat post annum ab proxime habita synodo, ac similiter diocesim visitat elapso anno, postquam superior visitatio ab Episcopo absoluta est (1); literas autem dimissorias primo anno vacantis Ecclesiae iis concedit, quos beneficium vel acceptum, vel accipiendum ad ordines vocat, non item reliquis; post annum vero omnibus universe. Qui contra has leges dimissorias dedit, anni spatio ab officio, et beneficio ipso jure suspenditur, quique eas impetravit, ordinatusque est, nullo gaudet privilegio clericali, praesertim in re criminali, si in minoribus ordinibus constitutus sit, si vero in majoribus, ordinum munera exercere non potest, donec futurus Episcopus exercendi facultatem non dederit (2). Hic vero posteaquam possessionem apprehendit tum a vicario capitulari, tum ab oeconomo, ceterisque officialibus a Capitulo constitutis rationem exigit officii, jurisdictionis, administrationis, totius denique muneris, quod vacua Sede gesserunt (3).

(1) Videndus Benedictus XIV. *cit. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 6.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 10., *et sess.* 23. *cap.* 10. *de reform.* Sed tria hic animadvertenda sunt, quae recte indicat Giraldus *exposit. Jur. Pontific. par.* 2. *sect.* 100. *pag.* 962. quibusdam allatis Sacrarum Congregationum decretis. Primum est, quod vicarius capitularis primo anno vacantis Ecclesiae dimissorias literas concedere potest iis tantum, qui propter beneficium ordinibus initiandi sunt, non item iis, qui pensionem sunt consequuturi. Alterum est, quod elapso anno idem vicarius interstitiorum lege solvere omnes potest, intra annum eos tantum, qui propter beneficium ordinandi sunt; postremum quod titulo patrimonii, aut pensionis a vicario literae dimissoriae dari non possunt, quod tantum Episcopo reservavit Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* Videndus Andreuccius *Hierarch. ecclesiast. in var. part. distribut. et canonico-theolog. exposit. lib.* 1. *num.* 5. *et* 7.

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 16. *de reform.*

§. XV. Vicarii Parochorum non uno omnes modo constituuntur, et eorumdem loco munus gerunt. Alii nimirum perpetui sunt, alii pro certo tempore ab ipso Episcopo eliguntur, ut Parochi absentis, aut impediti, imperitive vices gerant; et his ex parochiae reditibus certa portio, ex qua vivere honeste possint ipsius Episcopi arbitrio assignatur (1). Quinimo ipse Parochus, cum justam ob causam abfuturus est, sibi temporaneum vicarium constituit, modo hic ab Episcopo approbetur (2). Sunt alii, qui locum tenent Episcopi, Capituli, Monasterii, quorum cura est, quae habitualis dicitur. Nam pluribus ex causis Episcopis reservari, eorumque Mensae certae in dioecesi parochiales Ecclesiae uniri potuerunt. Principio cum parochiae institutae sunt, potuerunt Episcopi sibi adscribere certam populi partem, quam per se ipsos regerent sine opera Parochorum; et haec quidem non videtur quasi singularis parochia constituta, in eaque Episcopus retinet omnia jura, quae pridem habebat generatim in omnes Ecclesias suae dioeceseos, antequam parochiae instituerentur. Deinde ob corruptos populi mores, rationemque locorum, temporum, personarum saepe evenire potuit, ut Episcopus omnium malorum removendorum causa ab se ipso illius curationem, et administrationem suscipiendam putaret. Denique jactura redituum Mensae Episcopalis efficere potuit, ut, cum non alius esset ejus inopiae avertendae modus, ei parochialis aliqua Ecclesia unienda videretur.

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 2. *sess.* 21. *cap.* 6. *et sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

(2) Quando ob justam, atque ab Episcopo probatam causam Parochus abest, ab ipso vicarius constituitur, sed ab Episcopo, facto primum examine, approbandus est. Sic Concilium Tridentinum *loc. cit.*, Innocentius XIII. *Const. Apostolici ministerii* 34. §. 13. *Bullarii tom.* 11. *pag.* 261., Benedictus XIII. *Const. In Supremo* 31. §. 10. *eod. loc. pag.* 352.

§. XVI. Non valde dissimiles fuere causae, propter quas parochiales Ecclesiae vel collegiis clericorum, vel monasteriis adjunctae sunt. Ipsis enim potuit in institutione parochia aliqua committi, potuit et postea concedi, vel ut ejus bona jam pene deperdita diligentius, atque utilius administrarentur, vel ut collegiorum, et monasteriorum, quae integra conservare Ecclesiae, et reipublicae intererat, indigentiae consuleretur. Sed

et plures in eadem collegia, et monasteria collatae sunt Ecclesiae Parochiales propter ea, quae octavo, nono, et consequentibus saeculis evenerunt. Nam ea tempestate laici complures bona, et jura Ecclesiarum occupaverant in specie jurispatronatus, advocatiae, custodiae, et multi etiam ea quasi jure feudi possidebant, ita ut ad haeredes transmitterent, interque eos dividerent. Occupatio haec, et oppressio in ipsa loca sacra, Ecclesias scilicet, et altaria ferebatur, eaque quasi res familiares vendebantur, ac distrahebantur in partes pro arbitrio, et libidine eorum, qui iisdem potiebantur. Tantum hoc malum cum aequo animo ferre non possent Episcopi, atque illam in primis gravissime detestantur sacrorum altarium venditionem, laici homines altaria ab ecclesiis distinguere coeperunt, et illa quidem Episcopis concesserunt, harum vero cum suis bonis possessionem eodem, quo antea, modo, jure, libertate retinuerunt. Erat haec distinctio sacrorum canonum disciplinae repugnans (1); hinc una omnes voce clamabant Episcopi, Ecclesias etiam cum bonis restituendas esse clericis, ad quos omnia pertinebant; sed nihil proficere potuerunt, laicis accusantibus pravos mores clericorum, de quibus spem nullam se habere dicebant fore, ut ea bona in Ecclesiae utilitatem converterentur. Neque hae laicorum querelae aerumnosis illis temporibus temere fiebant, uti omnes, qui ecclesiasticam historiam norunt, fateantur necesse est.

(1) S. Abbo Floriacensis Abbas, qui saeculo X. floruit, ea de re sic scribebat ad Reges Galliarum *in apolog.* apud Pithoeum *Cod. Canon. p.* 398. *ed. Paris.* 1617. » Est etiam alius error gravissimus, quo fertur, altare esse Episcopi, » et ecclesiam alterius cujuslibet domini, cum ex domo consecrata, et altari » unum quiddam fiat, quod dicitur ecclesia, sicut unus homo constat ex corpo» re, et anima. Videte, aequissimi Principes, quo nos ducit cupiditas, dum » refrigescit caritas „

§. XVII. Interea ut his malis remedium aliquod adhiberent Ecclesiarum Antistites, ac praesertim Romani Pontifices in eo maxime sibi elaborandum putarunt, ut inter clericos communem vitam inducerent; unde pluribus in locis erecta sunt collegia clericorum, et horum exemplo monasteria, in quibus omnis vitae communio servabatur, et in quibus viventes omnibus exemplum erant doctrinae, et probitatis. His laici homines, qui Ecclesias, earumque bona possidebant, victi demum crebris hortationibus, et monitis Episcoporum, non an-

tiquis illarum rectoribus Parochis, eadem bona restituere coeperunt, idque fieri Episcopi facile permiserunt, ut ita Ecclesiae e laicorum manibus eriperentur. Clerici, qui communiter vivebant aut omnes universe, aut per constitutum ab se vicarium parochiam administrabant, et omnia, quae gerenda erant, parochialia munera exercebant. Sed idem praestare non poterant monachi, qui sacris ordinibus insigniti non erant; et hinc distinctionem illam inter altaria, et ecclesias a laicis inventam proponentes altaria in sacerdotes contulerunt, sibi vero ecclesias, earumque bona reservarunt. Quin etiam eo usque progressi sunt, ut et sibi vindicarent altaria, conventa cum Episcopo certa vi pecuniae, quam solverent, cum sacerdotem eligerent, qui eorum loco altaria praesideret, quod *redemptionem altarium* appellabant (1). Sed id tamquam simoniacum improbatum est (2); et hinc sublata hujus redemptionis necessitate potuerunt monachi sacerdotem constituere, qui eorum loco sive ad certum tempus, sive perpetuo parochiam administraret, cunctisque in ea gerendis muneribus satisfaceret.

(1) Omnis praestatio, quae dabatur Episcopo, cum Ecclesiarum, quae ad monasteria pertinebant, vicarii, seu personae, ut vocabant, mutarentur, altaris redemptio dicebatur. Cum enim jure communi omnes Ecclesiae sint in Episcopi potestate, eas ille interdum donabat monasteriis, aut collegiis canonicorum, vel a fundatoribus donari permittebat, retenta ea praestatione, quae altaris redemptio appellata est. Cum haec praestatio Ecclesiae legibus vetita fuisset, non defuerunt Episcopi, qui pro redemptione illa, quae multorum annorum intervallis fiebat, annui census solutionem exigerent. Quo e numero fuerunt. Ulgerius Andegavenis Episcopus, quem reprehendit Goffridus Vindocinensis *ep.* 12. *lib.* 2. apud Sirmondum *opp. var. tom.* 3. *pag.* 491. *edit. Venet.* 1728., et Ivo Carnotensis, ac Rannulphus Santonensis, quos graviter increpat Paschalis II. P. in literis, quas describit ipse Sirmondus *loc. cit.*; et Souchetus *observ. ad Ivon. Carnoten. ep.* 12. *pag.* 213. *edit. Paris.* 1647.

(2) Urbanus II. in synodo Arvernensi *can.* 4. *caus.* 1. *q.* 3.

§. XVIII. Summo jure monachorum tantum erat juspatronatus, quod unum laici, cum uno potirentur, in eos transferre potuerant; sed Episcoporum indulgentia factum est, ut et libera beneficiorum collatio ipsis concessa videretur. Hac indulgentia opus fuit adversus laicos, qui cum ipsam beneficiorum, et ecclesiarum collationem occupavissent, cupidiores erant contentionis, quam veritatis; sed quoties ageretur

cum laicis, qui se tantum jus praesentandi monasteriis tribuere fatebantur, relicta Episcopi institutione, nihil controversiae esse poterat. Variae propterea inductae sunt consuetudines, et interdum monachis datum solum jus praesentandi, interdum et jus instituendi. Interim monachi Sacerdotio donari coeperunt, et ipsi, ubi praesertim habebant jus instituendi, altari, curaeque animarum praeficiebantur; idque fiebat in omnibus Ecclesiis, sive hae cum monasterio conjunctae, sive ab eo discretae, ac separatae essent. Ab his quidem avocati sunt postea monachi, ne a solitaria, quam agere debebant, vita distraherentur: verum in Ecclesiis monasterio adjunctis perseverarunt in officio ministrandi altari, et gerendi, si quae esset, curam animarum. Ita monasterio, ac pari modo capitula plures Ecclesias ad se delatas, tamquam beneficia sibi perpetuo unita administrarunt.

§. XIX. Hodie capitula, et monasteria Parochiales Ecclesias sibi unitas retinent, et *habitualem* curam habere dicuntur, sed *actualem* exercent per idoneos vicarios, qui ab ipsis vel perpetuo, vel ad tempus constituuntur. Cum ad tempus constituti sunt, ita ut removeri ab officio possint arbitrio illorum, qui eos elegerunt, nulla causa opus est ut removeantur (1); sed vicarii perpetui tantum ab Episcopo ob graves causas officio privari possunt (2). Nam vicaria perpetua tamquam ecclesiaticum beneficium habetur; et quamquam nominatio ad capitulum, aut ad monasterium pertineat, non id tamen, uti fit in beneficiis patronatis, ejus naturam mutat. Hinc hujusmodi vicariae comprehenduntur iisdem regulis, quae sunt de ceteris beneficiis constitutae; Ordinarii auctoritate instituuntur; suum habent officium, ac suos etiam reditus, cum quibus nihil commune habet capitulum, vel monasterium; impedimento sunt, ne vicarius aliud beneficium consequatur (3), aut ne semel recte constitutus a monasterio, aut capitulo loco dimoveatur (4). Generatim vicariis omnibus ex Ecclesiae reditibus assignanda est certa pars fructuum, cum quibus et vitam ducere honeste ac decenter possint, et imposita onera sustinere. Quod si capitula, aut monasteria facere neglexerint, Episcopi est curare, ut apta et conveniens portio vicariis tribuatur (5). Eaque

nec minor quinquaginta, nec major centum scutis argenteis esse debet (6). Quae portio, si lapsu temporum vel plane deficiat, vel ita minuatur, ut vicarius non habeat, quod ei necessarium est ad perferenda onera, vitamque traducendam, nullus mihi dubitandi locus esse videtur, quin aut alia a capitulo, vel monasteria danda congrua, aut id quod deest supplendum sit. Contra vero si eadem congrua ex fidelium largitionibus incrementum aliquod accipiat, non ea quae facta est, accessio transit in potestatem capituli, aut monasterii; quoniam quae data sunt non his, sed vicariae a fidelibus donata censentur, ipsaque et rerum dominium acquirere, et incrementum potest.

(1) Vide-sis Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 2. *tom.* 2 *pag.* 145., qui cum tradit, etiam sine causa temporaneos vicarios removeri posse, animadvertit id recte fieri, *modo remotio fiat absque dolo, et non ex odio.*

(2) Cap. 3. *de cappell. monach.*

(3) Cap. 1. *et* 2. *de offic. vicar.*

(4) Cap. 3. *eod. tit.*

(5) Concilium Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 7. *de reform.*, S. Pius V. *Const. ad exequendum* 68. *Bullar. tom.* 4. *par.* 2. *pag.* 401, Benedictus XIV. *Constit. cum semper* 103. §. 19. *tom.* 1. *ejus Bullar. pag.* 224.

(6) Pius V. *cit. Constit. ad exequendum* §. 1. *et* 2. haec portio vicariis tribuenda esse debet inquit » non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum suorum, computatis omnibus etiam incertis » emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis . . . . . » nisi solitum fuisset plus assignari » Cum autem minus exploratum videretur, qualia haec essent scuta, quorum a Pio V. fit mentio, Innocentius XIII. *cit. Const. Apostolici ministerii* §. 12. omnem ea de re sustulit dubitationem, eaque scuta *intelligi debere* constituit *de scutis argenteis juliorum decem monetae Romanae pro quolibet scuto.* Et licet tum haec Innocentii, tum altera Pii Constitutio tantum vicarios perpetuos comprehendat, tamen Benedictus XIV. *cit. Const. cum semper* ad temporaneos quoque vicarios eamdem juris disciplinam produci jussit. Quin etiam Episcopis facultatem esse voluit augendi portionem illam vicariis debitam, atque a Pio V. definitam, cum eam satis aptam, et idoneam non esse ad decentem vicariorum tuitionem, atque ad onera praesertim Missarum sustinenda judicaverint.

§. XX. In primis vero cum vicarii constituuntur pro gerenda animarum cura, Episcopi consensus, et auctoritas requiritur. Qua in re, ut omnis procul sit errandi locus, animadvertendum est, magnum esse discrimen, quod inter Ecclesias parochiales, quae capitulis, aut monasteriis unitae sunt, interque Ecclesias, quarum iisdem est juspatronatus, intercedit. Ubi capitula, et monasteria solum habent juspatronatus,

eorum tantum est nominatio et praesentatio, quam sequitur Episcopi institutio. Ubi vero cura animarum capitulo, aut monasterio cohaeret, ab alterutro vicarius constituitur, sed ab Episcopo, facto primum periculo ejus peritiae, approbandus est. Quod discrimen ut agnoscatur, inspiciendae sunt tabulae aut fundationis, aut unionis, quae cum desunt, usus rerum gestarum ostendet, facta ne fuerit unio, an potius juspatronatus institutum. Aliud quoque discrimen est inter Ecclesias parochiales, quae monasteriis, atque inter Ecclesias, quae collegiis canonicorum unitae sunt. Nam illis multo facilius permittitur, ut instituatur vicarius temporalis non perpetuus, quam his ut temporalis potius, quam perpetuus vicarius praeficiatur. Nam monachi in Ecclesiis, quae monasteriis cohaerent, unum, ut plurimum, ex Regularibus de eodem monasterio vicarium eligunt, cui perpetua vicaria tribuenda non est, uti fert natura beneficiorum regularium, quae manualia, sive amovibilia esse solent. Ecclesiis vero, quae a monasteriis sejunctae sunt, dandus non est vicarius aliquis ex numero monachorum, ne ejus rei causa a coenobio avocetur.

§. XXI. Omnes hi vicarii, qui capitulorum, vel monasteriorum loco, curam animarum gerunt, eodem, quo ceteri Parochi, jure censentur, atque ad eos referenda sunt omnia quae sunt de his generatim constituta (1). Ipsis quidem non licet aliud pro se vicarium substituere (2); sed tamquam veri Parochi sacramenta administrant, sacraque omnia exercent munera, neque in his a capitulo, aut monasterio pendent; et festis diebus sacrificium pro populo offerre debent (3); et eadem, qua omnes parochi, residentiae lege tenentur, ita ut absentes etiam poenis coerceantur (4); et in rebus omnibus, quae pertinent ad munus parochiale, Episcopo subjicitur. Ipse igitur in eos jurisdictionem exercet, et corrigit, et cum opus est, poena plectit, eorum Ecclesias visitat, neque eorum aliquis, uti diximus, ignaro Episcopo, vicarius constitui potest. Excipitur Monasterium Cluniacense, eaque excipiuntur monasteria, seu loca, in quibus Abbates generales, aut capita ordinum praecipuam habent ordinariam sedem, atque etiam cetera monasteria, seu domus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem episcopalem in Parochos, et parochianos obtinent; salvo tamen jure illorum

Episcoporum, qui majorem in eadem loca, vel personas jurisdictionem exercent (5).

(1) Clement. *unic. de offic. vicar.*

(2.) Cap. 4. *de offic. vicar.*

(3) Benedictus XIV. *Const. cum semper* 103. §. 4. *tom.* 1. *ejus Bullar. pag.* 223.

(4) Cap. 6. *de offic. vicar.*

(5) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap. II. de regular.* Hanc autem Tridentini Concilii legem cum aliqui ad solos Parochos pertinere putarent, non item ad Sacerdotes ab episcopali jurisdictione exemptos, si aliqua administrarent sacramenta ad Parochum spectantia sine Episcopi, et ejusdem Parochi venia, ampliavit, et declaravit Gregorius XV. *Const. Inscrutabili* 50. §. 4. *tom.* 5. *par.* 5. *Bullar. pag.* 1., eademque lege etiam Ecclesias Equitum Jerosolymitanorum comprehendi statuit S. Pius V. *Const. exposcit* 187. §. 3. *tom.* 4. *par.* 3. *Bullar. pag.* 180. Illam autem Tridentini decreti partem, qua ab Episcopi jurisdictione, visitatione, et correctione etiam in iis, quae pertinent ad curam animarum, et sacramentorum administrationem, excipiuntur Parochi tam saeculares, quam regulares, qui curam eamdem gerunt in monasteriis, seu locis, in quibus Abbates generales, aut capita Ordinum praecipuam ordinariam sedem habent, declaravit Benedictus XIV. *Const. Firmandis* 109. *a* §. 13. *ad* 19. *tom.* 1. *ejus Bullar. pag.* 266. *seq.*, ut omnis ea de re disputandi locus tolleretur. Primum igitur (sunt haec a Benedicto constituta) ut haec exemptio locum habeat, satis non est, quod in eo coenobio sedem ordinariam habeat quivis Abbas, sed eamdem habere debet Abbas generalis totius ordinis sui. Deinde necesse non est, quod idem monasterium, in quo generalis Abbas commoratur, sit caput ordinis, sed satis est, quod ipse in eo principalem, atque ordinariam sedem habeat. Tertio, ordinaria haec, et praecipua sedes habetur monasterium, quod tale ab ordinis constitutionibus, atque a diuturna consuetudine stabilitum est. Quod si nihil ea de re aut constitutionibus, aut consuetudine cautum est, ordinaria, ac praecipua sedes habetur coenobium, in quo Abbas generalis stabilem, firmamque sedem constituit, cum universo ordini praefectus fuit; et si is postea mutarit locum, neque hic, neque alius, quem pridem elegerat, praecipua, atque ordinaria sedes haberi potest. Quarto hi generales Superiores non ideo jus aliquod habent in saeculares subditos parochialium, quae in ordinaria eorum sede erectae sunt, sed omnis jurisdictio pertinet ad Episcopum, cujus etiam consensus, et auctoritas requiritur, cum Parochus constituitur. Quinto Episcopus curare debet, ut Parochus, qui suo munere minus recte fungitur, ab officio removeatur. Denique Episcopi visitationi, et correctioni obnoxiae sunt Ecclesiae parochiales unitae monasterio, in quo principalis illa sedes constituta est, quamvis a regulari Parocho administrentur, quin etiam parochiales in eodem monasterio erectae, modo eas Episcopus visitare consueverit. Quod si hi Superiores in Parochos, et Parochianos Ecclesiarum monasterio cohaerentium sese episcopalem, ac temporalem potestatem habere demonstraverint, nec se Episcopus in eos ampliorem obtinere ostendit, hic in eos nullam exercere jurisdictionem poterit, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatus.

§. XXII. Vicarii perpetui Parochorum saepe propriam habent

Ecclesiam, quae *filialis* dicitur, respectu habito ad Ecclesiam *matricem*, unde eadem ortum habuit, quaeque est titulus Parochi, cui illi subjiciuntur. Proprie matrices, et filiales Ecclesiae dicuntur, cum antiqua parochialis Ecclesia dividitur, novaque ex hac divisione intra ejus fines erigitur, cui datur Parochus, qui certos regat subditos, atque in certum regionis tractum, qui ad antiquum Parochum pertinebat, jurisdictionem obtineat. Huic Parocho, qui matrice Ecclesiae praeest, a Parocho Ecclesiae filialis daudus est honos aliquis, ex. gr. annuus census, monumentum antiquae subjectionis, et reverentiae, quam filia matri praestare debet. At minus proprie matrices etiam, et filiales Ecclesiae dicuntur, cum nulla facta est propria divisio, sed tantum intra fines alicujus parochiae nova Ecclesia erecta est, quae parochiali adjumento sit, in eaque vicarius constituitur, qui a Parocho designatur, quamquam rite constitutus ab eodem officio privari non possit (1). Hujus vicarii officium, et jurisdictio non iisdem ubique finibus continetur, neque ea ita a Parocho pendet, ut eamdem ipse arctare possit suo arbitratu. Sunt enim inspiciendae tabulae fundationis; ut pateat, quid agere Vicarius possit, quid contra non possit, expendenda est antiqua consuetudo, atque exinde deprehenditur, quid vicario datum, quid contra Parocho reservatum sit. Ita in locis compluribus receptum est, ut nonnisi in Ecclesia matrice existat fons baptismalis, in quo et omnes filialis Ecclesiae subditi baptismum suscipere debent.

(1) Consule Cardinalem de Luca *de decim. disc.* 12. *num.* 12. Saepe etiam antiquior Ecclesia matrix dicitur; recentior filialis, propterea quod haec illi certos honores praestare debet. Sed haec etiam minus propria est utriusque vocabuli significatio. Illud a Juris canonici peritis recte animadversum est, cum Ecclasia matrice confundendam non esse Ecclesiam digniorem, quasi ea quae matrix est, etiam dignior haberi debeat. Nam evenire facile potest, ut Ecclesia aliqua dignor sit, et matrix, alia contra matrix, et non dignior. Ita si Parochialis Ecclesia dividatur, novaque ex eadem erecta collegiata evadat, haec quidem et filialis, et simul dignior erit. Porro Ecclesiae, quae in urbe, quaeque in oppidis extant, matrices vulgo appellantur quae digniores sunt; at id non semper est verum, cum non semper omnes, Ecclesiae a digniore originem habuerint, sed hoc nomine appellantur, quod iis certi debentur honores, exemplo matricum Ecclesiarum, non quod tales revera sint. Videndi sunt Pitonius *discept. eccles. tom.* 3. *disc.* 106., et Barbosa *de offic. Paroch. cap.* 9. *num.* 10.

§. XXIII. Sunt et vicarii Apostolici, qui aliquando extra ordinem a Sede Apostolica constituuntur (1), cum metus est, ne diutius Ecclesia pastore careat, aut cum magna videntur futura dissidia in vicarii capitularis electione, aut cum Episcopus propter senium, aut aliam causam suo recte munere fungi non potest, aut cum ipse ab administratione suspenditur, vel etiam removetur (2). Qui vicarii interdum eliguntur cum charactere episcopali, atque hi creantur Episcopi *in partibus infidelium*, ut ordinis habeant potestatem, et simul aliam Ecclesiam administrantes illi non desint, cui vicarii dati sunt, interdum sine hoc charactere; eorum vero potestas noscenda est ex literis Apostolicis, quibus ipsis officium commissum est. Generatim Vicarius Apostolicus, qui vacanti Ecclesiae praeficitur, majorem obtinet jurisdictionem, quam Vicarius a Capitulo constitutus. Nam libere confert beneficia, quae pertinent ad Episcopi collationem (3); atque, ut in pauca conferam, agere omnia potest, quae secundum juris disciplinam praestat Episcopus electus, et confirmatus, una dempta ecclesiasticarum rerum alienatione (4).

(1) Vicarius ab Apostolica Sede constitutus vocatur etiam visitator, dispensator, procurator, administrator in *can.* 19. *dist.* 61. *can.* 1. *caus.* 7. *q.* 1., *cap. ult. de supplend. negligent. praelat. in* 6., *cap.* 52. *de elect. in* 6.

(2) Sixtus V. *constit.* 117. *tom.* 4. *par.* 4. *Bullarii pag.* 399. Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium facultatem dedit eligendi Vicarios Apostolicos, quoties Ecclesiarum necessitas eos postularet.

(3) Cap. 4. *in fin. de supplen. negligent. praelat. in* 6.

(4) Cap. 42. *de elect. in* 6.

§. XXIV. Denique alii sunt vicarii nati, quorum potestas non ab alieno pendet arbitrio, sed ab ipsa lege, quae illam eorum beneficiis perpetuo conjunctam voluit. Ita Archipresbyter, et Archidiaconus olim erant vicarii nati Episcoporum; et vicarios illos perpetuos, quorum supra est facta mentio, vicarios natos Parochorum possumus appellare. Eadem lex, quae his vicariis potestatem dedit, ejus quoque fines definivit; ideoque tum eam, tum consuetudinem spectare oportet, ut noscatur, qualis ea, quantaque sit.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI

TITULUS XXIX.

Lib. 1. *tit.* 14. in 6. *lib.* 1. *tit.* 8. in Clement. *Lib.* 1. *tit.* 6. in Extravag. commun. Decretum *can.* 1. *et seq. dist.* 94. *can. qua de causa c.* 2. *q.* 4. *can. igitur c.* 25. *q.* 2. Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. *sess.* 25. *cap.* 10. *de reform.*, et alibi passim. Pandectae *lib.* 1. *tit.* 16. *et tit.* 21. *et lib.* 2. *tit.* 1. *L.* 5. 6. 16. 17. Codex. *lib.* 1. *tit.* 50. *lib.* 3. *tit.* 1. *L.* 5. *et auth. seq. et L. ult.*

§. I.

A Vicariis, quibus est commissa Episcopi jurisdictio, progreditur Raymundus ad ceteros, qui delegatam habent jurisdictionem; hoc est datam ab eo, a quibus ipsi munus acceperunt. Nam judex ordinarius jurisdictionem exercet suam, et affixam officio, quod gerit; sed contra delegati jurisdictio aliena est, in eumque translata ab illo, a quo ipse jussus est

negocium aliquod expedire (1). Delegatorum genus est sane multiplex. Alii enim delegati sunt a lege, alii ab homine, et hi quidem vel a Principe, qui omnes infra se habet, qualis in rebus ecclesiasticis est Romanus Pontifex, in civilibus Imperator, Rex, ceteri, qui summo potiuntur imperio, vel ab inferiore, quales sunt illi, qui ab Episcopo, vel simili Praelato ecclesiastico, aut a Magistratibus Imperatori, Regi, ceterisve subjectis constituuntur. Alii sunt delegati universales, alii speciales; illis omnes causae universe, vel saltem generatim certum genus causarum ex. gr. matrimonii, decimarum; his vero vel una, vel tantum aliquae speciatim causae committuntur. Rursus alii sunt delegati, quorum officium confertur in dignitatem, ex. gr. in Episcopum Ananiensem, alii in quibus non dignitatis habetur ratio, sed certa designatur persona, ejusque nomen exprimitur. Denique sunt delegati, quibus primum delegata, seu commissa fuit jurisdictio; ac sunt etiam subdelegati, qui ab ipsis delegatis iterum delegantur. Quam potestatem subdelegandi tantum habet delegatus a Summo Pontifice in rebus ecclesiasticis, a Principe in re civili, caret autem qui a Magistratu delegatus est (2). Episcopus in omnibus, quae sui sunt muneris, ac dignitatis propria, ordinariam habet jurisdictionem; sed in multis, quae ab ejus potestate subtracta sunt, ac Sedi Apostolicae reservata, delegatam exercet jurisdictionem.

(1) Papinianus *in L. 1. §. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. jurisd.* delegatum vocat » qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed ejus, qui mandavit jurisdictione utitur » et Ulpianus *in L. 16. ff. de jurisd. omn. judic.* » Is, *inquit*, cui mandata jurisdictio est, fungitur vice ejus, qui mandavit, non sua ».

(2) L. 5. *Cod. de judic.*, *L. univ. Cod. qui pro sua jurisd. jud. dare, darive pos.*

§. II. Delegati proprie dicuntur, qui ita sunt constituti, ut ab initio causam suscipiant, sententiam ferant, et sententiae executionem curent. Qui jussi sunt, tantum exequi gratiam a Pontifice concessam, latamve inter duos litigantes ab eo sententiam, proprio nomine executores appellantur. Quorum non eadem est omnium ratio. Alii scilicet tantum exequuntur mandatum, quod acceperunt, sed inquirere in rem ipsam nequeunt, et hi sunt executores meri; alii antequam pontificiam

voluntatem ad exitum perducend im curent, certo modo causam cognoscunt, ut intelligant, vera ne sint, quae rescripti obtinendi gratia Pontifici narrata fuerunt, et hi executores sunt, quos mixtos nuncupamus. Rescripti autem formula executori demonstrat, qualis ipse sit, et qualem habeat potestatem. Nam si illud conceptum sit verbis rei cognitionem demandantibus, uti illa sunt *constito prius* etc. , *si noveris* etc. , aliisque similibus, eo modo constitutus executor non merus, sed mixtus erit; quare antequam rescriptum exequatur, judicis partes suscipiet , feretque sententiam , in qua definiet, vel esse rescripti vim nullam , vel illud vim , et exitum habere oportere.

§. III. Jurisdictionis Apostolicae alteri delegatae antiqua sunt exempla; ac plane risum, et stomachum movet quorumdam vel imperitia , vel malitiosa calliditas , qui Apostolicos delegatos tantum saeculo XII. inductos putant , propterea quod in Gregoriana collectione nulla Decretalis Alexandro III. vetustior describatur (1). Tunc enim ajunt ubique receptas fuisse appellationes ad Sedem Apostolicam, quarum originem stulte repetunt a commentis Isidori Mercatoris , eaque de causa frequentes esse coepisse delegationes judicum , quos Romani Pontifices constituebant, ne litigantes magna cum impensa , et incommodo Romam ire cogerentur. Sed nos opportuno loco , ac tempore ostendemus , hujusmodi appellationes multo esse antiquiores aetate Isidori Mercatoris , neque umquam Romanos Pontifices his falsis monumentis indiguisse, ut tuerentur jus annexum Primatui , quem divinitus acceperunt (2). Hoc interea dicimus, vocabulum ipsum delegationis forte coepisse fieri commune saeculo XII. , cum repertis Amalphi Pandectis, quae Pisanae, aut Florentinae appellantur, restaurari coepit civilis jurisprudentiae studium , quod antea foeda barbaries pene ab Italia exterminaverat. Tunc propria rebus accomodata sunt nomina , qualia nimirum veteres Jurisconsulti usurpaverant, et adhibitum communi omnium usu delegationis vocabulum , quo illi significabant ab alio mandatam jurisdictionem. Sed res ipsa, quae eo vocabulo designatur, antiquissima est; et certe quis ignorat quam saepe Romanus Pontifex a vetustissima aetate in longinquas regiones vicarios mittere consueverit , qui sui vices gererent , et Apostolicae Sedis auctoritatem explicarent (3)? Haec eadem illa potestas est ,

quam veteres Jurisconsulti, et eorum exemplo Alexander III. restituta Romana jurisprudentia delegatam appellarunt. Neque secus sese habere res ipsa potest. Non enim ambigitur, quin is, qui jurisdictionem habet, eam et alteri mandare, aut delegare possit; et nemo etiam, qui catholicus sit, hanc jurisdictionem in Summo Pontifice Ecclesiae capite inesse inficiabitur.

(1) Sic Van-Espenius *Jus. ecclesiast. univers. par.* 3. *tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. *tom.* 3. *pag.* 88., quem sequitur Boehemerus *jus ecclesiast. protestant. lib.* 1. *tit.* 29. §. 6. *tom.* 2. *pag.* 652. *edit. Halae Magdeburg.* 1730.

(2) Ita cum Van-Espenio, Boehemero, ceterisque similibus Rupertus Curaltius *Principj genuini di tutta la giurisprudenza sacra cap.* 22. *num.* 3. *tom.* 2. *pag.* 82. Agam ea de re alio, eoque opportuniori loco. Vide interim quae scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 3. *tit.* 15. §. 20. *seqq. tom.* 3. *pag.* 205. *seqq.*

(3) Innocentius I. *ep.* 13. apud Coustantinm *epist. Pontif. Roman. col.* 815. Rufum Thessalonicensem sui vicarium constituit, eique amplissimam potestatem, atque alios etiam suo lubitu sumendi judices facultatem attribuit his verbis » Licitum autem, et Apostolicae Sedis favore permissum » tuae fraternitati cognosce, ut cum aliqua ecclesiastica ratio vel in tua, vel » in memoratis provinciis, agitanda, cognoscendaque fuerit, quos velis E» piscoporum socios quibuscumque de ecclesiis assumas tecum, quorum et » fide, et moderatione quidquid necessitas, causave flagitaverit, optimus » dirigas arbiter, et praecipuus, quippe a nobis lectus, definias intercess» sor » Leo M. *ep.* 14. *col.* 689. simile officium committit Anastasio Thessalonicensi, variosque etiam definit judiciorum gradus, ita ut ipse supra Metropolitam causam cognoscat; quae si ejus judicio finita non esset, ad Sedem Apostolicam deferri deberet » Ac si forte, *inquit*, inter ipsos, qui prae» sunt, de majoribus, quod absit, peccatis causa nascitur, quae provincia» li nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotii qualita» te Metropolitanus curabit instruere, ut si coram positis partibus nec tuo » fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, » transferatur » Gregorius M. *ep.* 6. *lib.* 3. *opp. tom.* 2. *col.* 630. » Si » qua, *inquit*, causa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria adversus prae» fatum Adrianum consacerdotem nostrum potuerit evenire, vel per eos, qui » nostri sunt, vel fuerint in urbe regia Responsales, si mediocris est quaestio, » cognoscatur, vel huc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur; qua» tenus nostrae audientiae sententia definiatur » Habes hic commissam Pontificiis Responsalibus auctoritatem judicandi Adriani causa. Idem Gregorius *lib.* 3. *ep.* 32. *col.* 647. sese Antonino Subdiacono quarumdam causarum judicium commisisse testatur his verbis » De his autem capitulis, de quibus conquestus » es, Antonino Subdiacono, et Rectori illic patrimonii sanctae, cui, Deo au» ctore, praesidemus Ecclesiae, instanter injunximus, ut si quidem in his » ecclesiasticas invenerit immixtas esse personas, cum summa causas ipsas di» strictione, atque auctoritate definiat. Sin autem cum talibus res agitur, in » quos ecclesiasticae vigor non possit jurisdictionis extendi, de singulis quibu» sque capitulis probationes inter publica gesta depositas, ad nos absque ulla » dilatione transmittat » Quem in locum recte Maurini Editores operum S.

Gregorii inquiunt » In isto Subdiacono, et aliis passim videre mihi videor imaginem judicum ecclesiasticorum, sive ordinariorum, quos Officiales vocant, sive delegatorum » An non hi omnes, quorum nunc est facta mentio delegati » erant Sedis Apostolicae, a qua ipsis cuncta jurisdictio commissa fuerat? Mitto cetera generis ejusdem, ne longus fiam. Unum addam, quod ipsum *delegationis* vocabulum, quo consequenti aetate omnes generatim usi sunt, diserte usurpat Leo M. *cit. ep.* 14. *cap.* 2. *col.* 687., cujus haec verba sunt « Metropolitano singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex *dele-* » *gatione* nostra fraternitatis tuae cura praetenditur, jus traditae sibi an- » tiquitas dignitatis intemeratum habere decernimus ».

§. IV. Quae civili jure sancita sunt de Caesarum, aut Proconsulum delegatis, deque judicibus datis, ea fere omnia in ecclesiasticam jurisprudentiam de officio, et potestate judicis delegati translata sunt. Sed interdum Romani Pontifices a jure civili recedere voluerunt, sive quod morose in cunctis ejus subtilitatibus adhaerere supervacaneum putarent, sive quod ita ferrent opiniones eorum, qui tunc jurisconsultissimi habebantur. Haud tamen haec ecclesiasticae disciplinae ratio, ut ut nova, et non satis Romanae jurisprudentiae conveniens videatur, ab aliquo improbari poterit, propterea quod cum ea res tota penderet a mandantium Pontificum voluntate, ipsi sane auctoritate sua potuerunt alias ferre leges, quam quae essent a jure civili constitutae. Ac Romani quidem veteres legatos, seu delegatos a datis judicibus distinguebant. Nam legati, seu delegati a Caesare, vel Proconsule constituti omnem habebant auctoritatem, per quam et litigantes in jus vocare poterant, et iis diem dicere, seu citare, et causam cognoscere, et sententiam emittere, eamque exequi, ac judicem dare. Sed minor potestas erat judicum, quos illi dederant, quique non jurisdictionem, sed tantum notionem habere dicebantur (1). Hinc apud ipsos in jus vocatio fieri non poterat, sed tantum post factam coram Magistratu in jus vocationem citatio emittebatur; ipsi praeterea causam cognoscebant, ferebantque sententiam, verum executio non ad ipsos, sed ad eum, qui judicem dederat, pertinebat, neque datus judex alium dare judicem poterat.

(1) L. 5. 15. 28. *ff. de re judic.*, *L. ult. Cod. ubi et apud. quem in integr. restit.* Consule Averanum *interpr. jur. lib* 4. *cap.* 17. *num.* 12. *tom.* 2. *par.* 2. *pag.* 702. *edit. Lugduni Batav.* 1753. Scipionem Gentilem *de jurisdict. lib.* 2. *cap.* 8. *opp. tom.* 3. *edit. Neapol.* 1763., Donellum *de jur. civil. lib.* 17. *cap.* 6. *num.* 5. *et seqq. et cap.* 17. *num.*

5. *opp. tom. 4. col.* 1087. *seqq. et col.* 1338. *edit. Lucae* 1762., Cujacium *ad L.* 6. *ff. de jurisdict. opp. tom. 7. col.* 83. *seqq. edit. Venet.* 1758.

§. V. At Jus Canonicum sustulit hoc discrimen; et Pontificiis delegatis tum judices dandi, tum in eos jurisdictionem transferendi facultatem attribuit (1). Ex quo efficitur, ut hic delegatus in judicem ab se datum, quem subdelegatum appellamus, transferre possit vel integram jurisdictionem suam, vel ejus partem, hoc est ei vel totam causam, vel ejus principium, medium, finemve committere (2). Cum delegatus omnem abjecit, atque deposuit jurisdictionem, quam universam in subdelegatum transtulit, ab hujus sententia non ipse delegatus, sed Summus Pontifex appellatur; quoniam hic videtur egisse partes delegati, a quo constitutus est, ut sui loco causam judicaret; nisi forte idem subdelegatus tamquam suspectus recusetur. Nam si hic nihilominus in causa processerit, ad ipsum subdelegantem appellatio conceditur Eademque datur appellatio ab interloquutoria, a qua secundum juris regulas appellare liceat, cum subdelegans non omnem contulit in subdelegatum jurisdictionem, sed ei tantum partem commisit, puta ut initio causam noscat, vel etiam ut ejus cursum expediat, sibi tamen relicta ferendae sententiae potestate (3). Quod si delegatus alteri secum delegato vices suas commisisset, vel si delegatus post factam subdelegationem in excommunicationem incidisset, vel si alteruter ex litigantibus nullam in eo potestatem inesse contenderet, eique idcirco parere recusaret, Apostolica Sedes appellanda est (4).

(1) Cap. 6. *et ult. de offic. et potest. delegat.* At enim *in cap.* 34. *eod. tit.* contra subdelegationem a delegato factam exceptio proponitur. Verum haec exceptio ad eum pertinet, qui obtinuerat subdelegationem, quae obreptitio, et subreptitio rescripto impetrata dicebatur, non vim ipsam respicit omnium subdelegationum, quasi subdelegationes delegatorum rejiciendae videantur.
(2) Cap 27. *de offic. et potest. jud. delegat.*
(3) Cap. 18. *eod. tit.*
(4) Cap. 3. 4. 10. *eod. tit. in* 6.

§. VI. Interdum tamen delegato omnis aliquem subdelegandi potestas interdicitur. Quod fit cum causa maxime gravis est (1); cum certae personae fides, atque industria a Summo Pontifice electa videtur, quamquam et jussus negotium aliquod personaliter expedire alterum subdelegare possit con-

sentientibus litigantibus (2); cum delegatus commissi officii onus ab se removere malitiose conatur (3); denique cum aliquis merus executor est, ita ut ei datum unum ministerium, sed nulla concessa jurisdictio sit (4). Contra si haec cum ministerio conjuncta, neque speciatim personae industria electa fuerit, recte fit subdelegatio; et hinc qui jussus est testes recipere, alteri committere in re civili hoc negocium potest, si cum hoc munere etiam jurisdictionem accepit, non potest vero, si executor merus est constitutus (5).

(1) Cap. 3. *de offic. et potest. jud delegat.*
(2) Cap. *ult. eod. tit.*, *Cap.* 12. *eod. in* 6.
(3) Cap. 28. *de offic. et potest jud. delegat.*
(4) Cap. *ult. eod tit.*
(5) Clement. *unic. eod. tit.*

§. VII. Delegatus quidquid agit Pontificis, qui delegavit, nomine agere intelligitur. Quare ut fidem habeat, et auctoritatem, in medium proferre debet mandatum, seu rescriptum, cum quo munus accepit (1); ejusdemque mandati leges sedulo observare debet, ne ultra constitutos fines jurisdictionem producat (2). Hinc in re aliqua datus, eam unam tractare debet, jussusque in certo loco judicium expedire, mandati legibus parere debet, nisi justis de causis eodem in loco versari non possit (3). Generatim ejus potestas omnia comprehendit, quae cum principali, ac proprio negocio, cujus gratia constitutus est, ita sunt connexa, ut illud sine his recte nosci, atque absolvi non possit (4). Hinc delegatus in jus vocat litigantes, et venire recusantes censuris compellit, citat testes, poenisque animadvertit in eos, qui mandato, judicioque suo parere recusaverint (5). Contra si duo Patroni inter se litigent, uter eorum jus praesentandi habere debeat, eaque controversia delegato commissa sit, ut eamdem definiat *appellatione remota*, neque ipse instituet clericum designatum a patrono, cui jus praesentandi adjudicatum est, neque impedimentum inferre potest ei, ad quem pertinet institutio, quominus jus suum persequatur. Nam duo haec, jus praesentandi, et instituendi inter se diversa sunt, nec cui datum est munus definiendi controversiam de jure praesentandi, etiam de jure instituendi judicium commissum vi-

detur, neque potestas data in patronos ad eum etiam, qui jus habet instituendi, producenda est (6).

(1) Cap. 31. *de offic. et potest. jud. delegat.*
(2) Cap. 13. 15. 21. 31. *et* 35. *de offic. et potest. jud. delegat.*
(3) Cap. 13. *de offic. et potest. jud. delegat. in* 6.
(4) Cap. 4. *et* 5. *eod. tit.*
(5) Cap. 1. *et* 4. §. 1. *cap.* 5. 7. 11. 12. §. *sexta. in fin. cap.* 36. *et* 28. *eod tit.*
(6) Cap. 15. *eod.*

§. VIII. Potestas delegati sese explicat in personas delegatione comprehensas, non item in ceteras, ad quas ne consentientibus quidem litigantibus jurisdictio prorogari potest (1); nisi hae forte delegato impedimentum inferant, quominus ipse libere suum munus exerceat. Tunc enim ad has quoque provehit suam potestatem (2); quin ipsos etiam Episcopos, qui ejus jurisdictionem turbaverint, sut impediverint, ecclesiasticis poenis coercere potest (3). Quamquam vero Episcopis generatim mandatum sit, ne contra Apostolicos delegatos aliquid moliantur (4), si tamen ipsi aut nimis asperam, aut iniquam putent delegati sententiam, agere cum eo possunt, ne interim sententiam exequatur, donec Summus Pontifex rei totius certior fiat (5); imo et ipsis delegatis praeceptum est, ut certum modum teneant in coercendis, corrigendisve Episcopis, quos sibi adversarios judicant (6). Praeterea sententiam ab se latam intra annum exequitur Pontificius delegatus (7); in quo etiam Jus Canonicum a delegatis distinguit judices datos, qui emissa sententia suo sunt functi officio, neque ulla ipsis amplius reliqua potestas est, sed qui judicem dedit sententiam exequitur (8). Potest autem delegatus sententiae executionem Ordinario committere; qui si mandato non obtemperaverit, integrum tamen illi est per semetipsum executionem absolvere (9).

(1) Cap. 40. *de offic. et potest. jud. delegat.*
(2) Cap. 1. *de offic. et potest. jud. delegat.*
(3) Cap. 11. *eod. tit.*
(4) Cap. 24 *de rescript.*
(5) Cap. 8. *de offic. judic. delegat.*
(6) Cap. 2. *eod. tit. in* 6. Graviores tamen criminales causae Episcoporum ab ipso Summo Pontifice dijudicandae sunt, Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.*

(7) Cap. 26. *de offic. et potest. judic. delegat.*
(8) Cap. 4. *de for. competen.*, *L.* 15. *ff. de re judic.*
(9) Cap. 7. *et* 28. §. *quia vero de offic. et potest. judic. delegat.*

§. IX. Non unus tantum, sed et plures, ut in re civili (1), ita in ecclesiastica delegati constituuntur (2). In primis retinenda sunt haec. Duobus commissa causa, uterque ferre judicium debet, et unius sententia non valet (3), nisi alter omnem potestatem suam in eum contulerit (4) aut nisi lex dicta sit, ut uno impedito alter procedat, et tunc ne licet quidem impedito aliquem subdelegare (5). Quod si ex duobus, quibus causa commissa est, ut alter procedat, alterutro vel uolente, vel impedito, unus tamquam susceptus recusatus, et superior appellatus fuerit, is aute amotam suspicionem ab ejus causae judicio repellendus erit. Itaque negocium absolvet, qui minime suspectus habetur; sed collegam recusatum socium, et consortem judicii habere non potest (6). Ubi tres delegati constituti sunt cum lege, ut duo procedant, si tertius interesse vel nolit, vel nequeat, nisi id primum manifestum fiat, a duobus emissa citatio, aut sententia inanis est (7). Denique cum plures delegati sunt, omnes procedere in causa debent, sed suas vices alteri committere quisquis eorum potest (8). Atque id quidem obtinet, cum uno tantum rescripto plurium delegatio continetur. Quid si diversa rescripta sint, atque ad diversos delegatos data? Irrita est delegatio posterioris rescripti, in quo prioris mentio facta non fuit; eorum si prior delegatus intra annum non processerit, negocium absolvit qui posteriore rescripto delegatus fuit (9). Quod si hoc novo rescripto prioris mentio facta sit, nulla amplius erit antiquioris delegati jurisdictio, quoties primum rescriptum per alterum abrogatum fuit; at si de abrogatione non constet, uterque delegatus procedet, ita ut si non eadem utriusque sententia sit, communi litigantium consensu arbiter eligatur; unde potius habeatur ejus delegati judicium, quod ab arbitro probatum est (10). Hodie Summi Pontifices, ut causae exitum habeant expeditiorem, per adjectas clausulas cavere solent, ut unus tantum, vel duo ex pluribus delegatis, non vocatis ceteris, jurisdictionem explicent (11); ita ut qui prior negocium occupavit ceteros ab officio excludat, nisi illum aut adversa valetudo, aut alia justa causa impediat, quo

minus negocium absolvat, aut nisi malitiose illud finire recusaverit (12).

(1) L. 76. *ff. de judic.*, *L.* 17. §. 2. *et* 5. *L.* 18. *ff. de recept. L.* 56. *et seqq. ff. de re judic.*
(2) Cap. 16. 17. 21. *et* 22. *de offic. et potest. jud. delegat.*
(3) Cap. 16. *eod. tit.*
(4) Cap. 6. *eod. tit.*
(5) Cap. 34. *eod. tit.*
(6) Cap. 23. *eod. tit.*
(7) Cap. 21. *et* 22. *eod. tit.*
(8) Cap. 6. *eod. tit.*
(9) Cap. 23. *de rescipt.*
(10) Cap. 14. *et* 16. *de rescript.*, *Cap.* 6. *eod. tit. in secund. collect.*
(11) Cap. 21. 23. 30. *de offic. et potest. jud. delegat.*
(12) Cap. 8. *eod. tit. in* 6.

§. X. Delegatus ex justa causa recusari potest; eaque est, si constet eum alterius ex litigantibus cognatum esse, affinem, familiarem, amicum, officialem, collegam in Canonicatu, aut alia simili de causa suspectum (1). Quae causae suspicionis proponendae sunt ante litis contestationem, nisi deinceps post contestatam litem ortae, aut cognitae fuerint (2); iisdemque propositis delegatus supersedere omni opere debet, ac ne facere quidem subdelegationem potest, nisi antea suspicionis causae removeantur (3). Cum recusatur delegatus Episcopi, ex. gr. Officialis, aut Vicarius generalis, recusationis causa ab ipso Episcopo dijudicanda est, quamquam ab his idem Episcopus appellari non possit (4). De eadem causa adversus suum delegatum judicat Summus Pontifex, quando nullus ei datus est socius, et consors delegationis. Nam si plures delegati constituti sunt, dicta lege, ut uno impedito, alter procedat, hic quidem causam judicabit; secus si nulla hujusmodi lex in rescripto insit, coram electis arbitris negocium absolvetur (5). Illud de ecclesiasticis delegatis a sacris canonibus sancitum est, ut gratis commissum impleant officium, ac ne assessorum quidem causa aliquid a litigantibus accipiant (6); nisi agatur de esculento vel poculento sponte oblato, quod paucis diebus consumi possit; aut nisi cum litigantium consensu sit omnino eligendus assessor, cui sua tribuenda merces laborum est; aut denique nisi delegatus credito sibi muneri satisfacturus extra suum domicilium proficisci cogatur (7). Tum vero certus est servandus pro impen-

sarum ratione modus, imo si pauperes fuerint litigantes, ne harum quidem impensarum causa aliquid exigendum est.

(1) Cap. 17. 25. *et* 35 *de offic. et potest. jud. delegat.*
(2) Cap. 25. *eod. tit. et cap.* 4. *de exception.*
(3) Cap. 5. *de offic. et potest jud. delegat. in* 6.
(4) Cap. 3. *eod. tit. in.* 6.
(5) Cit. *cap.* 4. *et cap.* 41. *de appellat.*
(6) Cap. 10. *de vit. et honest. cleric.*
(7) Cap. 11. §. *insuper et seq. de rescript. in* 6.

§. XI. Eligendus est delegatus vir probus, et prudens, atque in Juris scientia versatus; qualem scilicet omnem judicem esse oportet, ut sibi commissum munus rite, ac recte conficiat. Certa etiam aetas in delegato requiritur, quoniam illius imbecillitas minus apta videtur ad rerum gravitatem sustinendam. Generatim major viginti annis a quolibet delegatus constitui potest, major annis tantum decem et octo non potest, nisi litigantium consensus accedat; minor hac aetate solum a Principe delegatur (1). Recentiori aetate aliae quoque ea de re juris praescriptiones accesserunt. Bonifacius VIII. neminem in posterum delegatum dari jussit, nisi is dignitate, aut personatu, aut canonicatu cathedralis Ecclesiae potiretur (2). Paulo post Clemens V. (3) decrevit, ut praecipuus Episcopi Officialis, seu Vicarius generalis, itemque Religiosus obtinens Prioratum conventualem, non autem Officialis, seu Vicarius foraneus, aut Religiosus claustralem habens Prioratum (4) delegatus constituatur. Denique a Tridentina Synodo cautum est (5), ut unaquaeque dioecesis quatuor saltem, pluresve habeat aut canonicos Ecclesiae cathedralis, aut dignitate, vel personatu insignitos, probatosque viros, quibus causae ecclesiasticae, ac spirituales, et ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Eligendi hi sunt, ut eo fungantur munere in singulis conciliis provincialibus, aut dioecesanis, et si quis eorum decesserit, alius ab Episcopo cum consilio Capituli eligetur, qui mortui locum obtineat (6). Sed novo hoc jure Bonifacii, Clementis, Concilii Tridentini adempta non est Pontificiis delegatis facultas alios subdelegandi; modo qui subdelegantur idonei sint ad commissum officium expediendum (7).

(1) Cap. 41. *de offic. et potest. jud. delegat.*
(2) Cap. 11. *de rescript. in 6.*
(3) Clement. 2. *de rescript.*
(4) Prior claustri, seu claustralis est, qui alterum tenet locum post Priorem conventualem, cujus est toti monasterio praesidere. Ille nimirum quasi secundus Prior erat, et obnoxius Priori Conventuali, ac dicebatur claustralis, quia secundum monachorum regulam semper in claustris manere debebat, uti tradit Du-Cangius *glossar. med. et infim. latinitat. verb. Prior claustri vel claustralis.*
(5) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de reform. cap.* 10.
(6) Vide Benedictum XIV. *Const. quamvis paternae* 28. *tom.* 1. *ejus Bullarii pag.* 40.
(7) Similes, ac delegatus, qualitates subdelegatus habere debet, cum in eum tota transfertur Apostolica jurisdictio; verum cum hic constituitur pro aliquo peculiari articulo, puta pro examinandis testibus, conferendisve instrumentis, aliove simili actu, qui sine ulla causae cognitione expedire potest, consuetudine receptum est, ut etiam simplices clerici, privative homines, qui nullam habent dignitatem, recte delegentur. Consule Giraldinum *Exposit. jur. pontific. lib.* 1. *Decretal. par.* 1. *tit.* 29. *sect.* 163. *pag.* 99.

§. XII. Extinguitur delegati officium, et jurisdictio, cum ipse moritur, nisi causae cognitio, nullius expresso nomine, dignitati, non personae commissa fuerit (1); cum ipse delegatus sese munere abdicat, quod semel depositum, ne consentientibus quidem litigantibus, ac tamquam arbiter iterum suscipere potest (2); cum delegans vita fungitur re adhuc integra, nam post litis contestationem, atque etiam emissam citationem perpetuatur jurisdictio (3); quo eodem jure censentur, qui subdelegati sunt, donec delegatus absit, aut mandatum revocet, quique etiam eo moriente, re non integra, in commisso officio perseverant (4); cum pluribus non singulatim, ac disjunctive, sed in solidum delegatis unus eorum humanis rebus eripitur, quia tunc ceterorum etiam jurisdictio plane occidit, atque evanescit, nisi his vices suas mandavisset, qui mortuus est, iidemque judicium jam inchoassent (5); cum elapsum est tempus, quod absolvendo judicio praefinitum fuerat, nisi litigantes delegati jurisdictionem prorogare voluerint (6); cum a delegante revocata est delegatio, quod re adhuc integra fieri potest (7); denique cum lata est sententia, eaque executionem obtinuit, cujus rei perficiendae gratia, uti diximus, solidus annus Pontificio delegato conceditur (8). Verum Executores meri (9), et Inquisitores adversus haereticam pravitatem (10), etiam mortuo Pontifice, a quo delegati sunt, retinent officium, et potestatem suam.

(1) Cap. 14. *de offic. et potest. jud. delegat. Cap.* 7. *de rescript. Novella* 134. *cap.* 6.

(2) Cap. 38. *de offic. et potest. jud. delegat.*

(3) L. 6. *ff. de jurisdict.* Lucius. III. in *Cap.* 19. *eod. tit.* litis contestationem requirit, ut res amplius integra non sit, ac delegati jurisdictio perpetuetur: contra Urbanus III. *in cap.* 20. *eod tit.* solam citationem satis esse affirmat. Multae hinc ortae sunt controversiae inter Juris Canonici Interpretes, cum hae duae decretales inter se pugnare videantur, et plures, earum sententiae sunt, quas describit Emmanuel Gonzalezius in *cit. cap.* 20. *de offic. et potest. jud. delegat.* Ego vero nihil miror, quod Lucius III. litis contestationem necessariam duxerit, ut res amplius integra non habeatur, secundum Jus Civile *in L.* 25 *ff. rem rat. habar. et in Auth. litigiosa Cod. de litigios.*; quod contra Lucii successor Urbanus III. *in cap.* 20. solam citationem satis esse decreverit. Lucius Jus Civile sequutus est; Urbanus jus novum constituit.

(4) Cap 7. *de offic. et potest. Jud. delegat. in* 6.

(5) Cap. 30 *et* 42. *de offic. et potest. Jud. delegat.*

(6) Cap. 4. *eod. tit.*

(7) Cap. 37. *eod. tit. Cap.* 6. *eod. in* 6.

(8) Cap. 26. *de offic. et potest. jud. delegat.*

(9) Cap. 9. *eod. tit. in* 6.

(10) Cap. 10. *de haeret. in* 6.

§. XIII. Inter judices delegatos referendi sunt Conservatores, qui privilegio Sedis Apostolicae a Regularium Ordinibus, a plerisque Universitatibus, atque etiam a quibusdam Canonicorum collegiis eliguntur, ut contra aliorum injurias, atque violentias res ipsorum, ac jura defendant (1). Hi sumendi sunt e coetu judicum synodalium, qui si nulli in dioecesi sint, licebit illis, quibus hoc tale privilegium concessum est, alios constituere sibi judices conservatores suo arbitratu, modo ii dignitatem, aut personatum habeant, vel canonici sint Ecclesiae Cathedralis. Horum tamen desinit jurisdictio, cum judices synodales electi sunt, quorum e numero conservatores sumere oportet (2); adeout extra hunc numerum constituti nullam exercere jurisdictionem possint, et poenis etiam subjiciantur, qui eos contra legis praescriptum elegerunt (3). Jure veteri etiam Episcopi, ac vicarii generales, vel eorum superiores, aut Abbates Judices conservatores esse poterant (4); sed jure novo nonnisi ex numero judicum synodalium conservatores eligendi sunt (5). Itaque fere omnium nunc firma sententia est, id muneris Episcopo committi non posse; illud autem in primis omnibus certum, exploratumque est, ab eodem munere

repellendum esse alienae dioeceseos Episcopum, quippe qui in ea nullam plane jurisdictionem gerit. Electis autem conservatoribus, hujus electionis documentum intra sex menses in actis Curiae Episcopalis exhibendum est; secus coram Episcopo judicium absolvitur.

(1) Bonifacius VIII. in *Cap. ult. de offic. et potest. Jud. delegat in* 6.

(2) Clemens VIII. *Const. Sanctissimus* 5. *Bullar. tom.* 5. *par.* 1. *pag.* 337., et Gregorius XV. *Const. Sanctissimus* 33. *Bullar.* §. 2. *tom.* 5. *par.* 4. *pag.* 385

(3) Has poenas describit Gregorius XV. *loc. cit.* §. 4.

(4) Cit. *cap. ult. de offic. et potest. jud. delegat. in* 6.

(5) Consule Benedictum XIV *de synod. dioeces. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. *tom.* 1. *pag.* 152.

§. XIV. Conservatores suum explicant officium in re clara, et manifesta, judiciali indagatione non indigente, quae cum necessaria est, ab ordinario judice res tota cognoscitur (1); jurisdictionem exerceut tantum in dioecesi, in qua constituti sunt; unum habent ministrum, notarium videlicet (2); alium subdelegare possunt, cum sint Pontificii delegati; rite constituti ante quinquennium sine justa causa ab officio removeri nequeunt; et si quis eorum interim decedat, alius eligitur, qui ejus locum teneat (3). A Tridentina Synodo sancitum est, ut cum aliquorum clericorum gratia ab Apostolica Sede dati sunt judices conservatores, coram his iidem clerici conveniantur, sed ipsi contra eos actores sunt, alios non coram Conservatore, sed coram Episcopo conveniant; item ut in judiciis criminalibus, aut mixtis iidem ad tribunal Episcopi trahantur; praeterea ut conservatoriae literae tantum intra quinquennium prodesse debeant iis, qui eas impetrarunt; denique ut conservatores nullum erectum tribunal habeant (4). Verum in civilibus causis mercedum, vel miserabilium personarum clerici quicunque saeculares, aut regulares extra monasterium degentes, etiam exempti, itemque illi, qui a Sede Apostolica singulares conservatores obtinuerunt, libere coram Episcopo conveniri possunt (5). Cum Regulares intra monasterium degunt propriis gaudent privilegiis, quorum gratia ad suos superiores vel conservatores in civilibus causis vocandi sunt (6).

(1) Cap. 1. *et cap.* 15. *de offic. et potest. jud. delagt. in* 6.

(2) Quaestio est, num Conservator Episcopalis Notarii opera uti debeat, cum nulla adversus Episcopum controversia est, qua de re videndus Gaudentius a Janua *de visitat. Praelat. Regul*, *cap.* 7. *dub.* 17. *sect.* 5. *num.* 58.

(3) Videndi sunt Benedictus XIV. *loc. cit. cap.* 6., et Giraldius *exposit. Jur. Pontific. par.* 2. *sect.* 47. *pag.* 851. *seqq.*, a quibus haec omnia accurate describuntur.

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. *de reform*, quod tamen hujus regulae exceptionem constituit his verbis » Universitates autem » generales, ac collegia Doctorum, seu scholarium, et regularia loca, nec » non hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac universitatum, collegio- » rum, locorum, et hospitalium hujusmodi personae in praesenti canone mi- » nime comprehensae, sed exemptae omnino sint, et esse intelligantur ». Quod autem a Synodo Tridentina statutum est de tribunali, quod Conservatores erectum habere nequeunt, id Gaudentius a Janua *loc. cit.* intelligendum putat de tribunali fixo, ac stabili, dum contra singulis vicibus, quibus suum munus exercet Conservator, rem omnem tractat pro tribunali. Ipse igitur non *actualiter*, ut inquiunt, sed tantum *habitualiter* erectum tribunal habere prohibetur.

(5) Concilium Tridentinum *loc. cit. et sess.* 7. *cap.* 14. *de reform.*

(6) Paulus V. *Const. Religiosorum* 79. *Bullar. tom.* 5. *par.* 3. *pag.* 280., quae constitutio quamquam pro Carmelitis edita sit, tamen ad omnes pertinet Regulares.

§. XV. Interdum etiam, quamquam actores sint Regulares, eorum causae non ab Episcopo sed a Conservatoribus dijudicandae sunt. Nimirum si ab aliquo injurias acceperint, eaeque manifestae sint, datisque testibus comprobatae, hujus querelae judex erit conservator, qui accusatos coercebit (1). Orta inter Episcopum, et Conservatores de jurisdictione controversia ab arbitris definienda est (2). Novissime a Clemente XIII. duo sunt sapienter constituta, primum ut minime liceat Regularibus temporarios superiores proprii, vel alterius instituti conservatores eligere, alterum ut, qui in partibus infidelium commorantur, Regulares christianae religionis propagandae gratia non utantur privilegio habendi conservatores, quod a Sede Apostolica impetrarunt, ne qua propter eos magno cum damno rei christianae dissidia exoriantur (3).

(1) Consule Giraldium *loc. cit.* §. 7.

(2) Vide-sis Concilium Tridentinum *cit. sess.* 14 *cap.* 5.

(3) Clemens XIII. *Const. cum omnium data nono Kalendas Martii an.* 1762.

DE OFFICIO LEGATI

TITULUS XXX.

Lib. 1. *tit.* 15. *in* 6. Decretum *dist.* 21. *c.* 2. *d.* 94. *et* 97. *per tot. can.* 7. *c.* 2. *q.* 1. et *can.* 39. *c.* 11. *q.* 1. Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 20. *et sess.* 22. *cap.* 7. *de reform.* Congruit cum Pandectis *tit. de offic. Proconsul. et tit. de offic. Praesid.*, et Codice *tit. de mandat. Princip.*

§. I.

A Delegatis, de quibus hactenus egimus, distinguendi sunt Pontificii Legati, quibus non unum, aut alterum privatorum negocium, sed generalis jurisdictio committitur. Plura olim erant Legatorum genera, cum plures saepe occurrerent eorum mittendorum causae. Alii mittebantur, ut nomine Romani Pontificis Concilio praesiderent, quales in prima oecumenica Nicaena Synodo fuerunt Osius Episcopus Cordubensis, et Vincentius, ac Vitus, seu Vito Presbyteri; alii ut Ecclesias seu provincias visitarent, dissidia componerent, ea corrigerent, quae erant corrigenda, rectasque leges constituerent, qualis fuit undecimo saeculo Petrus Damiani apud Mediolanenses; alii ut definitum aliquod negocium Apostolica auctoritate expedirent; alii ut ecclesiasticas provincias sive certo tempore, sive perpetuo regerent; alii ut in iis Summi Pontificis vices gererent; alii ut ad rem christianam nationes instituerent, uti fuerunt in exitu sexti saeculi Augustinus apud Anglos, octavo saeculo apud Germanos Bonifacius. Sed hi legati erant

extra ordinem, quos mittebant Romani Pontifices, cum eos rerum, ac temporum ratio propter Ecclesiae utilitatem, aut necessitatem postulare videbatur; iique similibus de causis nunc etiam a Sede Apostolica constituuntur. Neque enim catholicus homo, cui certum, fixumque est, Petro, ejusque successoribus a Christo Domino creditam fuisse curam, et sollicitudinem omnium Ecclesiarum, dubitare potest, quin Romani Pontifices commissi muneris partes explere debeant sive per semetipsos, sive per legatos, quos mittere oportet in remotas regiones, in quibus ipse Pontifex praesens esse non potest. Haec mittendi legatos ratio est, cumque ipsi in iis regionibus, ad quas missi sunt, personam sustineant Summi Pontificis, ejusque vices gerant, consequens est, ut eorum jurisdictio ipsa sit jurisdictio Pontificis, cujus arbitrio, et voluntate eadem vel amplior, vel angustior esse potest (1). Hodie triplex designari solet Legatorum genus; alii scilicet nati, alii missi, alii a latere appellantur (2).

(1) Videnda est *responsio* Pii VI. P. *ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, Salisburgensem super Nunciaturis Apostolicis*, ubi etiam recentiores quidam male conciliati libri solide refutantur. Hos inter scriptores numerandus praesertim est Rupertus Curaltius *principj genuini di tutta la giurisprudenza sacra cap. 21. num. 4. pag. 53. seqq. tom. 2.*, qui licet unitatis custodiendae causa recte a Summo Pontifice Legatos mitti fateatur, tamen in reliquis pontificias legationes vehementer improbat, propterea quod Legatos quosdam sua interdum auctoritate abusos fuisse constat. Sed haec hominum vitia sunt, non ipsius officii, ac dignitatis. Nemo ignorat, quantum Episcopi sua saepe auctoritate abusi fuerint. An ideo Episcopatum exterminandum putabimus?

(2) Cap. 9. *de offic. Legat.*, Cap. 1. *eod. tit. in 6.*

§. II. Legati nati sunt, quorum in dignitate haeret officium legationis, ita ut hoc cum persona non exspiret, sed ad omnes in dignitate successores transferatur. Eorum autem antiquissima origo est. Cum enim recte intelligerent Romani Pontifices, in Ecclesiis quibusdam necessarios esse perpetuos legatos, seu vicarios, qui ipsam referrent Sedis Apostolicae auctoritatem, eos quidem constituerunt, ut amplissima illa, quam obtinebant, potestate pravos usus tollerent, mores emendarent, reique christianae bono consulerent. Atque hoc legationis officium praecipuis Sedibus affixum voluerunt, ut eorum Antistites, quorum in iis regionibus major erat auctoritas,

facilius commisso muneri satisfacerent, ac repugnantes, metu etiam poenarum, cum opus esset in Officio continerent (1). Temporum injuria perierunt antiquiora monumenta, ex quibus certo statui possit, quo primum tempore Legati nati Sedis Apostolicae fuerint instituti (2). Illud compertum, exploratumque est, hujusmodi Legatos fere initio V. saeculi constituisse Innocentium I., qui non rem novam induxisse, sed *praedecessores* suos imitatum fuisse professus est (3); ex quo intelligimus, ea aetate antiquiorem esse originem Legatorum. Procedente eorum saeculo, annisque consequentibus frequentior occurrit eorum mentio.

(1) Van-Espenius, cujus omnibus notae sunt calumniae in Sedem Apostolicam *Jur. eccles. univers. par.* 1. *tit.* 21. *cap.* 1. *num.* 14. *tom.* 1. *pag.* 173. legationem, seu vicariatum Apostolicum praecipuis Sedibus Romanos Pontifices de industria addixisse affirmat, ut facilius auctoritatem suam amplificarent. Idem Van-Espenii imitator tradit Boehemerus *jus ecclesiast. Protestant. lib.* 1. *tit.* 30. §. 5. *tom.* 2. *pag.* 687. Porsus ridicule. Vicarius non aliam habet auctoritatem, praeter eam, quam a delegante accepit, quamque ipse delegans dare poterat. Nisi Pontifex habuisset potestatem, quam in Legatum, aut Vicarium transferebat, quomodo hic eam exercere potuisset, cum camdem neque ipse per se haberet, neque a Pontifice accepisset? Adde quod neque Metropolitae, qui Legati eligebantur, neque ceteri sua jura labefactari, aut imminui sivissent, nisi intellexissent, a Romanis Pontificibus Jure Primatus et recte constitui Legatos, et iisdem amplissimam attribui auctoritatem posse. Notae sunt querelae, quas Illyricani Episcopi contra Antistitem Thessalonicensem Legatum natum Sedis Apostolicae ad Theodosium Imperatorem detulerunt, cum aegre ferrent, sese illi in omnibus causis ecclesiasticis obnoxios esse oportere, malleutque subjici Patriarchae Constantinopolitano. Et initio quidem Imperator iisdem morem gessit; sed latam ea de re ab ipso legem vehementer improbavit S. Bonifacius P. *ep.* 13. *ad Rufum et ep.* 14. *ad Episcop. per Thessal. constitut.* apud Coustantium *epist. Pontific. Roman. col.* 1034. *et* 1037.; atque improbavit etiam laicus Princeps Honorius Imperator, qui gravissimas eadem de re literas dedit ad Theodosium, quas describit ipse Coustantius *loc. cit. col.* 1023. Denique re diligenter cognita, et expensa sese antea fuisse deceptum ipse confessus est, legemque suam abrogavit, atque ita Thessalonicensis Episcopus antiqua apostolicae legationis jura retinuit. Sic enim Theodosius in literis ad Honorium datis apud eumdem Constantium *col.* 1301. » Unde, *inquit*, omni supplicantium Episcoporum per Illyricum subreptione remota, statuimus observari, quod prisca apostolica disciplina, et canones eloquuntur. Super qua re . . . . . . scripta porreximus, ut cessantibus Episcoporum subreptionibus antiquum ordinem specialiter faciant custodiri » An ea res talem habuisset exitum, nisi Summo Pontifici licuisset et Vicarium in Illyrico constituere, et in eum amplam illam conferre potestatem? Recentius hoc Theodosii rescriptum non extat in Codice Theodosiano, cujus rei causam affert Lucas Holstenius *in not. ad Concil. Ro-*

man. III. verb. ad viros illustres tom. 5. Concil. collect. Labbaei col. 874.; sed tamen ejus certa fides est, annisque consequutibus semper Thessalonicensis Antistes apostolicae legationis munus exercuit, et huic muneri annexam potestatem obtinuit usque ad aetatem Leonis Isauri, cum erupit haeresis Iconoclastarum, eaeque regiones a catholica fide defecerunt. Idem sane rescriptum, quo antiquior illa lex abrogata fuit, in discrimen revocari non posse fatetur Boehemerus *observat.* 18. *in Petrum de Marca concord. sacerdot. et imper. lib.* 5. *cap.* 24. §. 9, inquit tamen, illud dicis causa editum fuisse, *neque effectum ullum habuisse.* Quid est hoc, nisi est magnum et impudens mendacium, cum certo sciamus, sub Pontificibus, qui Bonifacio successerunt, Coelestino, Sixto, Leone, ac ceteris Thessalonicenses Episcopos semper legationem exercuisse cum eadem auctoritate, qua antea fruebantur? Confer epistolam 3 S. Caelestini I. *ad Episcop. Illyric.*, et epistolam 10. S. Sixti apud Coustantium *col.* 1063. *et* 1270.; et S. Leonem M. *ep.* 5. *ad Episcop. Metropol. Illyric. tom.* 1. *col.* 617., locisque aliis compluribus. Nisi prior Theodosii lex novo rescripto e medio sublata fuisset, haud sane Thessalonicensis Antistes in antiquo legationis munere, ac dignitate perseverasset. Quod adeo verum est, ut diu post, scilicet an. 540, cum Justinianus vehementer cuperet, ut Metropolita Justinianae primae vicarius esset Romani Pontificis, summis tandem precibus a Vigilio P. impetravit, ut Thessalonicensis Vicariatus divideretur in partes duas, quarum alteri praeesset Antistes ille Justinianae primae tamquam vicarius » Sedis Apostolicae Romae secundum ea, quae definita sunt a Sanctissimo Papa Vigilio » uti loquitur idem Imperator *Novel.* 131. *cap.* 3. an. 541. Sed nolo longior esse in calumniis haeretici hominis refutandis; verum legatos hujusmodi constituendi causam quaeramus a S. Leone M. *ep.* 14. *ad Anastasium tom.* 1. *opp. col.* 685., qui his utitur verbis » Quoniam sicut praedecessores mei praedecessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuae priorum sequutus exemplum vices mei moderaminis delegavi; ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostrae mansuetudinis adjuvares, et longinquis a nobis provinciis praesentiam quodammodo nostrae visitationis impenderes; siquidem continenti, opportunoque prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusque rebus vel tuo studio componeres, vel nostro judicio reservares » Quae verba si expedissent Van-Espenius *loc. cit. par.* 1. *tit.* 21. *cap.* 2. *num.* 15. *t.* 1. *pag.* 176. *edit. Lovanii* 1732., et qui ex iisdem fontibus suam hausit doctrinam Boehemerus *loc. cit.* et §. 8. *pag.* 690., haud sane literis consignassent jejunam illam, frigidamque calumniam, quod tantum saeculo X., vel XI. post inventas falsas decretales Romani Pontifices *pastoralis officii plenitudinem*, *et universalem solicitudinem* omnium Ecclesiarum proponere coeperunt, cum Legatos mittebant. Leo M., qui V. saeculo vixit, diserte profitetur, sese Anastasium Legatum suum constituere propter *curam*, *quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debet.* Clarius etiam de eodem Anastasio ipse Leo *ep.* 5. *cap.* 2. *ad Episcop. Metropolit. Illyric. col.* 617. scribit haec » Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui apostolicae dignitatis beatissimo Apostolo Petro Primatum fidei suae remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem solicitudinis, quam habemus, cum his, qui nobis collegii caritate juncti sunt, sociamus. Vicem itaque nostram fratri, et Coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum, quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus » An non habere se ostendit *potestatis plenitudinem*, et *solicitudinem omnium Ecclesiarum*,

qui jus mittendi Legatos, qui in alienis dioecesibus pontificiam auctoritatem exerceant; aperte refert ad jus Primatus, atque ad *universalem* in tota Ecclesia auctoritatem, quique tam expresse declarat, *principaliter ex divina institutione* sibi commissam esse curam omnium Ecclesiarum, eamque ad cunctas *distendi* propter primatum totius Ecclesiae, quem Christus attribuit Petro, ejusque successoribus? Idem occurrit *in ep.* 15. Bonifacii I. apud Coustantium *ad Rufum et ceter. Episcop. per Macedon. Achajam etc. col.* 1040., in eademque sunt causa antiquiores Pontifices Innocentius I. 4. *ep.* 13. *ad Rufum num.* 2., Bonifacius I. *ep.* 4. *ad eumd.*, Caelestinus I. *ep.* 3. *ad Episcop. Illyrici*, Sixtus III. *ep.* 10. *ad Illyric. Episcop.* apud Coustantium *col.* 518. 1019. 1063. *et* 1269. Itaque nihil attinet curiosius quaerere, quis primum adhibuerit vocabulum *plenitudinis potestatis*, quando res ipsa, quae hoc vocabulo designatur, antiquissima est, semperque Romani Pontifices universalem illam in tota Ecclesia potestatem cum Primatu conjunctam, sicuti revera est, habuerunt.

(2) Ludovicus Thomassinus *vet. et nov. eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 7, *tom.* 1. *pag.* 39, de Thessalonicensi Vicariatu scribit haec „ Jecere Damasus, et Siricius fundamenta vicariatus apostolici Thessalonicen- „ sis, culmen vero imposuit Innocentius I. „

(3) Innocentius I. *ep.* 13. *cit. num.* 2. *col.* 816. cum Rufum Thessalonicensem Sedis Apostolicae vicarium, seu legatum constituit, se *non haec primitus ita statuere* profitetur, sed *praedecessores suos imitari.*

§. III. Amplissima olim erat horum Legatorum potestas, eaque comprehendebat, quae voluntariae, quaeque contentiosae jurisdictionis sunt. Voluntaria jurisdictio respiciebat Ecclesiarum visitationem (1); inquisitionem, et investigationem vitae, morum, doctrinae eorum, qui Episcopatum consequuturi erant (2); ordinationem Metropolitarum (3); jus convocandi Concilium, cum justae erant ejus convocandi causae (4); dandaeque Metropolitis veniae, ut a suis Ecclesiis recte discederent (5). Iidem praeterea Legati certiores fiebant eorum omnium, quae a quovis Sacerdote, aut Episcopo gerebantur (6); expendebant diligenter vim, et naturam eorum, quae a Sede Apostolica aliquis postularet (7); denique cognoscebant statum Ecclesiarum, et quidquid diligenti inquisitione norant, Summo Pontifici significabant (8). Contentiosa jurisdictio pertinebat ad causas majores, quae primo judicio a Vicario dijudicabantur (9), itemque ad causas, quae contra Episcopum agerentur (10); atque ad ceteras omnes, in quibus vel querela, vel appellatio proposita fuerat (11), quaeque deferebantur ad Synodos beneficio appellationis (12), cunctas denique causas ecclesiasticas, quas vel per semetipsos, vel cum vocatis ab se Episcopis vicarii judicabant, vel earum judicium delegatis ju-

dicibus committebant (13). In his omnibus, ceterisque similibus magna erat auctoritas Vicarii Apostolici adversus omnes fideles, ipsosque etiam Episcopos; et Metropolitas, suisque mandatis repugnantes poenis quoque coercebat (14). Quod si graviores essent causae, quae ad judicium Sedis Apostolicae pertinerent, aut si etiam in causis minus gravibus eadem Sedes appellata fuisset, solus Pontifex judicio suo totum illud negocium expediebat (15).

(1) S. Bonifacius I. *epist.* 5. *ad Rufum. num.* 2. *pag.* 1622. » Te ergo, » *inquit*, frater carissime, omnis cura respectat earum Ecclesiarum, quas tibi vice Sedis Apostolicae a nobis creditas recognosces; ut et prava corrigas, et » dissipata componas.

(2) S. Sixtus III. *epist.* 8. *num.* 1. apud Coustantium *col.* 1263. Ipsum, » *inquit*, major cura respectet eorum, qui ad Episcopatum vocantur, discutiendi solicitius, et probandi „ ita ut » citra ejus conscientiam (ut ait S. » Coelestinus *loc. cit.*) et sine ejus consilio; nullus ordinetur, nullus usurpet » eodem inconsulto commissam illi provinciam » Eadem habent S. Sixtus *cit. epist.* 14. *ad Anastas. cap.* 6. *col.* 688

(3) S. Leo M. *ep.* 6. *ad Anastas. cap.* 4. *col.* 621. » Singulis autem Metropolitanis, *inquit* sicut potestas ista committitur, ut in suis provinciis jus » habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos a te volumus ordinari, maturo tamen, et decocto judicio „ et *epist.* 5. *ad Metropol. Illyric. cap.* 4. *col.* 618. » Ut vero, *inquit*, vestrae dilectioni provinciae suae ordinatio permittitur Sacerdotum, ita fratrem, et Coepiscopum nostrum Anastasium de ordinando Antistite volumus consulatis, cui Metropolitani Episcopi consecrationem » statuimus reservari »

(4) S. Sixtus I. *ep.* 10. *ad Episc. Illyric. num.* 2. *col.* 1271. » Sit » Concilium, *inquit*, quoties causae fuerint, quoties ille pro necessitatum » emergentium ratione decreverit, ut merito Sedes Apostolica relatione ejus » instructa, quae fuerint acta, confirmet » Quin etiam sine Legati voluntate Episcopi ad Synodum vocari non poterant, S. Coelestinus I. *loc. cit.*; et cum in Synodo Legati, atque Episcoporum sententiae non conveniebant, rem totam ad Sedem Apostolicam deferre oportebat.

(5) S. Sixtus III. *ep.* 9. *ad Proclum Constantinopol. ibid. col.* 1265. » Si quis, *inquit*, praeter ejus conscientiam sine ejus epistolis, atque formatis venire tentaverit, tamquam disciplinae ecclesiasticae despector, et » contemptor canonum; quos nos temerari aliqua ex parte non patimur, » habeatur ».

(6) Idem *ad Episcop. Illyric. ep.* 10. *ibid. col.* 1271. » Ad eum, *inquit*, quidquid a singulis Sacerdotibus agitur, referatur. »

(7) S. Innocentius I. *ep.* 13. *ad Rufum ibid. col* 817. » Quidquid, » *inquit*. eos ad nos necesse fuerit mittere; non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est, finietur; » aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus » Idem habet S. Coelestinus *ep.* 3. *Episcop. Illyric. ibid. col.* 1064.

(8) S. Leo M. *ep.* 5. *ad Metropolit. Illyric. cap.* 5. *col.* 619. *opp. tom.* 1. » Ipsum vero secundum definita canonum hoc vestra dilectio nostris epistolis admonitum esse cognoscat, ut de statu Ecclesiarum vestrarum certiores subinde sua relatione nos faciat, sciturus sibi a nobis imputandum, si quid de his, quae statuimus, a quoquam fuerit temeratum »

(9) S. Sixtus III. *ep.* 8. *ad Episcop. ad Thessalonic. congregan. ibid. col.* 1263. » Ad Thessalonicensem majores causae referantur Antistitem » S. Leo. *ep.* 13. *ad Metropol. Achajae col* 678.

(10) S. Bonifacius *ep.* 5. *ad Rufum ibid. col.* 1022 » Si quae » *inquit*, » inter Episcopos, vel inter fratres nascantur actiones, evenient causae, » sub divini judicii timore distinguat, atque definiat » Idem habent S. Sixtus *ep.* 10. *Episc. Illyric. ibid. col.* 272., et S. Leo M. *ep.* 13. *ad Metropolit, Illyric. col.* 678.

(11) Alexander III. *in Cap.* 1. *de offic. Legat.* loquitur de S. Thoma Cantauriensi Archiepiscopo, qui et Metropolitae, et Vicarii Apostolici juribus in Angliae regno fruebatur. Ibi autem jus legationis, et jus metropoliticum distinguitur. Nimirum ipse tamquam Metropolita causas ad se delatas per appellationem cognoscebat, tamquam Legatus autem causas omnes dijudicabat, sive per appellationem, sive per querimoniam ad ejus audientiam pervenissent. In utroque rerum genere suam explicabat jurisdictionem S. Thomas, qui a Summo Pontifice per legationem extraordinarias obtinuerat facultates, quoniam eas postulabat difficillimus rerum status, in quo tunc Angliae regnum versabatur, sicuti narrat Baronius *ad an.* 1163. 1164. *tom.* 19. Sed nunc jure utimur Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 20; a quo cautum est, ne Legati, et Nuncii Apostolici procedant in causis subditorum, nisi prius requisito Episcopo, ad quem inprimis instantia causae omnes deferendae sunt, exceptis iis, quae secundum canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam tractandae sint, quasque Summus Pontifex suo tantum judiciu, reservare voluerit.

(12) S. Leo M. *ep.* 6. *ad Anastas. col.* 622. » Si qua vero, *inquit*, » causa major evenerit, quae a tua fraternitate illic (in Synodo) praesidente » non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat, ut revelante Domino, » cujus misericordiae profitemur esse, quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit, rescribamus; ut cognitioni nostrae, pro traditione veteris instituti, et debita Apostolicae Sedis reverentia, nostro examine vindicemus »

(13) S. Innocentius *ep.* 13. *ad. Rufum ibid. col.* 817. » Licitum autem, *inquit*, et Apostolicae Sedis favore permissum tuae Fraternitati cognosce, ut » cum aliqua ecclesiastica ratio vel in memoratis provinciis agitanda, cognoscendaque fuerit, quos velis Episcoporum socios, quibuscunque de Ecclesiis » assumas, tecum, quorum et fide, et moderatione quidquid necessitas, causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter, ut praecipuus, quippe a nobis lectus, desiuias intercessor ». Vide etiam S. Bonifacium *ep.* 15. *ad Episc. Macedon. Achajae* etc. *ibid. col.* 1054. et S. Sixtum *ep.* 8. *ad Episc. apud Thessalonic. congregan. ibid. col.* 1264.

(14) S. Coelestinus *ep.* 3. *ad Episc. Illyric. ibid. col.* 1065. Hac praeceptione cognoscent, *inquit*, et eum, qui refragandum nostrae auctoritati, vel illius crediderit jussioni, a Fraternitatis coetu, eum ipse se separet, segregandum » Confer etiam S. Bonifacium *cit. ep. ad Rufum*

(15) S. Leo. M. *cit. epist. ad. Anastas.* » Ut enim, *inquit*, auctoritatem tuam vice nostra exercere te volumus, ita nobis, quae illic componi » non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus, et *ep.* 5. » *ad Metropol. Illyric col.* 610. Si quae vero *inquit*, causae graviores, vel » appellationes emerserint, eas sub ipsius relatione ad nos mitti debere decrevimus, ut nostra secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur »

§. IV. Potestas haec tam late patens Legatorum natorum, seu Vicariorum Sedis Apostolicae labentibus annis imminuta

est, praesertim circa saeculum XI., quoniam ita eorum temporum conditio flagitavit. Avertenda nimirum erant gravia illa, quae ea aetate in Clero dominabantur, scelera libidinis, simoniae, ambitus; neque id satis recte praestabant Legati nati, sive quod non ea abundabant sapientia, quam res tanta postulabat, sive quod Apostolicam legationem quasi haereditario jure obtinentes suis studebant commodis, et utilitatibus, rem vero publicam Ecclesiae negligebant. Quare necesse fuit omnem potestatem, qua pridem Legati nati potiebantur, transferre in viros probatae virtutis, quos Romani Pontifices ad rem bene gerendam aptiores judicabant. Hanc necessitatem sanctissimi quique, ac doctissimi Antistites agnoverunt (1); hinc Victor II. in Gallias misit Hildebrandum, qui postea creatus Pontifex Gregorius VII. appellatus est; Nicolaus II. Mediolanum Petrum Damiani, et Anselmum Lucensem Episcopum, qui deinceps in Pontificatu Maximo Alexandri II. nomen accepit. Cum hi duo Pontifices per has ipsas legationes, quibus functi fuerant, experiundo cognovissent, quantum ex iis res christiana publica boni, atque utilitatis accepisset, frequentissimos in omnes orbis provincias Legatos miserunt; eorumque exemplum, atque institutum successores Pontifices sequuti sunt. Haec causa est, propter quam Legatis natis subrogati sunt alii, quos Romani Pontifices mittebant, ut per probatos viros res bene gererentur, non illa, quam fingunt homines male animati in Sedem Apostolicam, scilicet ut per Legatos a suo pendentes arbitrio auctoritatem suam amplificarent (2). An non et Legatorum natorum auctoritas tota pendebat a voluntate, et arbitrio Summorum Pontificum, a quibus illa processerat? An non iidem Pontifices eodem modo, quo Legatis natis potestatem dederant, eam imminuere, atque etiam plane adimere potuissent? Vicariatus Thessalonicensis olim latissime patebat; rogatu Justiniani Imperatoris a Vigilio P. divisus est; deinceps et alia facta eadem pontificia auctoritate divisio, ita ut tres haberet vicarios Sedis Apostolicae totus ille terrae tractus, qui pridem uni tantum Vicario subjiciebatur. Vicariatus quoque Arelatensis ab Hormisda P. sectus est in partes duas, instituto Vicariatu Tarraconensi, cui pars ex illo detracta assignata est. An non et ceteri Pontifices pari jure potuissent auctoritatem, quae

tota ipsorum erat, aliorum Legatorum imminuere? Sed temporum, rerumque conditio flagitabat non homines, quos dignitas saepe casu acquisita commendaret, sed qui pietate, doctrina, rerum gerendarum peritia, ingenio praestarent.

(1) Omnium loco sit Ivo Carnotensis, qui et aliorum Episcoporum ea de re querelas exponit *ep.* 109. *ad Paschalem P. opp. par.* 2. *pag.* 51. *edit. Paris.* 1647. » Quoniam, *inquit*, apud nos videmus quotidie Eccle» siam ruentem, et nullam, aut pene nullam manum erigentem etc. scri» bere decrevimus Sanctitati vestrae, ut alicui transalpino legationem Se» dis Apostolicae injungatis, qui et vicinius subrepentia mala cognoscat, » et ea vel per se, vel per relationem ad Sedem Apostolicam maturius » curare praevaleat » Videndus Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2 *cap.* 119. *tom* 1. *pag.* 350. *seqq.*

(2) Sic Van-Espenius *jus eccles. univers. par.* 1. *tit.* 21. *cap.* 2. §. 14. *tom.* 1. *pag.* 176., cujus haec verba sunt » At cum lapsu tempo» ris jus perpetuae legationis esset quibusdam Ecclesiis annexum, viderent» que Pontifices personarum, quae iis praeficiebantur Ecclesiis, delectum » nequaquam a libero suo pendere arbitrio, coeperunt horum (*Legatorum* » *natorum*) auctoritatem diminuere, aliorum vero, qui ab illorum libera » pendebant nominatione, augere; quae auctoritas circa saeculum XI. sum» mum incrementum accepit »

§. V. Legati missi sunt, quos Summus Pontifex ex Praelatorum numero ad Supremos Principes mittit, ut apud eos negocia curent Sedis Apostolicae, certoque tempore apostolica legatione fungantur. Hi olim iidem, qui et Responsales, et Apocrisarii, quorum supra facta mentio est. Primus S. Leo M. fuisse videtur, qui cum Marciano Imperatore egit, ut apud eum stabilis, ac perpetuus esset Pontificius Legatus, quod munus Juliano Coensi in Cycladibus insulis Episcopo ab eo commissum est (1). Statui certo non potest, num hi Legati aliquam initio jurisdictionem obtinuerint; hoc exploratum est, Julianum fuisse a Leone Constantinopolim missum, ut facilius Eutychiani haeretici coercerentur, atque ut comprimeretur ambitus Anatolii Episcopi Constantinopolitani, qui se, suamque Ecclesiam supra modum extollere conabatur. In utroque hoc negocio Julianus, cui Leo *suas vices* commiserat, praeditus, instructusque esse debuit omni potestate, qua opus erat; sed in reliquis aliquam ei datam fuisse jurisdictionem minime constat (2). Nam huic pro temporum, ac rerum opportunitate ex-

plicandae satis consultum erat per Legatos natos, aut jam constitutos, vel constituendos, ubi expedire videretur. Verum saeculo undecimo cum oportuit imminuere jurisdictionem Legatorum natorum, tum quod ea ipsi abutebantur, tum quod de removendis malis partim ob ignaviam, partim ob imperitiam minime laborabant, ex peculiari Pontificis voluntate Apocrisariis accessit jurisdictio; imo et plures numero Legati mitti coeperunt, quibus major, minorve potestas concessa est, uti rerum agendarum ratio postulabat.

(1) Confer S. Leonem M. *ep.* 111. *ad Marcianum ep.* 112. *ad Pulcheriam, et ep.* 113. *ad Julianum Episcop. Coens. opp. tom.* 1. *col.* 1187. 1189. 1190.

(2) S. Leo M. *cit. epist. ad Marcianum* » Vicem ipsi meam, *in » quit*, contra temporis nostri haereticos delegavi, atque propter Ecclesia» rum, pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi; eu» jus auggestiones pro concordia catholicae unitatis tamquam meas audire di» gnemini, placentes Deo, qui vobis praeter regiam coronam etiam sacer» dotalem conferat palmam ». Vide etiam *ep.* 115. *ad eumd. col.* 1201. Illud vero manifesto falsum, quod ajunt Du-Pinius, Baluzius, Van-Espenius, Febronius, Boehemerus his Legatis missis, seu Nunciis tantum post editas falsas decretales Isidori Mercatoris datam fuisse jurisdictionem, qua antea carebant. Ad hoc commentum refutandum satis est vel una epistola Constantini Pogonati data anno 682. (scilicet multo ante quam prodirent falsae illae decretales) ad Leonem II. P., quae extat apud Labbaeum *tom.* 7. *Concil. col.* 1142., et in qua Imperator dicit haec » Hortamur porro ve» stram sacratissimam summitatem, ut quamprimum mittat designatum ab » ea Apocrisarium, ut is in regia, et a Deo conservanda nostra urbe de» gat, et in emergentibus, sive dogmaticis, sive canonicis, ac prorsus in » omnibus ecclesiasticis negotiis, vestrae sanctitatis exprimat, ac gerat per» sonam »

§. VI. Profluit horum Legatorum auctoritas ex eodem fonte, unde processerat auctoritas Legatorum, quos natos appellatos diximus, scilicet ex vi Primatus, atque ex ampla illa, quam habet Summus Pontifex, in tota Ecclesia potestate. Itaque eodem jure, quo olim Legati nati constituti sunt, nunc constituuntur Legati missi; cumque eorum potestas tota pendeat a Pontificis voluntate, universe statui non potest, qualis ea, quantaque sit; sed observandae sunt leges mandati, quo eadem potestas concessa est. Hinc Legatus missus, nisi singularem obtinuerit facultatem, beneficia conferre non potest (1); multoque minus eadem sibi potest reservare (2), aut transferre Episcopos, aut conjungere, vel dividere Episcopatus, aut absolvere clericorum percussores, qui vel

sunt extra provinciam sibi creditam, vel aliunde veniunt (3). Praeterea cum Legatus rem totam ex. gr. actum electionis, vel causam ad Summum Pontificem transmisit cum accurata omnium relatione suo sygillo obsignata, non potest novum aliquod ejusdem actus, vel causae examen instituere (4). Generatim autem omnes Legati, quamquam ampla sint praediti potestate, in iis, quae alicui speciatim a Pontifice commissa sunt, aliquid agere, aut suscipere prohibentur (5).

(1) Innocentius IV. *cap.* 1. *de offic. Legat. in* 6., qua constitutione sublata est facultas, quae Legatis concessa fuerat ab Innocentio III. *in capi* 6. *de offic. Legat.*
(2) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.*
(3) Cap. 9. *de offic. Legat.*
(4) Cap. 5. *eod. tit.*
(5) Cap. 2. *eod. tit.*

§. VII. Major est potestas Legatorum a latere, uti major est eorum dignitas, amplioribusque facultatibus instruuntur. Hi sumuntur ex collegio Cardinalium; qui unum singulare corpus cum ipso Pontifice videntur constituere (1); et ideo vocati sunt Legati a latere, quoniam eos mittit Pontifex, quasi ex suo dimissos latere, cui semper adhaerere censentur (2). Hinc fere similia Pontificiis acceperunt insignia (3), eorumque adventu in provinciam, ad quam missi sunt, non solum aliorum Legatorum jurisdictio conticescit (4), sed etiam ipsi Ordinarii iis praesentibus abstinere se debent ab iis, quae ecclesiasticam exhibent majestatem; propterea neque solemnem benedictionem populo impartiunt, neque, si Archiepiscopi sint, ante se crucem deferunt (5). Praeterea Legati a latere in omnes exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subjectos jurisdictionem exercent, exceptis iis causis, quae singulari jure Pontifici Maximo reservatae sunt (6); absolvunt excommunicatos etiam a censuris Papae reservatis, illos quoque, qui extra provinciam sibi commissam commorantur (7); in Ecclesiarum dedicationibus unius anni, ac centum dierum Indulgentias concedunt (8); Ecclesias visitant suae provinciae, debitasque in visitatione procurationes accipiunt (9); quae emendanda videntur, emendant, atque in reos, praesertim contumaces, ecclesiasticis poenis animadvertunt, et statuta condunt, quorum etiam post eorum dis-

cessum perpetua vis est, quamvis verum esset jurisdictionem ab illis alteri mandatam post eorum discessum extingui(10).

(1) Cap. 1. *de offic. Legat. in 6.*

(2) Generatim omnes Legati, qui ex familia mittentis sunt, a latere missi, ac delegati dicuntur. Possidius *in vita S. Augustini cap.* 13. *opp S. Augustini tom.* 15. *col.* 770. „ Propter quod, *inquit*, perficiendum etiam a suo » latere . . . ad Africam Judicem miserat „ Liberius P. *in epist.* apud Hilarium *fragment.* 4. *opp. tom.* 2. *col.* 669. „ Secutus traditionem majorum, *in- » quit*, presbyteros Urbis Romae Lucium, Paulum, et Helianum e latere » meo ad Alexandriam, ad supradictum Athanasium direxi „ S. Leo M. *ep.* 34. *ad Julian. Coens. tom.* 1. *col.* 870. » Indicendum credidit episcopale concilium, *inquit*, per fratres nostros Julium Episcopum et Renatum Presbyte- » rum, sed et filium meum Diaconum Hilarum, quos e latere meo vice mea » misi „ S. Gregorius M. *lib.* 5 *ep.* 31. *tom.* 2. *opp. col.* 758. » A quo cum » veneritis, quem a latere nostro transmiserimus, eas possit accipere „ et *lib.* 9. *ep.* 4. *col.* 928. Hujusmodi Legatos Balsamon *in not. ad allocut. Synod. VI. in Trullo* apud Beveregium *Pandect. Canon. pag.* 154. *edit. Oxonii* 1672. vocat ἐκ προσώπου, hoc est *a facie*; quo quidem loco de Legatis Romani Pontificis agitur nominatim. Etiam Reges et Imperatores de suo latere personas, seu Legatos mittebant, uti patet ex Gregorio Turonensi *Histor. Franc. lib.* 5. *cap.* 29. *pag.* 239. *edit. Paris.* 1699., Guillelmo Tyrio *Belli sacri Histor. lib.* 18. *cap.* 24 *pag.* 447. *edit. Basileae* 1549., et Capitularibus Caroli Calvi apud Sirmondum *opp. var. tom.* 3. *col.* 14. *edit. Venet.* 1728.

(3) Cap. 23. *de privileg.*

(4) Cap. 8. *de offic. Legat.*

(5) Cap. 23. *de privileg.*

(6) Cap 4. *de offic. Legat. Cap.* 36. *de elect. in* 6., *Cap.* 1. *de verb. signific. in* 6.

(7) Cap. 20. *de senten. excommun.*, *et Cap.* 9. *de offic. Legat.* In quo tamen duo observanda esse monet Giraldius *Exposit. Jur. Pontific. par.* 1. *l.* 1. *tit.* 30. *Decret. p.* 102., primum, quod haec facultas, nisi aliud singulari privilegio cautum sit, tantum pertinet ad casus Summo Pontifici ante Concilium Tridentinum reservatos, non item ad ceteros, qui postea reservati sunt; alterum quod Legatus, aut Nuncius Apostolicus neminem absolvere potest a censuris, in quas aliquis incidit ob violatam ecclesiasticam immunitatem.

(8) Cap. 14. *de poen. et remiss.*

(9) Cap. 11. *de praescript.*, *Cap.* 17, *et* 23. *de censib.*

(10) Cap. *ult. de offic. Legat.*

§. VIII. Et quamquam Legatorum adventu liceat adhuc ordinariis jurisdictionem suam libere explicare, tamen illi cum horum jurisdictione concurrunt, atque ad se trahunt negocium, quod priores occuparunt. Hinc ipsi in matrimonii impedimentis lege solvunt eos, quos solvendi Episcopo facultas data est; loco Parochi adsunt matrimoniis, vel alteri in ea re Paro-

chi adsunt matrimoniis, vel alteri in ea re Parochi officium, et auctoritatem committunt (1); matrimoniales causas dijudicant (2); beneficia conferunt, quae in sua provincia vaqua fiunt, etiam ea, quae pertinent ad ecclesiasticum juspatronatus (3), quaeque ad Sedem Apostolicam devoluta sunt (4). Nequeunt tamen Legati a latere admittere resignationes beneficiorum, quae pro certa persona emittuntur, vel conferre cathedrales, aut collegiatas Ecclesias, vel ipsarum cathedralium dignitates electivas, majores post pontificalem itemque beneficia, quae quis in eorum manibus resignavit (5); atque etiam prohibentur conjungere, aut dividere Episcopatus, aut unum alteri subjicere (6), aut Episcopum ex una ad aliam Ecclesiam transferre (7), aut depositiones, restitutionesque Episcoporum cognoscere; quae omnia tamquam gravissima solius Romani Pontificis judicio reservata sunt.

(1) Plures ea de re Sac. Congregationis Concilii definitiones laudat Giraldius *loc. cit. in append. ad tit. de offic. Legat. num.* 25. *pag.* 104.
(2) Cap. 4. *de conjug. servor.*
(3) Cap. 6. *de offic. Legat.*, *Cap.* 28. *de jurepatron.*, *Cap.* 31. *de praeben. in* 6.
(4) Cap. 37. *de praeben.*
(5) Cap. 4. *de offic. Legat. in* 6.
(6) Cap. 4. *de offic. Legat.*
(7) Cap. 3. *eod. tit.*

§. IX. Legati instar Ordinariorum sunt, atque instar Proconsulum, et Praesidum, qui olim a Romanis ad certam regendam provinciam mittebantur. Itaque eorum officium Pontificis, a quo missi sunt morte non extinguitur (1). Sed hoc tamen exspirat finito negocio, cujus gratia constituti sunt, revocato mandato, quod acceperant, elapso tempore, quod illi designatum fuerat, eorum morte, aut discessu a provincia, in qua suum exercebant officium, modo redeundi animum non habuerint. Itaque non videtur deseruisse provinciam, et officium suum qui abiit reversurus post aliquod tempus, ac finito negocio, cujus absolvendi causa discesserat.

(1) Cap. 2. *de offic. Legat. in* 6.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII

TITULUS XXXI.

Lib. 1. *Tit.* 16. in 6. *Lib.* 1. *Tit.* 9. in Clement. *Lib.* 1 *Tit.* 7. in Extravag. Commun. Decretum *dist.* 21. *can.* 2. *seqq. dist.* 22. *per tot. c.* 3. *q.* 7. *c.* 9. *q.* 3. *c.* 10. *q.* 1. *seqq. c.* 18. *q.* 2. *c.* 30. *q. ult. can. interea, et can. ult. c.* 3. *q.* 5. Tridentinum *sess.* 5. *c.* 1. 2. *de reform. sess.* 6. *cap.* 3. 4. *sess.* 7. *cap.* 5. *seqq. sess.* 13. *cap.* 1. *sess.* 14. *cap.* 3. 4. *sess.* 21. *cap.* 4. 6. 8. *sess.* 22. *cap.* 3. 9. 10. *sess.* 24. *cap.* 4. 7. 8. 10. *sess.* 25. *cap.* 1. *seqq. de reform. et sess.* 25. *cap.* 9. 11. *de Regul.* Codex *lib.* 1. *tit.* 3. 4. Novella 83. *et* 123.

§. I.

Ordinarius Judex est, qui non alieno mandato, aut delegatione jurisdictionem accepit; sed qui eam habet annexam Magistratui, quo fruitur, ita ut eamdem obtineat statim ac Magistratum ipsum consequitur. In Jure Civili multi sunt Ju-

dices ordinarii, de quibus late agunt, qui in ejus argumenti tractatione versantur; in Jure Canonico omnes Episcopi, ceterique Praelati, qui non ab alio commissam, sed propriam, ac nativam habent jurisdictionem, ordinarii Judices appellantur. Est autem potestas Episcopi vel ordinis, vel jurisdictionis. Ad ordinis potestatem, quam Episcopus, uti supra demonstratum est, ordinatione adipiscitur, quamque alteri delegare non potest, ut recte delegat potestatem jurisdictionis (1), refertur unctio Regum, consecratio sacrarum virginum (2), Abbatum benedictio, collatio ordinum, et Sacramenti Confirmationis (3), sanctorum oleorum (4), atque altarium, et Ecclesiae consecratio, ejusque post pollutionem expiatio (5).

(1) Cap. 9. *de consecrat. Eccles.*
(2) Can. 24. *dist.* 23. *Can.* 11. §. *ad Episcopum dist.* 25.
(3) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 4. *de sacram. ord.*
(4) Can. *perlectis dist.* 23.
(5) Cap. 9. *de consecrat. Eccles. Cap. unic. eod. tit. in* 6.

§. II. Potestas jurisdictionis comprehendit imperium, quod Episcopus habet in clericos, et laicos suae dioeceseos, in illos in universum, in hos vero quantum attinet ad res sacras, atque divinas. Quod imperium Episcopi internum respicit, et externum forum. Interni fori propria est potestas ligandi, et solvendi in sacramento poenitentiae; potestas fori externi spectat ad universam externam jurisdictionem, quam exercet Episcopus, cum leges condit pro recta suae dioeceseos administratione, cum subditorum causas cognoscit, mores emendat, atque in sontes justis, meritisque poenis animadvertit. Illud in primis ab Episcopo curandum diligentissime est, ut Christianae Religionis, cunctaque Ecclesiae praecepta integra custodiantur, omniaque removeantur, quae divino, aut ecclesiastico jure sunt vetita, et quae Religionem depravare possunt malis moribus, ac disciplina (1). Itaque ab eo punienda, ac tollenda sunt vitia, et scelera, maxime quae publicam offensionem pariunt; qua in re discrimen inter clericos, interque laicos adhibendum est. Laicorum crimina, quae ecclesiastica dicuntur, ab Episcopo punienda sunt, quae mixta, ab alterutro judice ecclesiastico, et laico, qui prior negocium occupavit; reliqua tantum ad laicum judicem deferuntur. Sed

cuncta crimina clericorum ab Episcopo poena mulctantur; in quo tamen nemo arguendus, puniendusve nominatim est, nisi cum, servato ordine, ac more judiciorum, reum esse constiterit, quamquam aliquo rogante, generatim criminis alicujus rei, nullo certo indicato nomine, Ecclesiae communione privari possint (2).

(1) Cap. 1. *de offic. judic. ordinar.* Quae decretalis sumpta ex *can.* 12. Concilii Ravennae habito an. 904. Joanne IX. Pontifice, quem canonem describit Baronius ad eumdem an. 904. *num* 15 *tom.* 15. *pag.* 531. Est autem conceptus his verbis » Perniciosa inolevit consuetudo, ut Ju» dex publicus, vel minister, quae ab Episcopis sunt inquirenda, quibus » animarum solicitudo commissa est, quasi inquirenda vendant, et ea occasio» ne licenter scelesta vita augmentetur, et si in proprietate Ecclesiae, vel cle» rici feminas invenerint adulteras, infamant, comprehendunt, dilaniant, » donec domini earum, vel parentes eas redimant, pro quo consanguinei in » non modicam deveniunt paupertatem; et eo ordine liberius post venditionem » fornicari non metuunt, dicentes nihil pertinere ad Episcopum, quae a pu» blico examinata dicitur, et redempta; quod omnino irregulariter inolevis» se; est manifestum. Habeant igitur etc. » cum reliquis, quae in Gregoriana collectione referuntur. Ex quibus intelligitur, hanc decretalem non, ut vulgus Interpretum putat, ad ea tantum crimina pertinere, quae ecclesiastica dicuntur, qualia sunt simonia, sacrilegium, haeresis, adulterium, quatenus agitur de separatione tori, cetera, quae recenset Glossa in *Cap. cum sit de for. competen.*; sed proprie pertinere ad censuram illam, quam adversus quemlibet Christianum hominem de quovis crimine Episcopi exercent, *Cap.* 13. *de judic.* Quod idem statutum est in Concilio Vernensi habito sub Pipino Rege *can.* 3. *tom.* 8. *Concil. col.* 418., cujus verba sunt haec» Unusquisque Episcoporum » potestatem habeat in sua parochia, tam de clero, quam de regularibus, vel » saecularibus, ad corrigendum, vel emendandum secundum ordinem ca» nonicum spiritalem » hoc est *secundum quod canones censent*, uti scriptum est *in cit. cap.* 1. Hoc enim vetustissimum jus est Ecclesiae, de quo testimonium perhibet Tertullianus *in Apologetic. cap.* 39. *pag.* 119. » Ibidem » etiam castigationes, *inquit*, exhortationes, et censura divina; nam et ju» dicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei judicio » Hujus autem censurae exercendae modum ostendit Origenes *contr. Celsum lib.* 5. *tom.* 1. *pag.* 481. *num.* 5. » Ordinati sunt, *inquit*, aliquot, qui in mores, ac » vivendi rationem omnium inquirant: ut his qui turpibus, et indignis fa». cinoribus vitam commaculant, conventus sui interdicant » Quos autem Origenes ordinatos ait, ut in omnium mores vitaeque rationem inquirant, eos Tertullianus *loc. cit.* Ecclesiae seniores appellat e Praesident, *inquit*, » probati quoque seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio ade» pti » De his elegans est locus Auctoris *serm.* 82. *de verb. Evangel.* olim Augustino adscripti *tom.* 16. *opp. ejusd. Augustin. col.* 908. » Illud au» tem quale est, *inquit*, quod cum ob errorem aliquem a senioribus ar» guuntur, et imputatur alicui de illis, cur ebrius fuerit, cur res alie» nas pervaserit, caedem cur turbulentus admiserit; statim respondeat, quid » habebam facere homo saecularis, et miles? Numquid monachum sum » professus, aut clericum? Quasi omnis, qui clericus non est, aut mona» chus, possit ei licere, quod non licet » Eosdem quoque seniores me-

morat S. Gregorius M. *ep.* 44. *lib.* 13. *opp. tom.* 2. *col.* 1249., et hinc instituti testes synodales, quorum mentio est *in cap.* 7. *de testib. cogen.* Haec est igitur inquisitio, et correctio, quam contra omnes generatim adhibere potest Episcopus sine ullo publici Judicis impedimento. Est autem publicus Judex, de quo agitur *in d. cap.* 1., idem ac saecularis, uti apud S. Leonem M. *ep.* 7. *ad Episc. per Italiam tom.* 1. *opp. col.* 624., ubi de Manichaeis habentur haec » ne sanctum gregem sua contagione polluerent, » per publicos judices perpetuo sunt exilio relegati. »

(2) Cap. 2. *eod. tit.*

§. III. Utque ea, quae pro emendandis moribus ab Episcopo gesta sunt, exitum habeant faciliorem, saluberrime constitutum est, ut servata in eo negocio forma, quam servare oportebat, illorum executio nulla appellatione retardetur (1). Quin etiam quas unus Episcopus indixit poenas contra subditos suos, eae sunt ab aliis quoque Episcopis ubique observandae (2). Atque haec potestas, et officium Episcopi in iis, quae pertinent ad corrigendos mores, et coercenda scelera, fertur etiam in Capitula exempta, quorum Canonici in iis rebus ab Episcopo, quoties opus est, corripiendi, puniendique sunt. Sed non eadem est ejus ratio, cum istud Episcopus extra visitationem agit, et cum visitationem absolvit. In visitatione animadvertit in scelestos, et criminosos vel per se ipse solus, vel, si ita velit, cum consilio aliorum, quos placuit eligere suo arbitratu (3); extra visitationem autem contra eosdem procedit cum consilio, et assensu duorum canonicorum, qui initio cujusque anni a Capitulo eligendi sunt (4). Quod si agatur de criminibus incontinentiae, ceterisque similibus depositionem, aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ita ut reus detinendus videatur, ne judicium eludat, id solus Episcopus initio praestat, sumpta prius summatim totius rei cognitione. Atque haec quidem pertinent ad Capitula exempta ab Episcopi jurisdictione; nam quae exempta non sunt, sine aliorum consilio, et assensu semper a solo Episcopo corripiuntur, poenisque, ubi opus est, afficiuntur, sive visitationem absolvat, sive procul ab ea sit (5).

(1) Cap. 13. *de offic. Jud. ordin.*

(2) Cap. 8. *de offic. Jud. ordinar.* Id vero congruit Canoni 32. Apostolorum apud Beveregium *Pandect. Canon. tom.* 1. *pag.* 21. *edit. Oxonii* 1682., et Concilio Nicoeno *can.* 5. *tom.* 2. *Concil. col.* 35.; et Concilium Arelatense *can.* 8. *tom.* 5. *Concil. col.* 3. eleganter ait, eum qui » excommunicatum alterius sive clericum, sive saecularem recipere post in-

» terdictum praesumpserit, noverit se reum fraternitatis factum, causam in » concilio redditurum. »

(3) Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 4. de reform.* Itaque nunc amplius non obtinet disciplina comprehensa *in cit. cap.* 13., ubi facultas corripiendi, puniendique canonicos in illis Ecclesiis cathedralibus, in quibus eadem a Capitulo corrigi consueverunt, Episcopo tribuitur tantum post emissam monitionem, atque elapsum terminum ab eo definitum. Nam hodie nulla hujusmodi monitione, nulloque termino opus est, sed Episcopus in visitatione suo jure rem totam expedit, sive fuerit, sive abfuerit in corripiendo canonico criminoso capituli negligentia.

(4) Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 6. de reform.*, quod praeterea de his duobus canonicis, cum quorum consilio, et assensu procedere debet Episcopus, habet haec » Unum autem tantum sit utriusque votum, » possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in » aliquo actu, seu interloquutoria, vel definitiva sententia fuerint, tunc in» tra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant, et si in electione » tertii etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur; et » juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus, in quo erat di» scordia, terminetur » Duo haec Tridentini Concilii decreta *in cap.* 4. *sess. 6. et cap. 6. sess. 25. de reform.* diligenter expendit Benedictus XIV. *de Synod. dioeces. lib. 13. cap. 9. num. 5. et seqq. tom. 1. pag.* 260. *et seqq.*

(5) Plures ea de re Sac. Congregationis Concilii definitiones laudat ipse Benedictus XIV. *loc. cit. num. 9. pag.* 263.

§. IV. Ad idem Episcopi officium, quod pertinet ad religionis, morumque integritatem custodiendam, et conservandam, referendi sunt etiam, qui divulgantur, libri, in quibus si aliqui insunt errores, maxime mores corrumpunt, animisque ingentium gravissimum inferunt detrimentum. Quare Episcopus in eorum propositum, atque sententias inquirere, et curare diligenter debet, ne in lucem emittantur libri, quos religioni, bonisque moribus adversarios judicat (1). Sed ad morum corruptelam, omniaque religioni inimica avertenda summi ponderis, ac momenti est in primis divini verbi praedicatio; quod munus adeo sibi proprium agnoverunt Apostoli, ut Paulus affirmare non dubitaverit, se non *ad baptizandum* fuisse missum, se *ad evangelizandum* (2). Itaque Episcopus divinum verbum populo nunciare debet, eumque credenda, et agenda edocere, ac sacrorum librorum sensum aperie (3); quos spectant Homiliae, quas doctissimi, sanctissimeque Episcopi conscripserunt. Atque adeo proprium, ac principum Episcopi munus est divini verbi praedicatio, ut illud sine ejus venia nemo exercere possit (4). Regulares cum predicant divinum verbum in Ecclesiis sui ordinis, postquam

a suis Superioribus approbati sunt, tantum benedictionem petunt, quam Episcopus sine justa causa denegare non potest (5), cum vero in alienis Ecclesiis, eadem, qua ceteri, venia opus habent. Primis illis Ecclesiae temporibus Episcopi ipsi divinum verbum populo nunciabant; sed brevi hoc munus ab Episcopis commissum fuit etiam Sacerdotibus; quae antiquissima Ecclesiae disciplina est, vetustior tamen in Oriente, quam in Occidente. Nam in illis regionibus Origenem, qui II. ac III. saeculo floruit, tum Jerosolymis, tum Caesareae in Palaestina divinum verbum praedicasse traditum memoriae est (6); idque etiam IV. saeculo praestitit Atticus Antistes Constantinopolitanus, dum adhuc in Presbyterii gradu versabatur (7). In Occidente primus Valerius Hipponensis Episcopus Augustino adhuc Presbytero dedit, etiam se praesente, divini verbi praedicandi facultatem (8); cujus exemplum et alii deinceps Episcopi sequuti sunt.

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 4. Leo X. *Const. inter solicitudines* 13. *tom.* 3. *par.* 3. *Bullar. pag.* 409. Late hoc argumentum persecutus sum *in Instit. Jur. Canon. lib.* 4. *tit.* 7. *s.* 4. *pag.* 78. *seqq.*

(2) S. Paulus I. *ad Corinth. cap.* 1. *ver.* 17.

(3) Cap. 15. *de offic. Jud. ordin.*, Concilium Tridentinum *sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.*

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 4. *de reform.*

(5) Concilium Tridentinum *cit. sess.* 5. *cap.* 2.

(6) Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 27. *pag.* 234.

(7) Socrates *Histor. Eccles. lib* 7. *cap.* 2 *pag.* 282.

(8) Possidius *in vit. Augustini cap.* 5. *opp. ejusd. Augustin. tom.* 15. *col.* 762. Id autem licet nonnulli Episcopi reprehenderent, tamen ipse Orientalium Ecclesiarum consuetudine factum tuebatur suum. quod postea complures alii Episcopi sequuti sunt, uti testatur Possidius *loc. cit.*, ac praesertim Aurelius Carthaginiensis, qua de re scripta ad eum est ab Augustino, Alypioque epistola 41. gratulationis plena *tom.* 2. *opp. Augustini col.* 116. Brevi eo res venit, ut ipsa Augustini aetate fere ubique receptum esset, ut Presbyteri divinum verbum praedicarent. Quare ipse Augustinus *serm.* 20. *num.* 5. *opp. tom.* 7. *col.* 110. hortatur populum, ut audiat Presbyteros, qui post se sermonem habituri erant; idemque, cum adhuc Presbyter esset, in generali totius Africae concilio ab Episcopis verba facere rogatus est, quem sermonem deinde amicis rogantibus in librum redegit *Retract. lib.* 1. *cap.* 17. *tom.* 1. *col.* 30. Hieronymus autem, qui eadem aetate floruit, *ep.* 52. *num.* 7. *opp. tom.* 1. *col.* 262. » pessimae consue» tudinis, *esse inquit*, in quibusdam Ecclesiis tacere presbyteros, et prae» sentibus Episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non dignentur au» dire ».

§. V. Quoniam autem Episcopi suscepti muneris partes,

recte implere non possunt, nisi in dioecesi commorentur, sive resideant, consequens est, ut in ea fixam, ac stabilem sedem habere debeant, neque iisdem liceat in aliis versari regionibus relicto grege, cui praepositi sunt. Hinc Episcopi, qui per sex perpetuos menses a dioecesi abfuerunt, privantur quarta parte fructuum unius anni, quae convertitur in beneficium fabricae Ecclesiae, aut in levamen pauperum; absentes sex aliorum mensium spatio amittunt aliam quartam partem eorumdem fructuum; tum gravioribus etiam plectuntur poenis, si diutius absint, non festinantes reditum ad dioecesim suam (1). Datur vero singulis annis unicuique Episcopo discedere cupienti spatium duorum triumve mensium, quo a dioecesi abesse licet, modo id aequa ex causa faciat, ac sine ullo populi detrimento (2). Generatim tum Episcopi, tum ceteri, qui curam habent animarum, toto illo temporis cursu, quo abfuerunt aliter ac sacri Canones abesse sinerent, suos non faciunt fructus, quos ex beneficio percipere debuissent. Sunt tamen justae quaedam causae, quae Summo Pontifici probatae Ecclesiae Pastores excusant a personali residentia, eaeque sunt *christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas* (3).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 1. *de reform.* Pius IV. *Constit. in suprema* 105. §. 2. *Bullar. tom.* 4. *par.* 2. *pag.* 298. et aliam addidit poenam dicta lege, ut non residentes suarum Ecclesiarum regimine, et administratione per sententiam priventur, atque omnem de rebus suis testandi facultatem amittant, cunctaque spolio Camerae Apostolicae subjiciantur. Videnda est etiam Constitutio *Sancta Synodus* 471. Urbani VIII. *Bullar. tom.* 6. *par.* 2. *pag.* 13. Quaestio autem est, num personalis residentia, qua tenentur animarum Pastores, Divini juris sit, an Ecclesiastici. Benedictus XIV., qui ea de re copiose agit *lib.* 7. *cap.* 1. *de synod. dioeces. num.* 6. *tom.* 1. *pag.* 289. animadvertit *communiorem* esse, ac fere omnibus, qui post Tridentinum Concilium in hoc argumenti genere versati sunt, probatam sententiam, *quae residentiae obligationem jure naturali, et Divino animarum Pastoribus injunctam defendit.* Verum Tridentini Concilii Patres, a quibus ea de re magno studio disputatum est, sicuti narrat Pallavicinius *Hist. Concil. Tridentini lib.* 7. *cap.* 6. *et lib.* 16. *cap.* 4. *par.* 1. *pag.* 656. *et par.* 2. *pag.* 747. *edit. Antuerpiae* 1670. hujusmodi quaestionem definire noluerunt, sed enumeratis muneribus, quae Episcopis jure Divino commissa sunt, inquiunt *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* „ ea praestari non posse ab iis, si gre-
» gi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt. »

(2) Fieri id debet, ut inquit Synodus Tridentina *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* » aequa ex causa sine ullo gregis detrimento, et extra festos

dies Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi. »

(3) Ad hanc eamdem residentiae legem, qua obligantur Episcopi, referenda est Constitutio *sancta synodus* 471. Urbani VIII. *tom.* 6. *par.* 2. *Bullar. pag.* 13., qua cautum est, ut Episcopus recens in Urbe creatus intra mensem ab ea discedere, atque ad propriam dioecesim migrare debeat, quod tamen tempus decreto Synodi Romanae sub Benedicto XIII. Cardinalis Vicarius ad alios quadraginta dies prorogare potest; atque ut omnes Episcopi, qui Apostolorum limina visitarunt, quatuor menses abesse possint a dioecesi sua, cum citra montes, vel mare sunt, cum vero sunt ultra, menses septem. Ne qua vero fraus fieret his de residentia legibus, Benedictus XIV. *in Constit. ad universae* 18. *tom.* 2. *ejus Bullar pag.* 78. sancivit, ut qui uno anno usus non est beneficio trium mensium, quos Synodus Tridentina concedit, is altero anno diutius quam tres menses a sua dioecesi abesse non possit, atque ut tres postremi menses anni superioris conjungi nequeant cum tribus primis mensibus anni consequentis, adeout sex perpetui menses efficiantur. In qua quidem Benedicti constitutione multa, et animadversione digna habentur de residentia Episcoporum.

§. VI. Ut officium, ita cura et solicitudo Episcopi fertur in totam dioecesim; hinc inducta est ejus visitatio, quae inter praecipua Episcopi munera recensetur (1), quamque ipse annis singulis, vel cum valde patet dioecesis, altero quoque anno obire debet aut per semetipsum, aut per alium, cum justo impedimento tenetur (2). Visitantur autem ab Episcopo, tamquam Apostolicae Sedis delegato, omnes Ecclesiae saeculares, quae in dioecesi sunt, etiam exemptae, Monasteria quoque commendata, Abbatiae, Prioratus, Praepositurae in quibus non viget regularis observantia, hospitalia, collegia, et sodalitia laicorum, ac cetera demum loca pia (3), exceptis illis, quae sub immediata Regum protectione sunt, nisi primum ab iisdem Regibus venia impetrata sit (4). In iis vero locis, in quibus obtinet regularis observantia, Episcopi est curare diligenter, ut Regularium Superiores sedulo observari praecipiant, quae cujusque instituti regulis praescripta sunt, subditosque suos in officio contineant. Quod si iidem moniti intra sex menses istud agere praetermiserint, Episcopus ipse tamquam Sedis Apostolicae delegatus eosdem regulares visitat, ac punit, eademque potestate, qua ipsi Superiores, decreta condit, juxta eorum instituta (5).

(1) Confer S. Jo. Chrysostomum *Homil.* 2. *in epist. ad Titum opp. tom.* 11. *pag.* 737., et S. Augustinum *epist.* 56. *opp. tom.* 2. *col.* 190.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* Episcopi autem

dioecesim lustrantis munera eadem Synodus describit his verbis. Visitationum » praecipuus sit scopus sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresi- » bus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohorta- » tionibus, et administrationibus ad religionem, pacem, innocentiamque ac- » cendere; cetera, prout locus, tempus, et occasio feret, et visitantium pru- » dentia, ad fidelium fructum constituere „ Huc reparatio templorum, et omnia, quae pertinent ad observanda diligenter ea, quae sacria legibus sunt constituta, referuntur.

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 8. *sess.* 21. *cap.* 8. *sess.* 25. *cap.* 8. *de reformat.*

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 8. *de reformat.*

(5) Concilium Tridentinum *cit. sess.* 21. *cap.* 8.

§. VII. Quidquid in visitatione agit Episcopus, quod ad eamdem, aut ad morum correctionem pertinet, agere debet sine strepitu judicii (1), neque ulla appellatio retardat vim eorum, quae mandata, ac decreta sunt (2). Quod si placuit servare solemnis judicii ritus, per appellationem vis editae sententiae suspenditur (3). Ea vero, quae in visitatione deprehensa sunt, una cum statu totius dioeceseos, ab Episcopis, qui in Italia, finitimisque Insulis, atque Provinciis commorantur, unoquoque triennio, ab iis, qui longius absunt, quarto, aut quinto, aut etiam decimo quoque anno, pront diversa locorum distantia est, significanda sunt Summo Pontifici, sive Sac. Congregationi Concilii (4); ut ita qui omnium Christianorum Rector est constitutus, totiusque orbis Ecclesias una fide conjungere, et caritate, seu communione debet, cunctarum mores, instituta, doctrinam, disciplinam noscat, ac videat, ne quid earum fide, aut communionis unitati adversetur (5). Eodem quoque temporis intervallo sacra Apostolorum limina visitanda sunt tum ab Episcopis (6), tum a ceteris Praelatis, qui quasi Episcopalem obtinent jurisdictionem, ac territorium separatum (7); quod vetustissima consuetudine receptum est (8). Et certe nemo inficiabitur maxime aequum, et justum esse, quod qui Rectores sunt particularium Ecclesiarum, quae omnes per unum commune caput, et centrum conglutinantur, adeant certis temporibus ad hanc capitis, centrique Sedem, sacraque Apostolorum ossa venereutur.

(1) Confer Fagnum *in Cap. dilectus de rescript. num.* 26. *seqq.*, qui late ea de re disputat, et plura memorat decreta Sacr. Congregationis Concilii.

(2) Cap. 13. *de offic. Judic. ordin.*, Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 10. *de reform.*, Benedictus XIV. *Constit. ad militantis* 43. *de ap-*

pellat. et inhibition. conceden. vel denegan. §. 21. tom. 1. ejus Bullar. pag. 81., ubi diligenter enumerantur causae omnes, in quibus non conceditur appellatio, quae *suspensiva* dicitur.

(3) Vide-sis Fagnanum *loc. cit.*, et Barbosam in Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 1. *de reformat.*

(4) Sixtus V. *Immensa* 117. *tom.* 4. *par.* 4. *Bullar. pag.* 396.

(5) Confer quae scripsimus *in prolegomen. cap.* 5. *tom.* 1. *pag.* 110., *et in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 1. §. 14. *not.* 1. *tom.* 1. *pag.* 167. *edit. Romae* 1792. Illis autem, quae utroque hoc loco dedimus, testimoniis addimus Concilii Ephesini Patres *in relat. ad Coelestinum P. act.* 5. *tom.* 3. *Concil. col.* 1187., Dionysium Alexandrinum *ep. ad Sixtum II.* apud Coustantium *epist. Roman. Pontif. col.* 260., Julium I. *ep. I. num.* 22. *ibid. col.* 385., Basilium *ep.* 69. *num.* 1. *opp. tom.* 3. *pag.* 162. Videndus est etiam Auctor libri, cui titulus *quis est Petrus?* editi Ratisbonae an. 1791. *par.* 8. *corollar.* 2. *pag.* 192. *seqq.*

(6) Sixtus V. *Constit. Romanus Pontifex* 24. *tom.* 4. *par.* 4. *Bullar. pag.* 173.

(7) Benedictus XIV. *Const. quod sancta* 7. *tom.* 1. *ejus Bullar. pag.* 12.; qui praeterea consulendus *lib.* 13. *cap.* 6. *de synod. dioeces. tom.* 2. *pag.* 225., ubi plures ea de re controversiae expediuntur.

(8) Liminum nomine Gothofredus *glossar. nomic. verb. limen. tom.* 6. *par.* 2. *Cod. Theodos. pag.* 228. *edit. Lipsiae* 1736., et Du-Cangius *glossar. med. et infim. latinitatis verb. limen* totam Ecclesiam designari arbitrantur, quasi pars pro toto accipiatur. Et nunc quidem ea loquendi formula inducta est, ut, cum Apostolorum limina visitari dicimus, Ecclesiam ipsam eorumdem Apostolorum intelligamus. Sed veteres eo vocabulo limen ipsum significabant, idque interius, quod solemni quodam, ac religioso ritu ponebatur. Nam omnes Ecclesiae duplex habebant limen, alterum in exteriori earum ambitu, alterum in aditu Sanctuarii, seu Confessionis, utrumque vestibulum, et vela obducta, et subjectos gradus habebat. Limen hoc interius sanctuarii, et confessionis illud est, quod veteres proprie appellant limen Apostolorum, uti ostendit Auctor libelli Romae editi an. 1775., cui titulus. *De Liminibus Apostolorum disquisitio Historica.* Omnibus sane compertum, exploratumque est, qua semper veneratione Christiani sacra haec limina prosequi consueverunt. Hinc tum ut ea viserent, tum ut suam Ecclesiae Capiti Romano Pontifici subjectionem, cum eoque conjunctionem ostenderent, sacrae illae jam ab initio Ecclesiae susceptae Romanae peregrinationes, quae inter ceteras principem semper locum obtinuerunt, ut ipsi a catholica communione alieni homines confitentur. Omnium loco sint Acta Literaria Lipsiensia *tom.* 2. *supplem. ad an.* 1596. *pag.* 146. » Inter religiosas illas, *inquiunt*, quae toto mundo celebrantur, » peregrinationes, primas ferme semper tenuit ea, quae inde a multo tem» pore Romae ad Basilicam augustissimam S. Petri instituitur » Idque adeo verum est, ut tractu temporis *Romei*, et *Romipetae*, quae vocabula initio significabant eos, qui Romam sacrae peregrinationis causa petebant, ob ejus praestantiam omnes generatim, qui sacras peregrinationes agebant, appellati fuerint, uti animadvertunt Papebrochius *tom.* 2. *Act. SS. April. pag.* 260. *et* 451., et Du-Cangius *verb. Romeus et verb. Romipeta.* Sane eo ipso tempore, quo passi sunt Apostoli Petrus, et Paulus, Fideles ex Oriente venisse Romam, ut illorum *corpora sicut civium repeterent*, narrat S. Gregorius M. *lib.* 4. *epist.* 30. *opp. tom.* 2. *col.* 710., quam Gregorii narrationem epigrammate Damasi P. illustrat Mazochius *in Kalendar. Nea-*

poi. ad diem 29. 30. *Jun. tom.* 3. *pag.* 895. Altero saeculo, ac reliquis, quae alterum consequuta sunt, frequentissimae fuerunt Romanae peregrinationes; eaque de re praeclarum est testimonium S. Leonis M. *serm.* 17. *in Natali B. Pauli Apostol. cap.* 1. *opp. tom.* 1. *col.* 44., cujus verba sunt haec » Quoniam si universi de extremis mundi partibus neque austeritatem acerrimi itineris, neque prolixitatis terrae spatia metuentes, eo, » quo valent, tempore Apostolorum devote se praesentari inhiant ad limina; quid Romani cives excusationis proferre possunt in eo, quod praesentialiter assistentes dissimulant saltem eorum occurrere festivitati, dum » se eorumdem Apostolorum precibus, defensione tueri noscuntur, et ope? » Innumera hujusmodi exempla in historiis sunt, et *horum, qui Apostolorum limina visitant, devotionem modis omnibus collaudandam esse* edixit Concilium Cabilonense II. an. 813. *can.* 45. *tom.* 9. *Concil. col.* 369. Videndi sunt Bellarminus *de cultu Sanctor. lib.* 3. *cap.* 8. *opp. tom.* 2. *pag.* 437. *seqq. edit. Venet.* 1721., Baronius *ad an.* 500. *num.* 5. *tom.* 9. *pag.* 4. *et ad an.* 1081. *num.* 27. *tom.* 17. *pag.* 530., locisque aliis compluribus, Gretserus *de relig. peregrinat.* Trombellius *de cultu Sanctor. tom.* 1. *par.* 2. *dissert.* 6. *cap.* 44., et libellus Romae editus an. 1774. cum titulo *De sacra veterum Christianorum Romana peregrinatione.* Romam autem tot millia hominum vocabat, uti diximus, non tantum Principis Apostolorum » sacer beatae dormitionis thorus, ubi eadem, qua praesidet, carne requiescit » sicuti B. Petri sepulchrum vocat S. Leo M. *serm.* 4. *cap.* 4. *tom.* 1. *col.* 19. sed » antiquissima, et omnibus cognita, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, et Paulo Romae fundata, et constituta Ecclesia, ad quam Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est » omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique Fideles, in » qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio » ut inquit S. Irenaeus *advers. haeres. lib.* 3. *cap.* 3. *opp. tom.* 1. *col.* 175. *edit. Venet.* 1734. In Decreto Gratiani *can.* 4. *dist.* 93. decretum extat, quo Episcopi certis temporibus ad sacra Apostolorum limina adire jubentur, illudque ipse Gratianus adscribit Anacleto, et Zachariae Summis Pontificibus, qui duo maxime diversis temporibus floruerunt; sed idem revera sumptum est, quod recte observant Romani Correctores, ex Concilio Romano habito Zacharia Pontifice an. 747. *can.* 4. *tom.* 8. *Concil. col.* 28. Ex eo vero intelligimus, eamdem disciplinam haud fuisse tunc primum constitutam, sed jam antea receptam, uti ostendunt verba *juxta sanctorum Patrum, et canonum instituta.* Confer; quae diximus *tom.* 1. *cap.* 20. §. 11. *not.* 4. *pag.* 392.

§. VIII. Omnes, qui in unaquaque dioecesi sunt, subjiciuntur Episcopi jurisdictioni, quae fertur in eamdem dioecesim universam (1); sed praeter eas personas, et loca, quae supra indicavimus, ab ea subtracti, sive exempti sunt Regulares, quorum antiquissima exemptio est, justisque de causis a Summis Pontificibus concessa, praesertim ut Monachi liberarentur a vexationibus Episcoporum, qui adversus eos sua saepe auctoritate abutebantur (2). Jus concedendi has exemptiones consequens est potestatis, quae Petri successoribus di-

vinitus data est in Ecclesiam universam. Neque enim ambigi potest, quin omnes, qui in Ecclesia sunt, Romano Pontifici divina institutione subjiciantur; et ideo si quem eorum ipse sibi immediate vult esse subjectum, non jus alienum invadit, sed jus exercet omnino suum, scilicet annexum Primatui, quem gerit. An non et Princeps in re civili saepe certos subditos subtrahit ex potestate Magistratus, ut ipse solus omnes in eos jurisdictionem exerceat? Carthaginienses Antistites in Africa Primatum habebant, eoque jure jam usque a V. saeculo monasteria quaedam sibi subjecta, et ab Episcoporum jurisdictione exempta esse voluerant. Liberatus Episcopus primae Sedis Byzacenae huic juri derogare, ac monasterium in sua dioecesi positum sibi submittere voluit; sed cum graviter ea de re conquestus fuisset S. Bonifacius Primas Carthaginiensis, re in Concilio quaesita, Patrum omnium, qui aderant, vox una fuit, jus illud Carthaginiensis Primatis firmum, immotumque esse oportere (3). Orientales quoque Patriarchae jus habent σταυροπήγιον, hoc est jus figendae crucis in omnibus Ecclesiis, et Monasteriis, quae intra sui Patriarchatu fines sunt constituta, eoque pacto eadem Monasteria, et Ecclesias Ordinariorum Episcoporum jurisdictioni subducunt, eaque in suam redigunt potestatem (4). Quod Primati, et Patriarchae licet, quorum uterque jure tantum Ecclesiastico omnem habet jurisdictionem, multo magis non licebit Summo Pontifici, cujus sane potestas in totam Ecclesiam Divini Juris est (5).

(1) Cap. 7. *de offic. Jud. Ordin. in* 6.

(2) Redibit ea de re sermo *in lib.* 3. *tit. de Regularibus et tit. de Statu Monach. et Canonic. Regular.*, ubi late refutabimus commenta, quae praesertim ab haereticis sumpsit Rupertus Coraltius *Principj genuini di tutta la giurisprudenza sacra cap.* 24. *num.* 4. *tom.* 2. *pag.* 131. *seqq.*, *et cap.* 38. *num.* 1. *et* 2. *tom.* 3. *pag.* 87. *seqq.* Vide interim quae scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit. ult.* §. 12. *not.* 6. *tom* 1. *pag.* 408. *et lib.* 2. *tit.* 10. §. 3. *tom.* 2. *pag.* 364. *seqq.*

(3) Concilium Carthaginiense an. 525. sub Bonifacio *tom.* 5. *Concil. Labbaei col.* 785. *et seq.* Idem habet Concilium Carthaginiense an. 534. sub Reparato *ibid. col.* 931., ubi statutum est, ut » quae temporibus sanctae me-
» moriae Bonifacii in universali Concilio nobis etiam praesentibus acta sunt,
» inconvulsa remaneant. Cetera vero monasteria etiam ipsa libertate plenis-
» sima perfruantur; servatis limitibus Conciliorum suorum in haec dumta-
» xat, ut quandocumque voluerint sibi clericos ordinare, vel oratoria mo-
» nasteriis dedicare, Episcopus, in cujus plebe, vel civitate locos monaste-
» rii consistit, ipse hujus muneris gratiam compleat, salva libertate Mo-
» nachorum; nihil in eis, praeter hanc ordinationem, vindicans, neque

» ecclesiasticis eos conditionibus, aut angariis subdens. Oportet enim in nullo monasterio quemlibet Episcopum cathedram collocare, aut qui forte habuerint, habere, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam, facere, nisi clericorum si voluerint habere; esse enim debeant Monachi in Abbatum suorum potestate » Videndus Mabillonius *Annal. Benedictin. ad an.* 525. *num.* 11. *seqq. tom.* 1. *pag.* 38. *seqq. edit. Lucae* 1739.

(4) Consule Guarium *Euchol. Graecor. tit.* περί σταυροπηγίου *pag.* 612. *edit. Paris.* 1647., et Du-Cangium *Glossar. med. et infim. Graecit. verb.* σταυροπήγιον. Atque hoc quidem jus stauropegii antiquissima consuetudine ab Orientalibus Patriarchis, non schismatica usurpatione acquisitum ostendit Christianus Lupus *dissert. de S. Leonis IX. actis opp. tom.* 4. *pag.* 437. *edit. Venet.* 1724.

(5) Praeclarum, missis reteris, hujus exemptionis est exemplum apud S. Gregorium M. *lib.* 2. *ep.* 41. *ad Castorium Ep. Ariminen. opp. tom.* 2. *col.* 603., cujus haec verba sunt » Ex auctoritate B. Petri Apostolorum Principis » prohibemus, cujus vice huic Romanae Ecclesiae praesidemus, ut nullus » Episcoporum, aut saecularium ultra praesumat de reditibus, rebus, vel » chartis Monasteriorum, vel de cellis, vel villis, quae ad ea pertinent, » quocumque modo occasiones movere, vel dolos, vel immissiones aliquas » facere . . . . Nec audeat ibi cathedram collocare, vel quamlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate » edixitque Pontifex » Hanc scriptorum suorum paginam omni in futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam, illibatamque servari » Quae eadem tum ante, tum post Gregorium disciplina observata est. Cujus rei testes sunt Hormisdas, qui rogatu S. Caesarii Arelatensis, Joannes IV., qui rogante Chlodoveo Rege haec exemptionis privilegia concesserunt apud Mabillonium *loc. cit. n.* 20. *pag.* 41., *et in appendic. ad tom.* 1. *eorumdem annal. n.* 17. *pag.* 633. *seqq.*, Theodorus I. apud Ughellium *Ital. sacr. tom.* 4. *in Episc. Bobien. pag.* 957. *seq. edit. Venet.* 1717. Agatho *ep.* 2. *tom.* 7. *Concil. col.* 594. Alia ejusdem generis exempla referuntur a Mabillonio *loc. cit. ad an.* 675. *num.* 49. *pag.* 484. *ad an.* 714. *num.* 74. *tom.* 2. *pag.* 35. *ad an.* 751. *num.* 60. *tom.* 2. *pag.* 145. *ad an.* 800. *pag.* 324. *num.* 97., Zaccaria *Anti-Febron. Vindic. dissert.* 10. *cap.* 4 *tom.* 4. *pag.* 451, Mamachio *ad Auctor. opusc quid est Papa? ep.* 3. *num.* 14. *tom.* 1. *pag.* 272. *seqq.* Videndus est etiam Benedictus XIV. *de synod. dioec. lib.* 13. *can.* 8. *n.* 20. *t.* 2. *pag.* 255.

§. IX. Verum ne qua ex privilegiis exemptionum incommoda exoriantur, saepe Episcopus in loca etiam, ac personas exemptas jurisdictionem exercet, tamquam Apostolicae Sedis Delegatus. Quod ipse praestat tum in ipsa collegia, atque universitates Regularium, qui vitam communem agunt, tum in singulares personas eorum, qui extra claustra degunt, tum in eos, qui intra monasterii claustra commorantur. In collegia, et universitates Regularium sese explicat Episcopi jurisdictio, cum omnes inter eos ortas de praecedentia controversias diri-

mit, cunctosque ad sacras supplicationes venire compellit (1), exceptis iis, qui singulari privilegio immunes sunt (2), vel qui in monasteriis habitant ultra milliare unum a civitate, vel oppido distantibus (3); cum Regulares cogit ad legendam, explicandamque Sacram Scripturam in iis monasteriis, in quibus id fieri commode potest (4); cum ab se indictos festos dies, censurasque, et interdicta ab se edita etiam in monasteriis observari praecipit (5); cum vetat, plures in iis convocandi populi gratia sine suo consensu retineri campanas, quam quae privilegio, aut consuetudine permittuntur (6), easdemque, quas habent, die Sabbati Sancti pulsari ante signum a matrice Ecclesia datum (7), itemque novas a Sede Apostolica impetratas Indulgentias a Regularibus publicari sine sui ipsius venia, et auctoritate (8). Ad eadem collegia, et universitates refertur Episcopi jurisdictio in iis, quae sunt ordinis Episcopalis, qualis est petitio Chrismatis, susceptio ordinum, consecratio Ecclesiarum, nisi aliquid eorum peculiari privilegio Praelatis Regularibus concessum fuerit (9). Denique subjiciuntur Episcopi potestati collegia Monachorum, qui instantibus Metropolitis sese in congregationes redigere neglexerint tertio quoque anno convocandas (10); quemadmodum et subjecti sunt Regulares, qui in monasteriis non legitime erectis habitant, aut qui in eo numero non sunt, in quo eos esse decet, ut integra sit regularis observantia (11).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 13. *de regular.*

(2) Ea de re videnda est Constitutio. *Etsi Mendicantium* 58. S. Pii V. *Bullar. tom.* 4. *par* 2. *pag.* 3-3.

(3) Confer Constitutionem *Dum intra* 24. Leonis X. §. 5 *Bullar. tom.* 3. *par.* 3. *pag.* 448. Quod attinet ad processiones, quae a Regularibus fiunt, ab Urbano VIII. *Const. nuper* 467. *Bullar. tom.* 6 *par.* 2. *pa*[illegible]0. statutum est, eas sine privilegio, aut consuetudine vim privilegii obtinente per parochiae vicos fieri non posse, nisi Episcopi, aut Parochi consensus accedat, quamquam recte fiant per claustra, si quae habent, suorum monasteriorum, vel si illis careant, circa eorumdem muros.

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 5. *cap.* 1. *de reform.*

(5) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 12. *de Regular.*

(6) Cap. 10. *de privileg. Extravag. un. de offic. custod.*

(7) Leo X. *cit. Const.* 24. §. 14.

(8) Extat ea de re decretum Sac. Congregationis Concilii apud Giraldium *Exposit. Jur. Pontific. par.* 2. *sect.* 62. *pag.* 890.

(9) Can 18. *can.* 18. *quaest.* 2. *cap.* 19. *de praescript.*

(10) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 8. *de Regular.*

(11) Innocentius X. *Const. Instaurandae* 157. *Bullar. tom.* 6. *par.* 3.

pag. 233. e medio sustulit, atque extinxit parva virorum monasteria, in quibus propter hominum paucitatem regularis observantia negligitur, neque recte sacra munera expediri possunt. Deinceps vero quaedam eorum redintegravit, ac Regularibus restituit, duabus tamen adjectis legibus, quarum prima est, ut in illis sex Religiosi commorentur, quorum saltem quatuor sacerdotes sint maturae aetatis, altera, ut eadem coenobia pridem extincta, ac postea restituta Episcopo tamquam Apostolicae Sedis delegato subjecta esse debeant, donec in iis duodecim Religiosi non retineantur. Reliqua vero parva coenobia, quae numquam suppressa fuerunt, Episcopi jurisdictioni obnoxia sunt, cum in iis non degunt sex Religiosi; verum si hi in illis tot numero sint, eodem gaudent privilegio exemptionis, quo antea fruebantur. Quod discrimen inter suppressa, et non suppressa monasteria sedulo observandum est, ne contra Innocentii decretum idem de utrisque judicium feratur. Videndum est etiam ipsius Innocentii Constitutum *In parvis* 184. *ibid. pag.* 270. Illud praeterea cautum est, ut nova monasteria non erigantur, nisi in iis saltem duodecim Religiosi sint, ac si pauciores numero sint, Episcopo obnoxii esse debent; qua de re videnda est etiam Constitutio *nuper* Innocentii XII. edita *die* 23. *Decembr.* 1697. apud Giraldium *loc. cit. par.* 2. *sect.* 156. *pag.* 1028.

§. X. Regulares extra monasterium degentes ab Episcopo secundum canonicas sanctiones visitari, corrigi, ac puniri possunt, neque gaudent sui ordinis privilegiis (1); nisi commorentur in praediis, aut in hospitiis a monasterio pendentibus, quia tunc sub sui Superioris custodia, et disciplina adhuc constituti videntur. Pari jure censentur qui sine venia Superioris a Monasterio recedunt, ut se alio conferant, quoniam hi tamquam sui instituti desertores ab Episcopo puniuntur, quique studiorum causa ad Universitates missi in suis Monasteriis non commorantur (2). Sed et Monachus Episcopo non subditus, qui intra claustra Monasterii vitam traducit, cum extra ea ita notoria deliquerit, ut omnibus scandalo sit, ab Episcopo debitis poenis afficitur, si nimirum ab eo monitus Regularis Superior id intra tempus definitum facere neglexerit, neque eumdem irrogatae poenae certiorem fecerit (3).

(1) Concilium Tridentinum *cap.* 3. *sess.* 6 *de reformat.*
(2) Concilium Tridentinum *cap.* 24. *sess.* 25. *de Regular.*
(3) Concilium Tridentinum *cap.* 14. *sess.* 25. *de Regular.*

§. XI. Denique pluribus in rebus Episcopus adversus Regulares in Monasteriis degentes suam explicat potestatem. Huc referendi Parochi Regulares, qui in iis, quae ad curam pertinent animarum, Episcopo obnoxii sunt (1); et hinc ab eo quaerendum est, num illi residentiae legem observaverint;

num diebus festis de praecepto sacrificium pro populo obtulerint, et Evangelium explicaverint, puerosque ad rem Christianam instituerint, num sacramenta administraverint, num denique cunctis sui officii partibus recte, et diligenter satisfecerint. Si quem eorum in his suo muneri defuisse Episcopus deprehenderit, in eum meritis poenis animadvertet: qua eadem animadvertendi potestate fruitur etiam Praelatus Regularis, ita tamen, ut si hi duo inter se non conveniant, Episcopi decretis standum sit (2). Excipiuntur Parochi, in quos Abbas, aut Superior Regularis episcopalem, ac temporalem habet jurisdictionem, praeterea qui curam exercent animarum in iis monasteriis, seu locis, in quibus Abbates Generales, seu Capita Ordinum suam habent praecipuam ordinariam sedem; qui omnes Episcopi auctoritati, modo ea non sit aliis major, subjecti non sunt (3). Sua quoque jurisdictione Episcopus utitur in Regulares, qui haereses praedicaverint (4); qui ab se non impetrata facultate saecularium, aut ab se non approbati monialium confessiones excipiunt (5); qui divinum verbum populo nunciant in Ecclesiis suorum Ordinum vel non petita ab se benedictione, vel se contradicente, vel sine sua venia in alienis Ecclesiis (6); qui alios publice docent, non emissa prius coram Episcopo fidei professione secundum constitutionem Pii IV.; qui ordines conferunt, aut dimissorias literas concedunt contra Tridentini Concilii leges (7); qui in ipsum Episcopum crimen admittunt, aut ejus jurisdictionem impediunt (8); qui graviter delinquunt in administratione cujuslibet sacramenti (9); qui sibi episcopalia, aut parochialia jura vindicare ausi sunt (10). Denique si qui Regularis professionem suam irritam esse contendat, ejus rei causas proponere coram Episcopo, una et coram suo Superiore debet (11).

(1) Concilium Tridentinum *cap.* 11. *sess.* 25. *de Regular.* Gregorius XV. *Constit. Inscrutabili* 50. *Bullar. tom.* 5. *par.* 5. *pag.* 1., Urbanus VIII. *Constit. Exponi nobis* 229. *Bullar. tom.* 6. *par.* 1. *pag.* 43., Benedictus XIV. *Const. Firmandis* 109. *tom.* 1. *ejus Bullar. pag.* 263.

(2) Benedictus XIV. *loc. cit.* §. 10.

(3) Concilium Tridentinum *loc. cit.*

(4) Concilium Tridentinum *cap.* 2. *sess.* 5. *de reform.*

(5) Concilium Tridentinum *cap.* 15. *sess.* 23. *de reform.* Consule Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 9. *tom.* 1. *pag.*

525. *seq.*, ubi Gregorii XV., et Clementis X. ea de re constitutiones laudantur.

(6) Gregorius XV. *Const. Inscrutabili* 50. §. 6. *Bullar. tom.* 5. *part.* 5. *pag.* 2. Episcopus tamen Regularibus in suis Ecclesiis praedicare volentibus benedictionem sine justa causa denegare nequit. Rem totam explicat Clemens X. *Constit. Superna* 10. *Bullar. tom.* 7. *pag.* 30., cujus verba sunt haec §. 3. » Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, » teneri ab Episcopo dioecesano benedictionem petere: praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in praedictis quidem » Ecclesiis licere Regularibus praedicare . . . . Episcopum tamen absque justa, et rationabili causa contradicere non debere. »

(7) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 10. *de reformat.*

(8) Decretum Sac. Congregationis Concilii a Gregorio XIII. approbatum apud Fagnanum *in Cap. grave de offic. Jud. Ordinar. num.* 76. Confer eumdem Fagnanum *ibid. per tot.*, et Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 11. *tom.* 1. *pag.* 526., ubi plura jurisdictionis, quam in exemptos habet Episcopus, exempla indicantur.

(9) Gregorius XV. *cit. Constit. Inscrutabili* §. 4.

(10) Cap. 3. §. *ult. de privileg. Clement.* 1. *eod. tit.*

(11) Concilium Tridentinum *cap.* 19. *sess.* 25. *de Regular.*

§. XII. Hae monachis, et regularibus concessae exemptiones recentiorem induxerunt distinctionem inter legem dioecesanam, et legem jurisdictionis, quam veteres ignorarunt (1), quamque saeculo XIII. primus invenit Gratiani Glossographus (2), sive ille sit Joannes Hugutio Vercellensis, sive Joannes Semecha dictus Teuthonicus (3). Cum enim jam tunc ea aetate plures tributae fuissent singulares exemptiones, quae regulares in una, aut altera re comprehensa privilegio, aut tabulis fundationis, non tamen universe ab omni Episcopi jurisdictione subtrahebant, potius quam easdem tabulas, aut privilegia exquirere, placuit quasi loco generalis regulae, Episcopi potestatem dividere in legem dioecesanam, et in legem jurisdictionis. Huic adscripta sunt omnia, in quibus Episcopi potestas in monasteria integra servabatur; illi vero datum est quidquid ad Regularium exemptionem pertinebat. Probata est haec distinctio scholasticorum illius aetatis ingeniis, atque institutis accomodata; et ideo cum aliqua inter Episcopos, et Monachos controversia oriebatur, non privilegia, aut consuetudines vel tabulae fundationum inspiciebantur; sed quisque solicitus erat de amplificanda, aut contrahenda lege jurisdictionis, vel lege dioecesana. Receptissima haec erat distinctio saeculo XIII., eamque etiam Romani Pontifices sua au-

ctoritate comprobarunt (4). Nunc Pragmatici eadem distinctione utuntur, atque ad eam referunt jus exigendi synodaticum, sive cathedraticum, hoc est tributum in honorem cathedrae episcopalis praestandum, item jus exigendi procurationem quartam funerariam, quartam decimationum, et cetera, de quibus alius erit agendi locus.

(1) Sunt qui hujus distinctionis indicia quaedam apparere existimant in Concilio Ilerdensi an. 524., quod *can.* 3. *tom.* 5. *Concil. col.* 751. statuit, ut » Ea, quae in jure monasterii de facultatibus offeruntur, in nul- » lo dioecesana lege ab Episcopis contingantur » sed hi vehementer errant. Nam dioecesanae legis nomine Ilerdenses Patres intelligunt universam potestatem, quam Episcopus habet in dioecesi sua, atque hoc sibi volunt, Episcopum non posse eo usque producere jurisdictionem, ut ea contingat, quae ad monasterium pertinent. Certe ea aetate, qua Ilerdensis Synodus habita est, inductae non erant Regularium exemptiones, iisque inductis, atque etiam inventa distinctione, cujus supra facta mentio est, nemo unquam ad dioecesanam legem, qualem eam vocant, referendum putavit jus Episcopi in bona Monachorum.

(2) Glossa *in can.* 1. *caus.* 10. *quaest.* 1; *et can.* 34. *caus.* 16. *quaest.* 1.

(3) Consule Benedictum XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. *tom.* 1. *pag.* 18.

(4) Honorius III. *in Cap.* 18. *de offic. judic. ordinar. et in Cap.* 22. *de Regular.*, Innocentius IV. *in Cap.* 1. *de verbor signific. in* 6.

§. XIII. Inter ordinarios judices referendi sunt etiam, uti diximus, Praelati Episcopo inferiores, qui expertes quidem sunt Ordinis Episcopalis, sed tamen in personas, et Ecclesias sibi obnoxias jurisdictionem, eamque propriam, et nativam exercent. Triplex eorum genus est. Alii nimirum ab Episcopi potestate subtracti sunt, certoque praesident generi personarum intra septa alicujus Ecclesiae, aut monasterii, vel conventus existentium, quales sunt Superiores Regulares, et nonnulli Praelati saeculares, qui immediate subjiciuntur Sedi Apostolicae una cum Ecclesia, ejusque clericis, atque ministris, quibus praepositi sunt. Alii clero, ac populo praesunt alicujus regionis, quae licet subdita non sit Episcopi potestati, tamen sita est in illius dioecesi, a qua undique circumscribitur. Alii denique propriam habent quasi dioecesim, a cujusvis Episcopi dioecesi discretam, ac separatam, in qua jurisdictionem obtinent quasi episcopalem (1). Hi postremi nobilissimi omnium sunt, ac proprie, vereque dicuntur *Praelati nullius dioecesis*, atque inter Ordinarios recensentur.

(1) Consule Cardinalem Petram *ad Constit.* 4. *Callisti III. sect.* 1. *tom.* 5. *pag.* 47. *edit. Venet.* 1741., Benedictum XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 2. *cap.* 11. *tom.* 1. *pag.* 66. *seqq.*

§. XIV. Itaque hujusmodi Praelati omnem fere exercent jurisdictionem, quam exercet Episcopus in dioecesi sua, excepta Ordinis potestate. Licet enim aliquibus ex eo genere Praelatis pontificalia insignia concessa fuerint, non ideo tamen concessa censetur facultas tonsuram, minoresque ordines conferendi (1). In quo tamen Regulares Abbates a saecularibus distiguendi sunt. Illi scilicet generatim, cum in Sacerdotio sunt, ac solemnem ab Episcopo benedictionem acceperunt, suis subditis regularibus tonsuram, ac minores ornes recte concedunt, hi vero nemini (2); nisi forte post Concilium Tridentinum singulare ea de re privilegium a Sede Apostolica impetraverint. Imo et a multis, quae propria sunt episcopalis jurisdictionis, abstinere se debent, nisi Apostolicum habeant privilegium, eoque usi sint. Huc spectat facultas dandi suis clericis saecularibus ordinationis causa literas dimissorias (3), et convocandi synodum (4), et habendi concursum ad Ecclesias parochiales, quoniam hic fieri non potest sine examinatoribus, qui in synodo constituuntur (5). Itaque in quasi dioecesi, quae nullius revera est, a viciniori Episcopo tum dantur literae illae dimissoriae pro ordinibus suscipiendis, tum parochiae conferuntur, servata lege concursus, quae a Synodo Tridentina stabilita est. Similiter Praelati nullius dioecesis licet ipsi confessarios constituant, ceterosque casus instar Episcoporum sibi reservare possint; nequeunt tamen sine peculiari privilegio aut indulgentias concedere, aut absolvere a casibus Sedi Apostolicae reservatis, vel a censuris, et irregularitatibus universis ex occulto crimine procedentibus; quoniam haec tantum episcopalis dignitatis gratia constituta sunt (6). Criminales vero, et matrimoniales causas subditorum recte judicant Praelati, qui quasi dioecesim separatam habent; non item reliqui Praelati inferiores, licet exempti sint, nisi hoc privilegium obtinuerint vel a Summo Pontifice, vel per praescriptionem, quae ultra hominum memoriam est (7).

(1) Concilium Tridentinum *cap.* 10. *sess.* 23. *de reform.*

(2) Quaerit Benedictus XIV. *de synod. dioeces. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 13. *pag.* 71., num illicita tantum sit, an etiam irrita ordinatio facta ab Abbatibus, qui hominibus privilegio non comprehensis ordines concesserunt, atque ad hunc modum expedit controversiam » Aut Abbas, *inquit*, nullo fruitur pri» vilegio conferendi primam tonsuram, et minores ordines, aut privilegio po» titur illos conferendi certo personarum generi. Si primum, nec licite, nec » valide potest quemquam ad primam tonsuram, minoresque ordines promo» vere. Si alterum, illicite profecto, attamen valide primam tonsuram, mino» resque ordines etiam alios confert, qui ceteroquin inter personas non nume» rantur in privilegio designatas. »

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 10. *de reformat.* Consule Benedictum XIV. *loc. cit. num.* 15. *pag.* 73., Cardinalem Petram *ad Constit. Apostol. in const.* 4. *Calisti III. sect.* 2. *num.* 67. *seqq. tom.* 5. *pag.* 62., Giraldium *exposit. jur. pontific. par.* 2. *sect.* 99. *pag.* 961. Illud animadvertendum est, quod ostendit Benedictus XIV. *loc. cit. num.* 12., neque Episcopos suis subditis, neque Praelatos Regulares Religiosis sibi subjectis dare posse literas dimissorias, per quas Abbates iisdem conferant primam tonsuram, aut minores ordines, quoniam haec, quam habent, eorum facultas tantum comprehendit homines privilegio designatos, neque ad alios producenda est.

(4) Videndus idem Benedictus XIV. *loc cit. num.* 5.

(5) Recte observat ipse Benedictus *num.* 6. quod » jus convocandi synodum, et jus indicendi concursum ad parochiales Ecclesias videntur quodam» modo inter se connexa, cum juxta Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 18. *de reform.* » concursus instituendus sit coram Examinatoribus in synodo dioecesana ele» ctis » Illud quoque monet *num.* 7., quod si ab Apostolica Sede alicui concessa fuerit facultas indicendi concursum ad beneficia curata, non esse data censetur facultas convocandi synodum dioecesanam, quoniam concursus coram examinatoribus a Synodo finitimi Episcopi electis expediri potest. Contra vero eum Praelato *nullius* cogendae synodi facultas data est, datum et tacite videtur jus indicendi concursum.

(6) Concilium Tridentinum *cap.* 6. *sess.* 24. *de reformat.*

(7) Consule Cardinalem Petram *loc. cit. num.* 37.

§. XV. Reliqui inferiores Praelati exempti quidem sunt ab Episcopi potestate, sed nullam habent quasi dioecesim ab illius dioecesi distinctam, in qua ordinariam jurisdictionem exerceant (1). Itaque minus proprie Praelati, aut Abbates nullius dioecesis vocari possunt, cum revera in Episcopi dioecesi sint. Quibusdam tamen a Sede Apostolica data est jurisdictio in certos subditos, et quidam eam acquisiverunt praescriptione, quae hominum memoriam superat (2); eadem vero et amplior, et angustior est, uti fuerunt leges privilegii, vel consuetudinis, unde procedit. De Archidiaconis, et Archipresbyteris, qui jure Decretalium inter ordinarios judices referuntur, superiori loco actum est.

(1) Adi-sis Benedictum XIV. *in Const. Apostolicae* 76. *tom.* 1. *ejus Bullar. pag.* 149. *et Constit. inter multa* 33. *tom.* 2. *pag.* 166.

(2) Confer Benedictum XIV. *cit. Constit. Apostolicae* §. 2. *pag.* 150. *et constit. Inter multa* §. *et sane pag.* 168. De his autem Praelatis inferioribus, praeter Cardinalem Petram, et Benedictum XIV., quorum pluries facta mentio est, late agit Clemens de Arostegui *Concord. Pastoral. super jure dioeces. inter Episcopos et Praelatos inferiores, part.* 1. *cap.* 4. *num.* 64. *et seqq.*

DE OFFICIO JUDICIS

TITULUS XXXII.

Decretum *can.* 2. 3. *q.* 7. Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 20. *sess.* 25. *cap.* 3. *et* 10. *de reform.* Pandectae *lib.* 1. *tit.* 11. 12. 14. *lib.* 2. *tit.* 1. 2. *lib.* 5. *tit.* 1. Codex *lib.* 1. *tit.* 39. 40. 45. 48. 49. 53. *lib.* 3. *tit.* 1. 2. 3. 13. Novell. 8. 82.

§. I.

A specie ad genus transit Raymundus; videlicet posteaquam superioribus titulis egerat de officio omnium ecclesiasticarum Dignitatum, hoc est de variis, quae certis hominibus in Ecclesia committuntur, muneribus, deque officio judicis delegati, et ordinarii, titulum hunc describit, qui ad omnes pertinet generatim, eaque complectitur, quae tam ordinario, quam delegato Judici communia sunt. Qua in re imitatus est Codicem Justinianeum, in quo post titulos *de officio Judicum*, et *de officio Judicum militarium* statim occurrit titulus *de officio diversorum Judicum*, in quo quaedam describuntur, quae ad utrumque Judicum, civilem, ac militarem referuntur. Est autem Judex persona legitima, quae publicam habet potestatem cognoscendi litigantium controversias, ac de iis ferendi sententiam secundum praescripta legum, et receptas locorum consuetudines. Alius igitur est arbiter, quippe non publicam habet, sed privatam potestatem, qualem a privatis, hoc est ab ipsis litigantibus accepit.

§. II. Est autem Judicis officium duplex, nobile, et mercenarium. Nobile exercet Judex, nulla inter litigantes habita de re aliquā judiciali disceptatione ipse sua sponte, ac sui mune-

ris auctoritate aliquid constituit, per quod communi, aut privato bono consulitur. Mercenarium contra est, cum litigantes ad Judicem confugiunt, ut jus suum unicuique tribuat secundum ea, quae sunt legibus constituta. Ea in re Judex actioni servit, ideoque ejus officium mercenarium dicitur. Hactenus de hujusmodi mercenario officio actum est; in hoc autem titulo duos proponuntur exempla actuum judicialium, in quibus Judex ex nobili officio procedit.

§. III. Primum exemplum est cum alter ex litigantibus vel adversarii potentia, vel paupertate ita premitur, ut inveniat neminem, qui jus suum judicio tueatur. Tunc autem Judex tamquam publicus aequitatis, et justitiae vindex, huic homini defensorem constituere debet; neque ulla est habenda ratio inanium exceptionum, quas aliquis forte proponat, puta quod hic defensor unus sit ex domesticis Judicis, a quo datus est (1). Alterum huic simile exemplum est, cum in causae progressu *incidenter* postulant in integrum restitutionem minor, vel Ecclesia, vel alii similes, qui eo privilegio fruuntur. Nam ea per nobile officium conceditur sine litis contestatione, ceterisque solemnitatibus, quae a legibus pro judiciario processu requiruntur. Contra cum principaliter haec in integrum restitutio postulatur, necessaria est litis contestatio, ac necessariae ceterae solemnitates, quae in judiciis adhibendae sunt (2). Nam ipsum, quod imploratum est, officium Judicis locum obtinet actionis, quae contra alium re non cognita, et expensa vim, et exitum habere non potest.

(1) Cap. 1. *de offic. Judic.*
(2) Cap. 2. *eod. tit.*

§. IV. Sunt et alia exempla nobilis officii, quod Judex tum sua sponte, tum aliquo rogante exercet. Ea sunt, cum fert ipse leges, et in crimina inquirit, et in eorum reos animadvertit (1); cum furiosis, pupillis, minoribus, ceterisque similibus constituit tutores, curatores, defensores (2); cum etiam sine ulla subditorum querela providet, ne a Dominis contra jus fasque vexentur (3); cum orta de possessione intra duos, pluresve controversia, eam omnibus aufert, et sequestro subjicit, ut summatim cognoscat, cui momentanea possessio adjudicanda sit; cum lite per sententiam absoluta, eoque modo finito offi-

cio mercenario Judex explicat nobile officium, atque ad executionem progreditur; cum filius, cui pater pernegat alimenta, hoc officium implorat, ut filius agnoscatur (4); cum sua quidem in promptum est actio, sed tamen hoc idem adhibetur officium, per quod res tota facilius, ac brevius expeditur. Sunt et alia similia exempla hujus nobilis officii, quod semper subsidio est iis, quibus nulla a jure data est actio, ut rem aliquam consequantur.

(1) Cap. 24. *de accusat.*
(2) Cap. 1. *cit. de offic. Judic.*
(3) L. 6. §. 2. *ff. de offic. Praesid.*
(4) L. 4. *ff. de judic.*

§. V. Utrumque hoc Judicis officium mercenarium, ac nobile pertinet ad jus suum unicuique tribuendum, ad removenda scelera, et mala, quibus Reipublicae tranquillitas perturbari potest, ad opem, et auxilium ferendum iis, qui publica indigent auctoritate, ne aliquid aut imbecillitate sua, aut aliorum perversitate capiant detrimenti. In his omnibus cavendum est diligenter, ne quid fiat quod contra aquum, et justum est; et in mercenario quidem officio utrisque litigantis jura sedulo expendenda sunt, ut pro eo feratur sententia, cujus eadem jura potiora deprehenduntur. Judicandum est autem secundum ea, quae judicio proposita, ac demonstrata sunt (1); sed Judex semper *in jure*, et interdum etiam *in facto* supplere debet, quod alterius negligentia, aut imperitia praetermissum esse sentit (2).

(1) Evenit interdum, ut aliud ex actis constet, aliud autem ex privata scientia Judici innotescat. Sententiam autem non secundum acta, et probata, sed secundum Judicis conscientiam esse ferendam, aliqui arbitrantur. Verum haec opinio longiorem faciet judicii cursum, et utrumque litigantem compellet ad sumptum graviorem, neutri tamen proderit. Nemo enim Judici extra acta credere cogitur, novoque judicio prior sententia secundum acta, et probata revocabitur. Tutius esset, Judicem sese prorsus ab eo judicio abstinere, causamque deferre ad judicem superiorem, vel de componendo negocio laborare. Quod si nihil horum facere Judex possit, et omnino sententiam ferre cogatur, eum non secundum id, quod ipse novit tamquam privata persona, sed » id, quod sibi innotescit tamquam personae publicae » hoc est secundum acta, et probata judicare debere tradit S. Thomas 2. 2. *quaest.* 67. *art.* 2. *opp. tom.* 22. *pag.* 360. Ex iis tamen, quae Judex privatim novit » adjuvari potest, *inquit ipse Thomas*, ut districtius discutiat probationes inductas, ut

» possit earum defectum investigare. Quod si eas non possit de jure repellere, » debet eas in judicando sequi » Late ea de re disputat Covarruvias *var. resolut. lib.* 1. *cap.* 1.

(2) Videndus ea de re est Franciscus Schmalzgrueber *Jus ecclesiast. univers. lib.* 1. *tit.* 32. *par.* 4. §. 3. *num.* 23., ubi ostendit, quando Judex in medium proferre, ac supplere debeat ea, quae ad factum pertinent.

DE MAJORITATE
ET OBEDIENTIA

TITULUS XXXIII.

I. Majoritas, et obedientia in quo consistat?
II. Distinctio clericorum, et laicorum.
III. Duplex Hierarchia ordinis, et jurisdictionis. Plures in ordinis hierarchia gradus.
IV. Plures etiam in hierarchia jurisdictionis. Omnium caput, et princeps, centrumque unitatis Summus Pontifex.
V. Patriarcharum, ac Metropolitarum institutio.
VI. Usus jurisdictionis dispari modo ab Ecclesia datus.
VII. Major quibusdam Episcopis supra alios jurisdictio sine consensu, et auctoritate Summi Pontificis dari non potuit.
VIII. Jura Summi Pontificis annexa Primatui.
IX. Cardinales. Romanae Ecclesiae Senatum, et Presbyterum constituunt.
X. Eorum dignitas.
XI. Eorumdem origo.
XII. Cardinales Episcopi, Presbyteri, Diaconi.
XIII. Cardinalium numerus, et eorum insignia.
XIV. Eorum jura, ac privilegia.
XV. Patriarchae, eorumque auctoritas.
XVI. Primates, et Metropolitae.
XVII. Summus Pontifex, Patriarchae, Primates, Metropolitae, praeter eminentiora jura, et praefecturam, habent etiam peculiarem dioecesim, quam tamquam Episcopi regunt.
XVIII. Reliqui Praelati, qui majoritatem habent.
XIX. Quomodo inferiores majoribus subjectos esse oporteat?
XX. Honoris praerogativa, qua majores ab inferioribus distinguuntur.

Lib. *I. Tit.* 17. *in* 6. *Tit. II.* in Extravag. Joan. XXII. *Lib. I. Tit.* 8. in Extravag. Commun. Decretum *dist.* 21. 22. 93. 96. *c.* 8. *q.* 4. *c.* 9. *q.* 3. *can. Episcopus seqq., et can.* 34. *dist.* 5. *de consecrat.*, Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 6. *et* 17. *de reform. et sess.* 25. *cap.* 13. *de Regul.*

§. I.

Ut in Pandectis, post explicata jura, et officia Magistratuum, subjicitur Titulus *de jurisdictione*, ita in Grego-

riana collectione Raymundus, postquam egit de officio ecclesiasticorum ministrorum, et judicum, qui ordinarii, et qui delegati sunt, titulum describit *de majoritate et obedientia*, in quo agitur de Magistratuum, ceterorumque Ecclesiae ministrorum auctoritate, dignitate, potestate. Ex his enim quidam superiores, et minores sunt (1). A majoribus factum est majoritatis vocabulum, quo designantur qui ceteris dignitate, et auctoritate praestant; iisdem, qui subjecti sunt, obedientiam praestare debent. Quare in hoc titulo jura eorum, qui ceteris imperant, et officia eorum, qui parent, explicanda sunt.

(1) Can. *ult. dist.* 89.

§. II. Omnis sane Respublica ex imperio, et subjectione conficitur, neque ea stare potest, nisi sint qui administrationi praesideant, et qui Rectorum jussis obtemperent. Ecclesia, quae hominum societas est, suos habet praesides, et ministros, quales clerici sunt, suumque populum, quem laici constituunt. Id enim significat *laici* nomen, quod tractum est a graeco verbo λαός latine *populo* (1); quemadmodum clerici ita appellantur a graeco verbo κλῆρος, quod latine *sors* est (2), quoniam peculiari modo pertinent ad Domini sortem, et haereditatem (3). Ecclesiae praesides, et ministri omnes sunt numero clericorum, eorum scilicet, qui divino cultui, et ecclesiasticis officiis in ordinatione, seu consecratione addicti sunt. Laici inter Ecclesiae filios per baptismum cooptati sunt, idcirco ejus legibus subjiciuntur, gaudentque bonis omnibus, quae ex christianae communionis vinculo procedunt; sed nullum Ecclesiae officium gerere aut ministerium, et nullam in ea exercere jurisdictionem possunt (4).

(1) Plerique ex Protestantibus distinctionem hanc Laicorum, et Clericorum initio Ecclesiae cognitam fuisse negant, et eam tertio demum saeculo ambitione, superbiaque Clericorum in Christianam rempublicam illatam fuisse contendunt; atque eadem sententia est Calvinianorum, qui in Anglia Presbyteriani, aut Puritani vocantur. Sed Anglicani, sive Episcopales Catholicis assentiuntur, qui hujus distinctionis originem repetunt ab ipso Christo, qui Apostolis, eorumque successoribus eam tribuit potestatem, atque illud imposuit munus, quam, et quod certe non dedit populo universo. Sic etiam Pauli epistolae *ad Timotheum*, *et Titum* manifeste distinguunt officia Episcoporum ab officiis eorum, qui e populo sunt, quosque laicos vocamus, et horum quidem

esse tradit audire vocem rectorum suorum, iisque parere, illorum vero docere, regere, gubernare. Vocabulum autem ipsum laicorum in Ecclesiam manavit imitatione Reipublicae Hebraeorum. Hoc enim nomine ab ipsis appellabantur, qui nullum sacrum obibant munus, cum Summus Pontifex, Sacerdotes, Levitae hierarchiam constituerent, ceteri vero populum, quem Graeci λαὸν dicunt, a quo λαϊκοὶ *laici* appellantur. Quod cum aliis permultis, tum testimonio Clementis Romani Apostolorum discipuli *ep.* 1. *ad Corint. num.* 40. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 1. *pag.* 169. *edit. Antuerp.* 1698. manifestum est. Hinc Ignatius Martyr, et ipse Apostolorum discipulus, in omnibus epistolis populum magnopere hortatur, ut sine Episcopo, Presbyteris, et Diaconis nihil agat, ut videri potest praesertim *in epist. ad Magnesian. num.* 6. *et* 7. *pag.* 18 *et* 19. *ad Trallian. num.* 2. *pag.* 22. *ad Philadelphien. num.* 7. *pag.* 32. apud Cotelerium *loc. cit. tom.* 2., unde evidens est discrimen inter populum, interque eos, qui sacris muneribus fungebantur. Quare Tertullianus *de monogam. cap.* 12. *pag.* 333 *de praescript. cap.* 4. *pag.* 217., *et de exhort. castitat. cap.* 7. *pag.* 522., Clemens Alexandrinus *lib. quis dives salvetur cap.* 42. *opp. tom.* 2. *edit. Venet.* 1757., Origenes *in Jeremiam homil.* 11. *num.* 3. *opp. tom.* 3. *pag.* 189., Cyprianus *ep.* 1. *pag.* 169. *epist.* 5. *pag.* 175. *ep.* 29 *pag.* 208. *epist.* 59. *pag.* 259. *epist.* 62. *pag.* 274. *edit. Amstelod.* 1700., Cornelius *epist. ad Fabium Antiochen. numer.* 2. *et* 6. apud Coustantium *epist. Roman. Pontif. pag.* 150. *et* 155., atque alii secundi, tertiique saeculi Christiani Scriptores cum Episcopos, Presbyteros, Diaconos divinitus institutos intelligerent, ut curarent sacra, Ecclesiamque gubernarent, hos quidem *clerum*, reliquos vero, qui nullo sacro munere fungebantur, exemplo Reipublicae Judaeorum *plebem*, et *laicos* appellarunt. Procul igitur fuit omnis ambitionis, ac superbiae causa, quae in tantos, ac tam insigni virtute excellentes viros ne cadere quidem suspicione potest, quique revera, ut recte inquit Josephus Binghamus *origin. eccles. lib.* 1. *cap.* 5. §. 2. *tom.* 1. *pag.* 42. *edit. Halae Magdebur.* 1751., ab ea *tantum abfuerunt, quantum quidem accusationis istius auctores a veritate.* Levissimum est argumentum, quod opponitur, deductum ex S. Petri *ep.* 1. *cap. II. v.* 9., ubi cunctis Fidelibus Sacerdotium tribuitur, et *cap. V. v.* 3. omnes *Clerici*, aut *Clerus*, idest haereditas *Domini* appellantur. Nam his quoque locis Apostolus iisdem Fidelibus Regiam Dignitatem attribuit; an omnes Reges constitutos putabimus? Ipse sane Apostolus diserte explicat, quo spectet hoc Sacerdotium, ut scilicet cuncti Fideles Deo offerant hostias spirituales, vota, laudes, preces: Senioribus, aut Presbyteris dominicum pascendi, et gubernandi gregem onus imponit, adolescentes senioribus, atque omnes Praepositis obedire jubet. Pari modo Israeliticus Populus vocabatur Dei κλῆρος et λαὸς ἔγκληρος *Dei haereditas*, et *populus possessionis Deuter. cap. IV. v.* 20. *et cap. IX. v.* 29., sed non ex eo quisquam effici arbitrabitur, apud Judaeos nullum inter Sacerdotes, ac reliquum populum discrimen intercessisse; ac nemo ignorat, qua poena plecteretur, si quis e populo quidquam ageret eorum, quae propria erant muneris Sacerdotalis. Eadem, quae in veteri Testamento erant scripta, Petrus literis consignavit. Argumentum hoc contra Rigaltium, Dallaeum, Salmasium, Seldenum, Bohemerum, ceteros, qui in eadem haeresi sunt, copiose pertractarunt ex nostris Bellarminus *de cleric. lib.* 1. *c.* 1. *opp. t.* 2. *p.* 116. *ed. Venet.* 1721. De Marca *de discrimin. Clericor. et Laicor.*, Mamachius *origin. et antiquit. Christian. lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 15. *et seq. tom.* 4., ex E-

piscopalibus Protestantibus Guillelmus Beveregius *Cod. canon. Eccles. primitiv. vindic. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. apud Coteleriam *PP. Apostolic. tom.* 2. *pag.* 121. *edit. Antuerp.* 1698., Henricus Hammondus *dissert.* 4. *de jur. Episcop. cap.* 6. §. 21. *seq. pag.* 69. *edit Londin.* 1651., Josephus Binghamus *Orig. Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 41. *seq. tom.* 1. *edit. iudic.*, et Calvinianus David Blondellus *Apolog. de Episcop. et Presbyt. sect.* 2. *pag.* 12. *edit. Amstelodam.* 1646. Ceterum laici dicti olim et βιωτικοί et κοσμικοὶ *saeculares*, vel *mundani* et ἰδιῶται quasi privati et χοϊκάται, quasi e vulgo, et *communi populo*, de quibus quidem nominibus agunt Binghamus *loc. cit.*; et Mamachius *loc. cit.* §. 3. *pag.* 6. *seq.*

(2) Proprie κλῆρος *sortem* significat. Hinc cum de subrogando in locum Judae proditoris Apostolos inter Barsabam, et Mathiam quaereretur, uter esset dignior, resque omnia ab Apostolis ad sortem vocata fuisset, Lucas *in Act. Apostolorum cap. I. vers.* 25. *seq.* Mathiam accepisse scribit κλῆρον τῆς διακονίας, καὶ ἀποστολῆς *sortem ministerii*, *et Apostolatus*. Sed eadem vox translata est etiam *ad electionem*, *et vocationem*; per quam aliquis ecclesiasticum ordinem consequeretur. Hinc in iisdem Actis Apostolorum *cap.* 1. *ver.* 17. Lucas affirmat, Judas obtigisse κλῆρον τῆς διακονίας *sortem ministerii*, quem sane Judam non sortium jactu, sed vocatione Christi Apostolatum obtinuisse constat. Quo eodem vocabulo κλῆρος utitur Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 79. *et lib* 4. *cap.* 1. *pag.* 121. *cap.* 5. *pag.* 124. *et cap.* 10. *pag.* 132. agens de Lino, et Hygino, ac de Eumene, et Primo, quorum duo Romanum, reliqui duo Alexandrinum Episcopatum non sorte, sed electione obtinuerant. *A Clero* autem, hoc est *a sorte ministerii* dicti sunt Clerici; proinde non video, ecquod huic vocabulo haerere possit ambitionis indicium, quod aliqui calumniantur, quorum in ecclesiasticos insigne odium est. Neque minus recte clerici vel se Dei, vel Deum suam *sortem*, atque *haereditatem*, esse defendunt; et id sane nomen, (quod haeretici objiciunt) superbiae, atque arrogantiae indicium haberi non potest. Nam et in Lege veteri Levitae sine ulla ambitionis nota *Dominicae sortis* habebantur, et erant *Deuteronom. cap. X. vers.* 9. *Num. cap. XVIII. vers.* 20. *Josue cap. XVIII. vers.* 7., quoniam sacra procurabant, atque altari servientes, nullumque agrum possidentes vivebant ex partibus victimarum, ac decimis, quas reliquae Tribus praestare debebant. Cur igitur fas non erit nostris Episcopis, Presbyteris, Diaconis, qui similiter Ecclesiae addicti sunt, sacraque administrant Christianorum, ae sumptibus eorum, quos instituunt, alendi sunt? An non eis licebit dicere, Deum ab se pro sorte delectum, cum ita sese ei consecrarint, ut neque militiam, neque mercaturam exercere, neque aliquod negocii genus suscipere possint, per quod a Dei servitio, et altaris ministerio abstrahantur?

(3) S. Hieronymus *epist.* 2. *ad Nepotianum num.* 5. *opp. tom.* 1. *col.* 258. » Ministri Dei, *inquit*, propterea vocantur clerici, vel quia de » sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, idest pars clericorum est ». Eleganter autem Constantinus M. *L* 11. *apud Theodos. de Episcop. et Cleric.* describit clericos » qui addicti Divino cultui ministeria religionis impenduut. »

(4) Confer quae dicta sunt *in prolegomen. tom.* 1. *cap.* 11. *pag.* 214. *seqq.*

§. III. Omnis igitur jurisdictio, et omne officium, ac mini-

sterium Ecclesiae est penes clericos, ex quibus efficitur Hierarchia, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, quaeque divinitus instituta est, ut habeat Ecclesia, qui ea praestent, quae sunt ordinis, atque ministerii, et quae sunt regiminis, sive jurisdictionis. Itaque universa clericorum potestas vel ad ordinem, vel ad jurisdictionem pertinet, et alia est Hierarchia, quae ordinis, alia quae jurisdictionis, seu regiminis appellatur. Utramque hanc Hierarchiam alio loco explicavimus (1); hic, ut universa *majoritatis*, et *obedientiae* ratio cognita, et comperta sit, tantum animadvertimus, diversos esse in utraque gradus eorum, qui in ea comprehenduntur. In ordinis Hierarchia summus est gradus Episcoporum, proximus post hos Presbyterorum, denique post utrosque ministrorum. Hi vero non omnes eodem loco sunt. Primum obtinent Diaconi, alterum Subdiaconi, et hi sunt ordines ministrorum, qui majores, et sacri appellantur. Majoribus dignitate, et auctoritate concedunt minores clerici, atque inter ipsos minimus est Ostiarius, post eum Lector, deinde Exorcista, denique Acolytus, qui inter minores clericos principatum obtinet. Ita per certos gradus ordinis Hierarchia distributa est.

(1) Videnda sunt ea, quae scripsimus *in prolegomen. tom.* 1. *cap.* 10. *pag.* 196. *seqq.*

§. IV. Suos quoque gradus habet Hierarchia jurisdictionis. Christus, qui humanam carnem acceperat, ut novam hominum societatem constitueret, ei dare debuit rectores, in eosque conferre auctoritatem, et jurisdictionem, quae esset ad hanc regendam societatem necessaria. Rectores, et Praesisides constituit Apostolos, eorumque successores, iisque pro recta Ecclesiae administratione jurisdictionem attribuit. At instituenda erat societas, quae non una, aut altera regione contineretur, sed quae diffusa esset per orbem universum, gentesque comprehenderet pene innumeras, interque se disjunctissimas, ac moribus institutis, disciplina maxime diversas; et his omnibus una debebat esse fides, et una caritas, sive communio, ita ut cunctae simul inter se arctissime nexae, et colligatae particulares Ecclesiae unam, et eamdem societatem, sive Ecclesiam conficerent. Si omnibus his Rectoribus eadem

fuisset concessa potestas, ita ut eorum nemo ab alio penderet, facile evenire potuisset, ut vita functis Apostolis, quibus divino numine instinctis non poterat non eadem omnibus esse consensio fidei, et caritatis, eorum successores ab hac consensione discederent, et unusquisque suam haberet, eamque ab aliis diversam fidem, et communionem. Itaque necessarium erat unum omnium caput, et centrum, in quo dispertita illa membra conjungerentur, ut efficerent corpus unum ejusdem fidei, et communionis, atque Ecclesiae unitas conservaretur. Christus igitur, qui perpetuam voluerat Ecclesiam suam, et in ea perpetuam eamdem omnium fidem, et communionem, totam quidem transtulit potestatem in Apostolos, eorumque successores, ut Ecclesiam regerent; sed his Rectoribus dedit unum omnium caput, et principem, qui praeesset ceteris, omnesque una societate conjungeret (1). Atque duo sunt in Hierarchia jurisdictionis a Christo ipso constituti Episcopi, qui singulas regunt particulares Ecclesias, quibus sunt praepositi; et omnium Caput, ac Princeps, qui tot particulares Ecclesias conglutinat, ut ex omnibus simul conjunctis in uno centro una catholica Ecclesia eadem fide, et caritate ubique consentiens existat.

(1) Sacra Facultas Theologica Parisiensis in Instructione an. 1542. *de potest. Pontific.* apud d' Argentre *collect. judicior. tom.* 1. *par.* 2 *pag.* 307. *edit. Paris.* 1728. » Firmiter tenendum est, *inquit*, hierarchiam ecclesiasticam, quam politiam ecclesiasticam nonnulli vocant, non solum sanctam » esse, et utilem, sed et jure divino institutam, quae usque ad consummationem saeculi perduratura est; nec in humana situm est potestate illam instituere, aut destituere. Cujus quidem hierarchiae ecclesiasticae, » eodem jure divino, monarchica potestas est Papalis, cui quilibet fidelium subesse dignoscitur, cui adjungitur Episcopalis Dignitas. »

§. V. Aucto Christianorum numero, lateque diffusa, et propagata religione, plures in Episcopatu constituti sunt gradus jurisdictionis, ut magna illa hominum multitudo, ex quibus constat Ecclesia, aptius, et commodius regeretur. Ita in civili Republica non omnium Magistratuum eadem est potestas, sed alii superiores, alii inferiores sunt; atque ita hoc ordine, et dispositione rerum cuncta geruntur, ac publica incolumitas conservatur. Ecclesia, quae non instar civilis Reipublicae unius, alteriusve regionis finibus continetur, sed quae complectitur orbem universum, multo magis hac in suis Magi-

stantibus distributione opus habuit; et ejus quidem ipsi Apostoli exemplum reliquerunt in Tito praesertim, ac Timotheo, qui pluribus Episcopis erant praepositi, et quorum latius patebat auctoritas, quam Episcoporum, quos ipsi constituerant. Ita instituti sunt Metropolitae, qui uni provinciae, ejusque Episcopis praesunt, et Patriarchae, qui provinciis pluribus sunt praepositi, et Primates, qui inter Episcopos alicujus regni, aut nationis obtinent principatum. Hi omnes ex eodem Episcoporum collegio sunt, idcirco eamdem habent ordinis potestatem, sed dissimilem jurisdictionem; quoniam alii plures habent, alii pauciores subditos, quibus praefecti sunt. Nam amplior, aut angustior jurisdictio pendet ex majori, aut minori numero subditorum; cumque hi ab Ecclesia assignentur, in iisdemque consistat usus, et exercitium jurisdictionis, facile intelligitur omnem dandae majoris, minorisve jurisdictionis potestatem in Ecclesia residere (1).

(1) Egregie S. Leo M. *ep.* 14. *ad Anastas. Thessalonicen. cap.* 11. *col.* 691. *opp. tom.* 1. » Connexio *inquit*, totius *quidem* corporis unanimi- » tatem requirit, sed praecipue exigit concordiam Sacerdotum (*hoc est E-* » *piscoporum*). Quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo ge- » neralis; quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris » fuit quaedam discretio potestatis: et cum omnium par esset electio, uni » tamen datum est, ut ceteris praeemineret. De qua forma Episcoporum quo- » que est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes si- » bi omnia vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli (*Metro-* » *politae.*), quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus qui- » dam in majoribus urbibus constituti (*Exarchi, seu Patriarchae*) solici- » tudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem univer- » salis Ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret. Quibus in verbis, ut bene observant Fratres Ballerinii *in not.* 52. *ib.*, S. Leo quatuor veluti ordines, seu gradus hierarchicos vel inter ipsos Episcopos exhibet, Episcopalem, Metropoliticum, Exarchicum, seu Patriarchicum, et Pontificium. Qui quidem omnes eamdem habent Episcopatus dignitatem, sed tamen pro diversitate gradus hierarchici auctoritate, et potestate distinguuntur. Nos totum hoc argumentum pertractavimus *in Prolegomen. tom.* 1. *cap.* 10. *pag.* 196. *seqq.*

§. VI. Ecclesia igitur ea potestate, quam ab ejus conditore Christo Domino accepit, Patriarchis, et Metropolitis majorem dignitatem, et majorem terrae tractum regendum attribuit, Episcopis minorem; atque ita pro recta christianae reipublicae administratione varii sunt distributi gradus jurisdictionis, ac plures instituti pro ejus modo majores, mi-

noresve Magistratus. In his omnibus eadem est jurisdictio divinitus affixa Episcopatui, sed non idem usus, et exercitium, quod pendet a subditorum assignatione, quae propria Ecclesiae est (1). Simili modo Ecclesia et aliis, qui ex Episcoporum collegio non sunt, subditos attribuit, iisque sic dedit usum jurisdictionis, qua antea carebant. Ita status est compositus christianae reipublicae, ita divisi gradus jurisdictionis, ejusque exercendae modus constitutus, ita creati cum ampliori, aut angustiori potestate Magistratus ita demum posita administratio reipublicae toto orbe diffusae, ut majores minoribus obnoxii sint, cuncti autem in unum confluant commune centrum, et communi omnium in rebus Ecclesiae Principi subjiciantur.

(1) Confer quae scripta sunt *in prolegomen. cap.* 6. §. 3. *et seq. tom.* 1. *pag.* 115. *et seq.* Atque huc etiam referenda sunt quae scribit Gersonius *de potest. ecclesiast. considerat.* 9. *opp. tom.* 2. *pag* 238. *edit Antuerpiae* 1706. » Successores Petri, et aliorum Apostolorum, *inquit*, de communi lege, seclusa miraculo, vel nova revelatione fuerunt, et sunt instituti mediate per homines, ut per consecrationem, vel electionem, vel aliam institutionem, usum similiter, vel exercitium receperunt, atque recipiunt mediate per humanum ministerium, vel concessionem. Et forte quoad usum, vel exercitium potestatis ecclesiasticae sic evenit ipsis etiam Apostolis, ac Discipulis, quod post immediatam concessionem utriusque scilicet potestatis, et usus factam a Christo: postmodum crescente numero fidelium fuit ad tollendum schisma, et ad exemplar dandum posteris limitatio facta talis potestatis quoad usum, et hoc per Petrum Summum Pontificem de consensu totius Ecclesiae primitivae, vel generalis Concilii, ut non quilibet posset in quemlibet uti potestate sua, attenta Christi ordinatione primaria, qua voluit Ecclesiam suam regi principaliter sub uno, et ab uno Monarcha, sicut est una fides, unum baptisma, et una Ecclesia, unitate Capitis iam Primarii, quam Vicarii, quoniam iste est optimus Principatus, praesertim in spiritualibus, ad conservationem unitatis fidei, ad quam obligantur omnes. »

§. VII. Atque haec quidem disciplina, quae fert, ut quidam Episcopi in alios habeant potestatem, obtinere non potuit sine consensu, et auctoritate Summi Pontificis, qui in eosdem Episcopos, qui aliis praestant, conferre debuit partem jurisdictionis, quam ipse divinitus accepit in Ecclesia universa. Nemo enim ex Episcopis vi sui Episcopatus ingenita aliquam habet in Coepiscopos praerogativam; idcirco omnis, quae nunc est, praestantia Patriarcharum, Primatum, Metropolitarum veluti ex quadam Pontificia delegatione re-

petenda est, quae quidem initio jus speciale constituebat, sed postea, cum esset perpetua, jus ordinarium evasit. Quod sedulo animadvertendum est, ut facile intelligatur, quo jure tam Archiepiscoporum, Primatum, Patriarcharum, quam Episcoporum jurisdictioni recentiori aetate derogari potuerit; et quomodo firmum, immotumque manere debeat jus Legatorum, quorum in provinciam adventu Archiepiscopi quibusdam suae dignitatis insignibus uti prohibentur. Omnis enim superiorum illarum Dignitatum institutio, et jurisdictio a Romano Pontifice procedit; et quemadmodum ipse, iisdem institutis, Episcoporum potestatem imminuit, eosque aliis Episcopis obnoxios esse voluit, cum sibi uni divino jure subjicerentur, ita nunc pari jure et amplificare eorum jurisdictionem potest.

§. VIII. Sic ob Ecclesiae utilitatem, rectamque administrationem expedire visum est, ut inferiora a mediis, media a supremis dirigantur, ac denique omnium consensus, et conspiratio sit in Petri successorem Romanum Pontificem, qui a Christo Domino ad conservandam fidei, et caritatis, seu communionis unitatem constitutus est centrum ejusdem unitatis ac primatum accepit et dignitatis, et jurisdictionis (1). Itaque omnes, qui in Ecclesia sunt, ei subjecti esse debent, sive in alios imperio potiantur, sive aliorum subditi sint, omnesque ejus legibus, et jussis, quae ad res Ecclesiae pertinent, parere coguntur (2). Neque enim ambigi potest, quin Primatus jurisdictio sese effundat in totam Ecclesiam, et hujus quidem jurisdictionis est proprium, ut omnes, qui in ea versantur, illius praeceptis obtemperare, et obedire debeant (3). Pari jure, quo quis jurisdictione praeditus leges condit, iisdem derogat (4), poenisque animadvertit in eos, qui latas ab se leges non observant (5), et graviores quasdam causas suo tantum servat judicio, ita ut inferiores judices nullam in iis partem habere possint (6). Profluit ex eodem fonte jus appellationum, quarum in omni bene constituta Republica rectus ordo est, ut gradatim ex inferiori ad superiorem fiant, donec negocium ad eum deferatur, qui toti Reipublicae praeest, et cujus judicium nulli homini obnoxium esse potest. Eadem radix, et ratio est ceterorum jurium, quae Primatus gratia insunt in Romano Pontifice, quorum partem exposuimus, reliqua autem suis locis explicabimus.

(1) Errorem Photii, quem sequutus est Rupertus Cutaltius *loc. cit. cap.* 20. *num.* 4. *tom.* 2. *pag.* 37. *seqq.*, qui Primatum a Romana Ecclesia avelli, atque in aliam transferri posse existimat, refutavimus *tom.* 1. *cap.* 5 §. 11. *not.* 4. *pag.* 81.

(2) Guillelmus Leibnitius inter heterodoxos Philosophos praestantissimus *ep.* 8. ad Joannem Fabricium scribens *tom.* 1. *epistolar. pag.* 55. *edit. Lipsiae* 1734. » Cum Deus, *inquit*, sit Deus ordinis, et corpus unius » Ecclesiae catholicae, et apostolicae uno regimine, hierarchiaque univer» sali continendum juris divini sit, consequens est, ut ejusdem sit juris » supremus in ea spiritualis Magistratus terminis ac justis continens (haec » verba nunc addo) directoria potestate, omnique necessaria ad explendum » munus pro salute Ecclesiae agendi facultate instructus. »

(3) Justus Henningius Boehmerus, homo ex numero Protestantium *dissert. altera de Decretalium Pontif. Roman. variis collection.* impudenter affirmat, leges Pontificum Romanorum ubique vim suam obtinere coepisse tantum post constitutionem Valentiniani Imperatoris, qui floruit V. saeculo, in qua habentur haec » Verum ne levis saltem inter Ecclesias turba » nascatur, vel in aliquo minui Religionis disciplina videatur, hac peren» ni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam alia» rum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine Viri venera» bilis Papae Urbis eternae auctoritate tentare. Sed illis, omnibusque pro » lege sit quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicae Sedis auctoritas » Mera haec haeretici hominis calumnia est haud procul distans ab ea, quam antea Photius literis consignaverat. Certe, ut mittam quae antiquiori aetate a Victore, ceterisque Pontificibus gesta fuisse constat, Siricius *ep.* 1. *ad Himerium Tarraconen. cap.* 2. apud Constantium *col.* 623. memorat *missa ad provincias a venerandae memoriae praedecessore meo Liberio generalia decreta.* Atque illa Siricii epistola *ad Himerium*, qua Sacerdotes, et Diaconi jussi sunt abstinere se ab uxoribus, quas ante sacros ordines duxerant, quot in Hispaniis, uti observat Bianchius *della potestà, e polizia della Chiesa lib.* 2. *cap.* 3. §. 5. *tom.* 4. *pag* 458. *seqq.*, turbas excitare debuisset, quoniam tollebatur antiqua consuetudo earum regionum, et civili reipublicae damni aliquid inferri videbatur? Et tamen omnes pontificiae legi paruerunt, ac per eam *generali pronunciatione sese decernere* Siricius profitetur *quid ab universis post haec Ecclesiis sequendum sit, quid vitandum*, uti habetur *in cap.* 8. *col.* 633.; aliisque constitutis legibus *cap.* 14. *col.* 637. declarat, quod *statuta Sedis Apostolicae, vel canonum venerabilia definita nulli ignorare sit liberum.* Siricii successor Innocentius I. eamdem legem in Galliis observari voluit: datis literis ad Victricium Rotomagensem, et Exsuperium Tolosanum apud Constantium *loc. cit. col.* 745. *seqq. et col.* 789. *seqq.* Dubitari vero non potest, quin hae literae vim legis habuerint, uti ostendit sanctio; seu poena constituta in eos, qui his legibus non obtemperarent. Eodem habenda sunt loco decreta ejusdem Innocentii I. *ep.* 6. *ib. col.* 789., Zosimi *ep.* 9. *ad Hesychium Salonitanum col.* 970., Coelestini I. *ep.* 4 *can.* 4 *col.* 1066., ubi profitetur, se a Deo *in speculis* constitutum » ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes et » quae coercenda sunt, resecemus, et quae observanda, sanciamus » et *ep.* 5. *num.* 3. *col.* 1074., et Leonis M. *epist.* 4 *cap.* 5. *tom.* 1 *col.* 616., aliorumque complurium, quibus non tantum feruntur leges ab omnibus observandae, sed etiam indicuntur poenae adversus eos, qui iisdem legibus parere recusaverint. Consule Petrum de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper.*

lib. 1 *cap.* 8. §. 3. *pag.* 17. *edit. Robaret* 1763, Zaccariam *Anti-Febronio par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *et* 2. *et Anti-Febron. vindic. par.* 3. *dissert.* 6. *cap.* 1, et librum Romae editum an. 1791. cum titulo *testimonianze delle Chiese di Francia etc. tom.* 1. *Istruzione Pastorale di M. Vescovo di Amiens pag.* 25. 27. 31. 33. 43. 49. 67. 89., locisque aliis compluribus.

(4) Potestati condendarum legum consentanea est potestas earum solvendarum, et quoniam Episcopus Summo Pontifice, et Concilio oecumenico est inferior, evidens, apertumque est; quod ipse leges ab alterutro latas laxare nequit, uti tradunt Clemens V. *in Clement. Ne Romani de elect.*, et Joannes XXII. *Extravag. Sancta Romana de Relig. domib.*, quod etiam a nobis demonstratum supra est *tit.* 2. §. 11. *pag.* 37. Accidit, quod si omnibus Episcopis qemlibet solvere liceret lege Summi Pontificis, aut oecumenici Concilii, facile id a quibusdam aut improvide, aut nimis molliter fieri posset; ex quo magna rerum perturbatio oriretur. Recte igitur *dispensationum*, quas vocant, concedendarum facultas Romano Pontifici servata est, uti observat Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 24. *tom.* 2. *num.* 14. *et* 15. *pag.* 365. Ac saepe quidem accidit, ut legis alicujus severitas molliendà, ac dispensatio concedenda videatur, ut ajebat Symmachus P. *in epist. ad Avitum* » apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 441. his verbis. Nam quamvis a Patribus » statuta diligenti observatione, et observanti diligentia sint custodienda, ni» hilominus propter aliquod bonum de vigore legis aliquid relaxatur, quod et » lex ipsa cavisset, si praevidisset. Et saepe crudele esset insistere legi, cum » observantia ejus esse praejudicialis Ecclesiae videtur, quoniam leges ea in» tentione latae sunt, ut proficiant, non ut noceant » His de causis Romani Pontifices, quoties opus fuit, dispensationes concesserunt; et hanc quidem potestatem eorumdem Pontificum propriam agnovit ipsa Synodus Basileensis *in ep. synod. num.* 5. *tom.* 17. *Concil. col.* 484., et agnovit etiam Dupinius *de antiq. Eccles disciplin. dissert.* 4. *cap.* 2. §. 3. Neque alia est sententia Cleri Gallicani, ut *in Defension. ejus Declarat. lib.* 1. *cap.* 6. ostendit Bossuetus *opp. tom.* 18. *pag.* 482. *edit. Leodii* 1766., cujus verba describenda sunt, ut qui Gallicani Cleri auctoritatem objiciunt, vocem comprimant audaciae, et imperitiae testem. Ea vero sunt haec » Neque vero putent, a no» bis tanta canonum, et conciliorum auctoritate constitutas Sedis Aposto» licae dispensationes esse sublatas. Absit; has enim nemo Catholicus, ne» mo veri regiminis sciens, aut rerum ecclesiasticarum gnarus abstulerit. » Has toto animo complectitur ea, quam Pontificiae potestati maxime adver» sariam putant, Basileensis Synodus. Sic enim loquitur: per Concilium au» tem statuta in nullo derogant suae potestati; quin pro tempore, loco, cau» sisque, et personis, utilitate, vel necessitate suadente, moderari, dispen» sareque possit, atque uti Summi Principis ἐπιείκεια, quae ab eo aufer» ri nequit » Revera pene innumera in ecclesiasticis monumentis ejus rei exempla sunt, ex quibus pauca quaedam seligam. Paulo post initium IV. saeculi Melchiades P. decretum edidit » de Episcopis, qui quibuscumque » locis, si duo essent ordinati, quos dissensio germinasset, is confirmare» tur, qui fuisset ordinatus prior: alteri autem eorum plebs alia regenda » provideretur » et hanc quidem legis veniam laudat Augustinus *ep.* 43. *ad Glorium et Eleusium cap.* 5. *opp. tom* 2. *col.* 126. *et* 127. Eodem IV. saeculo ad exitum vergente Siricius *ep.* 1. *ad Himerium Tarraconen. num.* 19 apud Coustantium *loc. cit. col.* 636 iis, qui ignorantes ad sacram militiam immerito irrepsissent, veniam dedit, ut in ordine, quem tenerent,

perseverare possent: et initio V. saeculi Anastasius I. rogatu Episcoporum Africae clericis, qui Donatistarum partes sequuti fuerant, ministrare permisit in ordinibus, quorum munera exercuerant, cum in ea secta versarentur. Confer. Codicem Canonum Ecclesiae Africanae *cap.* 68. apud Justellum *Bibliot. Jur. Canon. tom.* 1. *pag.* 365. *edit. Paris.* 1661., Constantium *loc. cit. col.* 733. *et* 734., Thomassinum *vet. et nov. Eccles. discipl. par.* 2. *lib.* 3. *c.* 24. *seqq. tom.* 2. *p.* 363. *seqq.* Illustris est venia data a Simplicio P. *ep.* 14. *ad Zenonem tom.* 5. *Concil. col.* 110. rogatu Zenonis Imperatoris, qua firmata est ordinatio Episcopi Antiocheni, qui contra Nicaenos canones creatus fuerat. Synodus Romana VI. *d. tom.* 5. *col.* 509; quae pluribus constabat tum Italiae, tum aliarum provinciarum Episcopis, mirifice approbavit testimonium, quod tulit Symmachus Pontifex de auctoritate Sedis Apostolicae concedendarum disputationum, quae temporum ratio postularet. Qua de re videnda est ipsius Symmachi *epistola* 12. *ad Avitum* apud Labbaeum *tom.* 5. *Conc. col.* 440., praeterea Gelasii I. *epistola* 9. *ad Episcopos per Lucaniam, et Brutios etc. ibid. col.* 313. Alia bene multa, eaque etiam antiquiora, et ad Orientalem quoque Ecclesiam pertinentia hujusmodi dispensationum exempla memorant, atque in hoc argumento copiose versantur Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 24. *tom.* 2. *pag.* 366. *num.* 15. *et seqq.*, Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec. V. cap.* 1. *art.* 8. *tom.* 5. *p.* 8., *et de Photian. schismat. dissert.* 4. §. 22. *in fin. tom.* 6. *pag.* 358. *edit. Venet.* 1776., Franciscus Antonius de Simeonibus *de Romani Pontificis judiciar. potest. cap.* 8. §. 1. *pag.* 226. *edit. Romae* 1717., Mamachius *advers. Auctor. opusc. quid est Papa? ep.* 3. §. 11. *tom.* 1. *pag.* 232. *edit. an.* 1787. Cardinalis Gerdilius *Confutazione di due libelli contro il Breve super soliditate tom.* 1. *pag.* 35. 115. *seqq., et tom.* 2 *pag.* 129. Rupertus Curaltius, qui Summi Pontificis auctoritatem fere aequat auctoritati Episcoporum, quique illius Primatum ad solam dignitatem, et gradum honoris pene refert *cap.* 21. *num.* 5. *tom.* 2. *pag.* 55. *seqq.*, eidem Pontifici fas esse negat aliquem Ecclesiae lege solvere, quoniam ipsum ad instar ceterorum Episcoporum universae Ecclesiae legibus obnoxium putat. Commentum hoc solide, graviterque refellit Petrus Ballerinius *de potest. ecclesiast. Sum. Pontific. et Concil. Gen. cap.* 3. §. 1. *pag.* 40. *seq. edit. August. Vindelic.* 1770., ubi recte animadvertit, Pontificem obstringi legibus oecumenici concilii, quibus Pontificia accessit auctoritas eodem modo, quo Princeps tenetur legibus, quae sunt in regno, aut imperio constitutae. Nimirum iisdem subditus non est lege humana, qua superior est, sed tamen iis parere debet, ut aliis exemplo sit, atque ut ea, quae pro publica incolumitate decreta sunt, firma, et immota permaneant. Id vero non impedit, quominus ob justam aliquam, gravemque causam Pontifex alicui veniam concedat, neque tunc aliquid agit contra voluntatem eorum, qui leges condiderunt, potius eam interpretatur, ut in certo illo rerum statu propter utilitatem, aut necessitatem Ecclesiae locum habere non debeat; uti observat S. Thomas *opusc.* 16. *contr. impugnant. Religion. cap.* 4. *opp. tom.* 19. *pag.* 346., cujus verba sunt haec » Illa, quae Sancti Patres determinaverunt esse de jure positivo, sunt relicta sub dispositione » Papae, ut possit ea mutare, vel dispensare secundum opportunitates temporum, vel negotiorum. Sancti enim Patres in conciliis congregati nihil » statuere possunt, nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua » etiam nec concilium congregari potest. Nec tamen Papa quando aliquid aliter facit quam a sanctis Patribus statutum sit, contra eorum statuta facit: » quia servatur intentio statuentium, etiamsi non serventur verba statuto-

» rum, quae non possunt in omnibus casibus, et in omnibus temporibus » observari, servata intentione statuentium, quae est utilitas Ecclesiae; si- » cut et in omni jure positivo accidit » Loquimur autem de legibus humanis, non de divinis, ad quas omnes fatentur Pontificiam auctoritatem produci non posse. Quamquam vero in humanis legibus amplissima sit potestas Summi Pontificis, tamen si ea uti non expediat » animadvertenda erunt il- » la Apostoli: *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*; ex quibus » S. Bernardus sermonem faciens de quibusdam privilegiis; quae non omni- » no, nec universim expedire judicabat, non dubitavit modeste scribere ad » laudatum Eugenium P.; *sic factitando probatis vos habere plenitudi-* » *nem potestatis, sed justitiae forte non ita. Facitis hoc quia potestis*, » *sed utrum et debeatis, quaestio est.* Qui potestatem non negat, sed ades- » se profitetur; et solum ejus exercitium, et usum contineri vult intra ju- » stitiae limites, ne ad id excedat, quod non expedit, eamdem non cano- » num juri subesse censet, sed naturali, atque divino, quod supremam quo- » que potestatem Principum non absimiliter obstringit. Sic Ballarinius *loc. cit.* §. 2. *pag.* 35. Quod autem de Concilii generalis supra Pontificem auctoritate dicit Curaltius, id a nobis refutatum est *tom.* 1. *cap.* 5. §. 18. *seqq. pag.* 95. *seqq.* Late hoc argumentum persequuntur Auctor libri Ratisbonae editi an. 1791., cui titulus *quis est Petrus? par.* 3. *coroll.* 3. *p.* 211. *seqq.* et Cardinalis Gerdilius *Esame dell' opposizione fatta da M. Vescovo di Noli par.* 2. *sez.* 3. *art.* 5. §. 1. *pag.* 288. *edit. Romae* 1800, idque etiam antea praestiterat Franciscus Antonius Zaccaria *Anti-Febronius vindicat. par.* 3. *dissert.* 6. *cap.* 2. *tom.* 3. *pag.* 37. *seqq.*

(5) Nota sunt omnibus quae contra quartadecimanos, rebaptizantes, atque alios pontificiis legibus repugnantes a Victore, Stephano, caeterisque Pontificibus gesta sunt. Huc etiam referri debent sanctiones earumdem legum, de quibus paulo ante egimus, et quibus constitutae sunt poenae adversus eos, qui illis adversarentur. Ac recte, et sapienter S. Coelestinus P. *ep.* 5. *num.* 3. apud Coustantium *col.* 1074. » quae enim, *inquit*, so- » la admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem » congruentem regulis vindicemus. »

(6) Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 8. *et sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.* Sane divino jure unus Pontifex in alios Episcopos habet potestatem, hi vero omnes pares inter se sunt, ideoque eorum nemo quod ab alio judicatum, gestumque est, infirmare potest. Cum jure ecclesiastico instituti sunt Metropolitae, iisque supra certos Episcopos concessa potestas, quod sine Pontificis consensu fieri non poterat, haud sane iidem Pontifices suo se jure ita abdicare voluerunt, ut certa sibi graviora negocia non reservarent, eaque etiam repeterent, quae aliis commiserant. Merito igitur, et ex vi, ac natura Primatus certas sibi causas reservare potuerunt, eoque jure semper usi sunt. Luculentissima ea de re monumenta in historiis extant, ex quibus illustria sunt testimonia, quae perhibent Innocentius I. *ep.* 2. *ad Victricium Rotomagens. cap.* 3. apud Coustantium *loc. cit. col.* 749., Zosimus *ep.* 1. *ad Episcop. Galliae ibid. col.* 938. *et ep.* 6. 7. 10. *col.* 960. *seqq.*, ex quibus patet Patroclum Arelatensem Proculi Massiliensis, et Hilarii Narbonensis causam primo judicio detulisse, Bonifacius *ep.* 15. *num.* 6. *ibid. col.* 1042; *et col.* 1045. ubi primo similiter judicio rogatu clericorum Ecclesiae Valentinae Maximi Episcopi causam judicavit; Sixtus III *ep.* 8. *ad Synod. Thessalonicen. ibid. col.* 1263., Leo M. *ep.* 5. 6. 13. 14. *tom.* 1. *col.* 519. 622. 678. 683., Gregorius M. *ep.* 7. *lib.* 2. *et ep.* 53. *et* 54. *lib.* 5. *ep.* 25. *lib.*

ep. 50. *lib.* 9. *opp. tom.* 2. *col.* 573. 783. 784. 944 964. Atque hi quidem Summi Pontifices antiquiores sunt Isidorianis Decretalibus; ex quo facile refutatur mendacium, et impudentia eorum, qui ab iisdem Decretalibus hujusce juris initium repetendum putant. Hoc idem expressum quoque est in Capitularibus Regum Francorum, nimirum in Capitulari Aquisgranensi anni 803. apud Baluzium *tom.* 1. *cap.* 4. *col.* 270. *edit. Venet.* 1772., ubi de gravioribus quibusdam rebus ecclesiasticis visum est » Apostolicam » Sedem consulere, jubente canonica auctoritate, atque dicente; si majo» res causae in medium fuerint devolutae, ad Sedem Apostolicam, ut san» cta Synodus statuit, et beata consuetudo exigit, incunctanter referantur » Antiquam hanc *consuetudinem* memorant haec Capitularia, et memorant etiam Summi Pontifices, quos supra indicavimus; ex quo patet ipsos ea in re semper vetustissimi juris potestatem exercuisse. Quid dicam de simili praerogativa, quam in Oriente et Antiochenam, et Constantinopolitanam Sedes habuisse constat? Illi quidem, sive ejus Antistiti Alexandro jus hoc asserunt Innocentius I. *ep.* 24. *num.* 1. apud Constantium *col.* 852. » Ut sicut Me» tropolitanos, *inquit*, auctoritate ordinas singulari, sic et ceteros non si» ne permissu, conscientiaque tuâ sinas Episcopos ordinari » Et rationem post pauca addit » quo enim, *inquit*, te maxima expectat (*hoc est ad te » pertinet, ut explicat Coustantius*) cura, praecipue tuum debent mere» ri judicium » Alteri idem privilegium attributum est, postquam in eam Civitatem Imperii Sedes translata fuit. Socrates *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 28. *pag.* 317. *edit. Taurin.* 1747. legem memorat, qua cautum est, *ne praeter sententiam Episcopi Constantinopolitani ulla fiat Sacerdotis* (nimirum Episcopi) *ordinatio.* Extat quoque Theodosii lex data ad Philippum Praefectum Praetorio Illyrici *L.* 45 *Cod. Theodos. de Episc. et Cleric.*, qua sancitum est, ut in Illyricanis provinciis » si quid dubietatis emerse» cit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctae legis » antistitis Urbis Constantinopolitanae, quae Romae veteris praerogativa lae» tatur, conventui sacerdotali, sanctoque judicio reservari.» Profecto si hoc privilegium concessum est Episcopo Constantinopolitano, quod ea Urbs *Romae veteris praerogativa laetatur*, potiori jure dici debet affixum Romanae Urbis Episcopo, ut in causis gravioribus nihil sine ejus scientia, et consensu fieret. Ea lex revocata quidem postea fuit; sed cum abrogata fuerit, ne jura Summi Pontificis aliquid caperent detrimenti, manifestum est, eadem jura, quae ut integra servarentur, lex illa e medio sublata fuit, in Episcoporum aliisque gravioribus causis fuisse confirmata. Consule Ballerinium *observat. in* 1. *part. dissert.* 5. *Quesnelli cap.* 5 *et cap.* 7. *col* 927. 937. 979. 981. *opp. S. Leonis tom.* 2. *et Vindic. Auctor. Pontific. cap.* 8. §. 7. *pag.* 142. *et seq. edit. Augustae Vindelic.* 1770., et librum Ratisbonae editum an. 1791. cum titulo *quis est Petrus? par.* 3. *corollar.* 2. *pag.* 192. *seqq.*

§. IX. Romanum Pontificem, uti demonstratum supra est, eligunt Cardinales (a), iique ejus consiliarii sunt (a), ac per plures Congregationes, quarum supra facta mentio est, pontificiam explicant auctoritatem. Uti omnes Ecclesiae, ita Romana suum semper habuit Senatum, et Presbyterium, cujus ope, et consilio Summi Pontifices in Ecclesiae universae ad-

ministratione uterentur. Nemo autem non intelligit, quantum inter Romanum, ceterarumque Ecclesiarum Senatum, ac Presbyterium discrimen intercedere debuerit, cum harum Presbyterium tantum cum Episcopo curam gereret particularium Ecclesiarum, Romani autem cura, et solicitudo cum ipso Pontifice ad totam Ecclesiam pertineret. Hinc omnes Romanum Presbyterium praecipuo quodam honore, ac reverentia semper prosequi consueverunt, idemque vacua Sede Apostolica appellarunt, cum de gravioribus negociis quaereretur (3).

(1) Plures de Cardinalium origine, ac dignitate disseruerunt, quos indicavi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 2. §. 22. *not.* 4. *tom.* 1. *pag.* 187.

(2) S. Bernardus *ad Eugenium III. de considerat. lib.* 4. *cap.* 4. *opp. tom.* 1. *col.* 135. *edit. Venet* 1765. Cardinales vocat *Coadjutores*, *et Collaterales* Summi Pontificis, et *epist.* 237 *col.* 101. eorum esse inquit opem ferre eidem Pontifici in Ecclesiae universae gubernatione.

(3) Qualis, et quanta esset S. Cypriani reverentia in Clerum Romanum, cum ipse vacua Sede Apostolica toti Ecclesiae praesideret, demonstratum est *tit.* 6. §. 32. *not.* 3. *pag.* 95. Illae autem ea de re datae ejusdem Cleri » literae per totum mundum missae sunt, et in notitiam Eccle» siis omnibus, et fratribus perlatae sunt » uti ipse testatur Cyprianus *ep.* 10. *num.* 5. apud Coustantium *col.* 161.; ex quo intelligimus, quanta earum per totam Ecclesiam auctoritas haberetur. Audiendus de his iisdem Cleri Romani literis ipse Coustantius *loc. cit.* » Cleri hujus literae, *inquit*, non » ut Rigaltius scribit, ipsius Cypriani sede vacante, per totum orbem mis» sae hic dicuntur. Et sapientiam quidem spirant primo Ecclesiae Clero di» gnam. Is nempe nimio potestatis suae studio minime percitus, Episcopos » vicinos, ac remotos, qui Romae aderant, secum vocare, eorumque con» silio uti non dedignatur ». Ex quo cum pateat, quanta huic Clero vacua Sede esset auctoritas, facile conjici potest, quanta etiam esset Sede plena; et certe Cornelius P. *ep.* 49. *inter Cyprian. pag.* 235. testatur *se contraxisse Presbyterium*, *ut firmato consilio quid observari deberet*, *consensu omnium statueretur.* Cypriani aetate vetustius est, quod Epiphanius *haeres.* 22. *vel* 42. *tom.* 1. *pag.* 302. *edit. Coloniae* 1682. narrat de Marcione, qui cum a proprio Episcopo exauctoratus fuisset, vacua Sede Apostolica, Romanum Clerum appellavit. Apud Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 43. *pag.* 272., ubi describuntur ea, quae ad Fabium scripsit Cornelius P., III. saeculo Romae memorantur Presbyteri sex et quadraginta, septem Diaconi, totidemque Subdiaconi, Acolyti duo, et quadraginta, Exorcistae, Lectores, Ostiarii quinquaginta duo. Verum ingens hic, qui tunc Romae erat, clericorum numerus, haud omnis in Romano Presbyterio, aut Senatu locum obtinebat, sed in eo tantum numerabantur Presbyteri, et Diaconi, uti constat ex epistolis Cypriani 9. et 20. *pag.* 182. *et* 199., quae ita inscriptae sunt, *Cyprianus Presbyteris, et Diaconibus Romae consistentibus fratribus salutem*, eaeque literae datae sunt anno 253., cum Ecclesia Pontifice careret.

§. X. Ex quo facile deprehenditur, quanta sit dignitas Cardinalium, qui Romanum Presbyterium repraesentant, quique cum Summi Ecclesiae moderatoris consiliarii sint, eique tamquam suo capiti adhaereant, merito supra ipsos Patriarchas, et Metropolitas honoris gradum obtinuerunt. Hinc tamquam Sedis Apostolicae Legati primae oecumenicae synodo una cum Osio Cordubensi Episcopo interfuerunt Vitus, et Vincentius Romanae Ecclesiae Presbyteri, ac primum post Osium legationis principem tenuerunt locum, ejusque decreta ante ceteros Concilii Patres subscripserunt (1); unde patet, quanto in honore jam tunc haberentur Romani Presbyteri, qui sine dubio Cardinales sunt. Praecipuus quoque locus datus est Cardinalibus in Concilio Romano an. 1059. sub Nicolao II. (2), idemque in oecumenicis Conciliis Lugdunensi I. (3), et II. (4); ac denique in Tridentino factum est. Quare in Hierarchia jurisdictionis insignis, et praeclarus est Cardinalium locus, qui clerum repraesentant Ecclesiae Romanae, quae caput, et princeps est omnium Ecclesiarum.

(1) Vide Concilium Nicaenum *tom.* 2. *Concil. col.* 55.

(2) Concilium Romanum an. 1059. sub Nicolao II. *tom.* 12. *Conc. col.* 51.

(3) In Actis Concilii Lugdunensis I. *tom.* 14. *Concil. col.* 44. habentur haec « Ad dexteram, et in eminentioribus locis sederunt Episcopi Cardina- » les; ex altera vero Presbyteri Cardinales; Archiepiscopi, et Episcopi post eos. »

(4) Consule Raynaldum *ad an.* 1274. *num.* 3. *tom.* 3. *pag.* 345. *edit. Lucae cit.*

§. XI. De Cardinalium origine magna animorum contentione disputatum est. Verum omnis controversia facile expediri videtur posse, modo res ipsa, et officium, ac dignitas Cardinalium ab hoc nomine distinguatur. Sane Cardinales antiquum referunt Romanae Ecclesiae Presbyterium, cujus erat sublevare Summum Pontificem in totius Ecclesiae administratione; et hoc quidem ab ipso initio Romanam Ecclesiam habuisse constat, uti suum semper omnes particulares Ecclesiae habuerunt (1). Nomen Cardinalis recentius est; sed tamen et ipsum valde vetustum, eoque vocabantur Presbyteri, qui certae Ecclesiae erant addicti, sive *incardinati*, ut ei perpetuo servirent, essentque tamquam *cardines* fixi, et immobiles, circa quos Ecclesiae janua volveretur; et hi

quidem distinguebantur ab illis, qui certo tantum tempore Ecclesiam administrabant (2). Omnes igitur Ecclesiae cum hujusmodi haberent Presbyteros, suos habebant Cardinales, sed horum officium concludebatur finibus unius, alteriusve dioeceseos, quae suo erat commissa Episcopo: contra officium Romanorum Cardinalium non ad particularem, sed ad totam trahebatur Ecclesiam, uti totam Summi Pontificis jurisdictio, et solicitudo comprehendebat. Erat igitur omnium Cardinalium nomen simile, sed dissimile officium et socia officii dignitas; quemadmodum aliud est curare unam particularem Ecclesiam, et aliud curare universam. Hinc tractu temporum reliquae Ecclesiae hoc nomen deseruerunt, illudque haesit Romanae, cui proprie convenit, quoniam ea *cardo* est, centrumque, et caput omnium Ecclesiarum (3).

(1) Confer quae scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 2. §. 23. *tom.* 1. *pag.* 187.

(2) Vide easdem *Instit. loc. cit. not.* 4. *pag.* 188.

(3) Ita Cardinales, quod addicti essent Romanae, hoc est *cardini* totius Ecclesiae, vocat Leo IV. in oratione habita ad Synodum Romanam *an.* 853. *tom.* 9. *col.* 1135. *collect. Labbaei edit. Venet.* » Anastasius, *inquit*, Pres» byter Cardinis nostri, quem nos in titulo B. Marcelli Martyris, atque Pon» tificis ordinavimus „ Hic porro Anastasius incardinatus erat *titulo B. Marcelli*, et tamen dicitur *Presbyter cardinis nostri*; quia nimirum non tantum praeerat *titulo S. Marcelli*, sed etiam erat Cardinalis, scilicet propius adhaerens Romano Pontifici, cardini, et capiti Ecclesiae universae. Eodem modo Adrianus II., cum Legatos in Gallias mitteret, eorum alterum *ep.* 23. *et* 24. apud Labbaeum *tom.* 10 *concil. col.* 429. *et* 430. appellat *religiosum Presbyterum cardinis nostri*; et Joannes VIII. ad Angelbergam Augustam scribens *ep.* 83. apud Labbaeum *tom.* 11. *col.* 66. ad eam mittit literas *per latorem praesentium Petrum cardinis nostri Presbyterum*. Merito igitur Leo IX. *ep.* 1. *cap.* 22. apud Labbaeum *tom.* 11. *col.* 1337. » Sicut cardine, *inquit*, totum » regitur ostium, ita Petro, et successoribus ejus totius Ecclesiae disponitur » emolumentum.... Unde clerici ejus Cardinales dicuntur; cardini utique illi » quo cetera moventur, vicinis adhaerentes » Et Concilium Basileense *sess.* 23. » *cap.* 4. *tom.* 17. *collect. ejusd. col.* 329. » eos vult institui Cardinales, qui » sicut nomine, ita re ipsa cardines sint, super quos ostia universalis versentur » et sustententur Ecclesiae. »

§. XII. Primus S. Evaristus, qui Pontificatum gessit primo, ac II. Ecclesiae saeculo, Titulos, hoc est Ecclesias in variis Urbis regionibus divisit, iisque praeposuit Presbyteros (1); quorum esse debebat curam gerere perpetuam, et fixam earum Ecclesiarum, quae sibi commissae fuerant, in iisque sacros agere conventus et sacramenta administrare. Hi sunt, quos

posterior aetas Cardinales appellavit, quique Romanum Presbyterium constituebant. Sed Romae erant etiam Diaconi, qui regionarii dicebantur, propterea quod singuli curabant Diaconias in sua regione positas, in quibus erant nosocomia, et pauperum diversoria, ubi viduae, aliique pauperes ecclesiastica stipe alebantur (2). Hi similiter erant Cardinales; atque ita Romanum Presbyterium ex Presbyteris, Diaconisque Cardinalibus conficiebatur. Accesserunt postea etiam Episcopi Cardinales, videlicet suburbicarii Episcopi, qui dicebantur etiam *collaterales*, et *hebdomadarii*, propterea quod Lateranensi Basilicae adscripti per hebdomadam statis singuli diebus super altare majus Basilicae Lateranensis solemnem Missam celebrarent. (3) Hi olim erant septem numero; nempe Ostiensis Veliterno conjunctus, Portuensis, Albanus, Praenestinus, Sabinus, Tusculanus, et S. Rufinae, seu Silvae Candidae; sed Episcopatu S. Rufinae cum Portuensi conjuncto, sex hodie recensentur (4).

(1) Confer quae ea de re graviter, copioseque scripsit Cardinalis Nicolaus Antonellius *in dissert. de titulis quos S. Evaristus Romanis Presbyteris distribuit*: et vide etiam Jo. Laurentii Berti de eodem argumento dissertationem *de' titoli distribuiti da S. Evaristo Papa ai Preti di Roma*, quae prima est inter disseriationes Italicas collectas a Francisco Antonio Zaccaria *tom. 6. pag. 1. edit. Romae* 1794.

(2) Septem Romae erant hujusmodi Diaconi, qui *Regionarii* dicebantur, qui septem erant his tributae Regiones. In his Diaconiis, seu domibus hospitalibus viduae, pupilli, pauperes cujusque regionis alebantur. De Diaconiis S. Adriani, et SS. Cosmae et Damiani, quas Adrianus I. constituit, Anastasius *in vit. ejusd. Adriani num* 81. *tom. 2. pag.* 224. *edit. Vignoli* scribit haec » Idem egregius Praesul praefatas Basilicas, scilicet B. Adriani Martyris, seu SS. Cosmae, et Damiani, quas noviter restauravit, Diaconias constituit; in quibus et multa bona fecit . . . . concedens eis agros, vineas, oliveta, servos, ancillas, et peculia diversa, atque res mobiles, ut de reditu eorum crebris exactionibus Diaconiae proficientes pauperes Christi reficierentur » Sed praeter hos, alii quoque erant Diaconi in illis Ecclesiis, quae Titulorum nomine insignitae erant. Verum hi subjecti erant Presbyteris Titularibus, illi autem praecipui habebantur, ac tantum subjiciebantur Archidiacono, qui inter illos septem praecipuus erat. Quodvis hospitium conjunctam habebat Ecclesiam, cui praeerat *Pater Diaconiae*, cujus mentio est *in Ordine Romano num.* 4. apud Mabillonium *tom. 2. Mus. Ital. tom. 2. pag* 6., et *in ejusd. Mus. Italic. tom. 1. par. 1. pag.* 149. *et* 150. *edit. Paris.* 1724., ubi Usthatius Dux fundos aliquos legat Diaconiae S. Mariae *in Cosmedin* ea conditione, *ut Presbyter, qui pro tempore fuerit facturus quotidianas Missas, accipiat a Patre solidos tres. Pater* ille, seu *Rector* sub Diacono rem temporalem curabat, atque interdum ex ordine clericorum erat, interdum vero saecularis. Lapsu temporum hae Diaconiae conversae sunt in collegia Clericorum, deincepsque ita facultati-

bus diminutae, ut non amplius opem ferre possent pauperibus, quorum gratia fuerant institutae. Mansit tamen Diaconiarum nomen in earum sacellis, et oratoriis, a quibus earum Praefecti Diaconi Cardinales Urbis Romae dicti sunt. Sane Diaconi Regionarii cum suum in Conciliis nomen describebant, non ordinem servabant Regionis, in qua Diaconiam obtinebant, sed ordinationis, uti patet ex Synodo Romana sub Symmacho apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 450. *edit. indic.*, cui primus subscripsit *Cyprianus Diaconus S. R. E. regionis VII*, secundus *Anastasius regionis I.*, tertius *Citonatus Reg. V.*, quartus *Joannes Diaconus Reg. II.*, quintus *Terrensis Diaconus Reg. I.*, sextus *Tertullus Diaconus Reg. IV.* Hic autem Diaconiarum numerus auctus deinceps est, atque ex iis alii *Regionarii* dicebantur numero duodecim, alii *Palatini* numero sex, qui illis praefecti erant. Consule Mabillonium *Comment. in Ordin. Roman. loc. cit. pag. XVII. et seq.*

(3) Septem Cardinales Episcopos, et hebdomadarios memorat Auctor Pontificalis in Stephano P. III. *num.* 27. *tom.* 2. *pag.* 155. *edit. Vignoli Romae* 1724., ac de eorum praerogativa Petrus Damiani *lib.* 2. *ep.* 1. *tom.* 1. *pag.* 26. *edit. Venet.* 1743. ita loquitur » Haec (*Ecclesia Lateranen-* » *sis*) septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis, post Apostolicum, » ad sacrosanctum illud altare licet accedere, ac divini cultus mysteria ce- » lebrare » et *lib.* 1. *epist.* 2. *pag.* 2.

(4) De Episcopis Cardinalibus suburbicariis videndus Andreuccius *Hierarc. Eccles. tract.* 3., et videndi sunt etiam Onuphrius Panvinius, qui late agit *de Episcopatibus, Titulis, Diaconiis Cardinalium*, et Tamagna *Origine e prerogative de' Cardinali cap.* 4. *art.* 3.

§. XIII. Incertus olim, et varius erat numerus Cardinalium (1); sed nunc septuaginta constat collegium universum, quem numerum constituit Syxtus V., exemplo septuaginta Seniorum, quos secum assumpsit Moyses (2); atque ex iis quinquaginta oportet esse Presbyteros, Diaconos quatuordecim, Episcopos sex, qui propter dioeceseon vicinitatem suo non desunt muneri Episcopatus, licet Romae commorentur, ut Summo Pontifici opem praebeant in Ecclesiae universae administratione. Idem nunc eorum officium, et eadem dignitas, quae, et quod semper fuit Romani Presbyterii; sed annis labentibus etiam externa quaedam accesserunt honoris insignia, quibus amplissima haec Dignitas ornata est. Nam Innocentius IV. Cardinalibus dedit rubrum galerum, quo primum tantum Cardinales e clero saeculari utebantur, sed deinceps idem a Gregorio XIV. etiam Regularibus concessus est (3). Purpureis quoque vestibus Cardinales e clero saeculari decorati sunt (4), et a Paulo II. rubrum pannum in equitando obtinuerunt (5). Denique Urbanus VIII. eos *Eminentissimos* vocari voluit, cum antea *Illustrissimi* dicerentur.

(1) Vide ea de re Thomassinum *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 114. *num* 13. *tom.* 1. *pag.* 342., Platum de Cardinal. *dignit. et offic. cap.* 2. §. 5. *pag.* 38. *seqq.*, ibique Triam *in not. edit. Romae* 1758., et Gagliardum *Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 13. §. 5. *tom.* 1. *pag.* 158. *edit. Neapol.* 1766.

(2) Sixtus V. *Constit. postquam verus* 76. *Bullar. tom.* 4. *par.* 4. *pag.* 279.

(3) Gregorius XIV. *Const. Sanctissimus* 22. *Bullar. tom.* 5. *par.* 1. *pag.* 276.

(4) Non satis exploratum est, quo primum tempore Cardinales purpura uti coeperint. Fortasse ea primum indumentum fuit Legatorum Sedis Apostolicae; cum autem post saeculum XII. passim Cardinales his legationibus fungerentur, ea, ut videtur, de causa purpureas vestes adhibere coeperunt, quae deinceps eorum propriae evaserunt, uti putat V. Cl. Alexius Aurelius Pelliccia *loc. cit. lib.* 1. *sect.* 4. *cap.* 3. §. 3. *tom.* 1. *pag.* 151.

(5) Confer Raynaldum *ad an.* 1213. *num.* 6. *tom.* 1. *pag.* 333. *edit. Lucae* 1747., Spondanum *ad an.* 1244. *Continuat. annal. Baronii tom.* 1. *pag.* 151. *edit. Lugduni* 1678., Thomassinum *loc. cit. cap.* 113. *num.* 7. *pag.* 339., et Michaelem Cauensium *in vit. Pauli II.* edita a Cardinali Quirinio.

§. XIV. Cardinales a Summo Pontifice creantur in Consistorio, de quo supra actum est, atque ex toto orbe sumuntur, quoniam orbem judicare debent (1), suique muneris partes explent vel in eodem Consistorio, vel in Congregationibus, de quibus similiter superiori loco disseruimus. Ita opem praebent Summo Pontifici et consilio, et opera in universae Ecclesiae gubernatione. In suis vero titulis amplam habent jurisdictionem in iis, quae ad eorum curam, et administrationem pertinent (2); et *incompatibilia* retinent beneficia, quae decent eorum dignitatem (3); et testamentum condunt per privatam syngrapham, missis testibus, quos Jus civile desiderat (4); denique eorum *familiarium*, ut vocant, beneficia quis impetrare non potest, nisi ipsorum consensus accedat (5). Vacua autem Sede Apostolica curam sustinent totius Ecclesiae, certisque legibus ecclesiasticam ditionem administrant (6). Conclave autem ingrediuntur, ut in eo conclusi gravissimum de Pontificis electione negocium expediant, ac ferant suffragium, quo jure carent Cardinales, qui Diaconatus ordinem non acceperunt, nisi qui a Summo Pontifice ea lege soluti fuerint. Totum hoc argumentum exegimus loco superiori.

(1) Sic S. Bernardus *de considerat. lib.* 4. *cap.* 4. *opp. tom.* 2. *pag.*

195. *edit. Venet.* 1765., cujus haec verba sunt » Tuum est undecumque » evocare, et adsciscere tibi, exemplo Moysis, senes non juvenes; sed se- » nes non tam aetate, quam moribus, quos tu nosti quia senes populi sunt. » An non eligendi de toto orbe orbem judicaturi? »

(2) Innocentius XII. *Constit. Romanus Pontifex* 32. §. 9. *Bullar. tom.* 9. *pag.* 273., per quam constitutionem, uti monet Pitonius *de Controv. Patron. alleg.* 41. *num.* 31., nunc certum est, Cardinales in suis titulis non habere jurisdictionem quasi Episcopalem: Vide Giraldium *Exposit. Jur. Pontific. par.* 1. *tit.* 33. *sect.* 197. *pag.* 125. *et* 126., ubi etiam explicatur jurisdictio, quam Cardinales Titulares habent in Ecclesiis Regularibus.

(3) Sixtus V. *Constit.* 123. *Bullarii tom.* 4. *par.* 4. *pag.* 417.

(4) Cardinalis de Luca *de testament. disc.* 1. *num.* 2.

(5) Confer *Regulam* 32. *Cancellariae*, ibique Rigantium.

(6) Rem totam explicat Clemens XII. *Const. Apostolatus* 76. *Bullar. tom.* 13. *pag.* 302.

§. XV. Magnus quoque est honoris, ac dignitatis locus, quem obtinent Patriarchae, qui praesunt provinciis pluribus, et eos proxime sequuntur Primates, qui uni nationi; postea Metropolitae, sive Archiepiscopi, qui uni provinciae; denique Episcopi, qui uni tantum dioecesi praepositi sunt. De his omnibus alio loco copiose actum est (1); nunc quaedam addemus, quae magis proprie ad hunc nostrum Decretalium titulum referuntur. Patriarchae igitur, uti dicebamus, pluribus provinciis, earumque Episcopis praefecti sunt, atque a sacris canonibus eamdem fere, quam obtinent Metropolitae in suos suffraganeos, habent in Metropolitas jurisdictionem. Praeterea per universum tractum sui Patriarchatus crucem praeseferunt, nisi occurrat Summus Pontifex, aut ejus *a latere* Legatus (2), iique a suis Metropolitis appellantur (3). Majores Patriarchae, quales sunt Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Jerosolymitanus, etiam pallium suis Metropolitis attribuunt, posteaquam ipsi illud a Summo Pontifice acceperunt (4). Nunc horum Patriarcharum Sedibus barbarorum tyrannide oppressis, tamen eos Sedes Apostolica constituit, ne insignium Ecclesiarum memoria oblivione deleatur; sed hi merum habent titulum, jurisdictionem plane nullam. Eadem de causa creantur etiam Episcopi *Titulares*, quos Episcopos *in partibus* appellamus, et quorum est Episcopis opem ferre in iis, quae sunt ordinis Episcopalis, praesertim cum dioecesis tam late patet, ut unus Episcopus omnibus ubique muneribus obeundis par esse non possit (5).

(1) Confer quae scripta sunt *in Prolegomen. tom.* 1. *cap.* 10. §. 4. *seqq. pag.* 199. *seqq.*

(2) Concilium Lateranense IV. *cap.* 5. *tom.* 13. *Concil. col.* 937.

(3) Cap. 23. *de privileg.*

(4) Concilium Lateranense IV. *loc. cit.*

(5) Horum Titularium Episcoporum origo videtur repetenda *ab Episcopis gentium*, quos ordinabat Sedes Apostolica, ut mitteret ad gentes, quae ad Christianam Religionem erant instituendae. Consule Petrum Constantium *epist. Roman. Pontifc. pag.* 3. *et* 6., et Bianchinium *tom.* 2. *Anastasii in not. ad vit. S. Eleuterii p.* 142.

§. XVI. Primates uni nationi, aut regno, ejusque Episcopis, ac Metropolitis praepositi sunt, et crucem praeseferunt, et habent jus appellationum a sententiis Metropolitarum; quod tamen jus fere ubique antiquatum est. Metropolitae subjectam habent unam provinciam, in ejusque Episcopos, quos suffraganeos vocant, jurisdictionem exercent. Hinc eorum supplent negligentiam (1), eosque vocant ad synodum provincialem (2); inquirunt in absentiam, atque ad residendum compellunt (3); negligentes ad officium cogunt; crucem praeseferunt in tota provincia sua (4); denique causas judicant, quae ad se jure appellationis a suffraganeorum judicio deferuntur (5). Sed graviores causae criminales Episcoporum, in quibus de eorum depositione agitur, ad judicium pertinent Romani Pontificis (6), minores ad Concilium provinciale (7). Olim etiam dioeceses suffraganeorum suorum Metropolitae lustrare poterant (8), nunc non possunt, nisi causa in provinciali synodo cognita, et probata sit (9).

(1) Concilium Nicaenum II. *can.* 11. *tom.* 8. *Concil. col.* 1255., Lateranense III. *can.* 8. *ibid. tom.* 13. *col.* 421., *Cap. licet de supplen. negligent. Praelat. cap.* 7. *de offic. Ordin.* Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 20. *de reformat.*

(2) Can. 6. *dist.* 18., Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. *de refor.*

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.*, Pius IV. *Constit. De salute gregis* 12. *Bullar. tom.* 4. *par.* 2. *pag.* 36. Hodie tamen Episcopi sine venia Summi Pontificis a suis Ecclesiis abesse non possunt, uti docet Benedictus XIV. *Constit. Ad universae* 18. *de residen. Episcop. tom.* 2. *ejus Bullarii pag.* 78.

(4) Clement. *Archiepiscopo de privileg.*

(5) Cap. 11. *de offic. Ordinar. cap.* 3. *de appellat. in* 6. Videnda tamen ea de re est Constitutio *Ad militantis* 48., itemque Constitutio *Romanae Curiae* 115. Benedicti XIV. *in ejus Bullar. tom.* 1. *pag.* 81. *et* 285., ubi certus est definitus appellationum modus, ne quid ex iis damni exoriatur.

(6) Hic quoque hostes Sedis Apostolicae, quos inter non omittendus est Curaltius *loc. cit. cap.* 22. *num.* 2. *tom.* 2. *pag.* 70. *seqq.*, insusur-

rant cantilenam illam suam de Isidorianis Decretalibus, quasi jus, quod habent Romani Pontifices, quodque etiam Tridentina Synodus *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.* comprobavit, judicandi majores causas criminales Episcoporum, ex falsis illis monumentis initium habere videatur. Plenum impudentiae commentum facile refutabitur, modo ecclesiastica monumenta falsis illis Decretalibus multo antiquiora expendamus. Sane S. Julius I. cum de causa S. Athanasii Alexandrini Episcopi ageretur *epist. ad Eusebianos I.* apud Constantium *col.* 386. scribit haec » Cur autem de Alexandrina potissimum » Ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignari estis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? Quapropter si, ut hic, ejusmodi suspicio in Episcopum concepta » fuerat, id ad hanc nostram Ecclesiam referri oportuit. Quae accepimus » a S. Petro, vobis significo, non-scripturus aliqua, quae nota apud vos » esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent » . Vixit autem Julius IV. saeculo, idest fere ante quinque saecula, quam Isidorianae decretales divulgarentur. Ante medium saeculum V. habita est Synodus Ephesina, quae fuit III. oecumenica, in eaque Juvenalis Episcopus Jerosolymitanus adversus Joannem Antiochenum synodi evocationi parere detrectantem dixit haec » Oportebat confestim Joannem accurrere ad Apostolicam Sedem Magnae Ro- » mae nobiscum consistentem, apud quam mos est, et Apostolico ordine, » et traditione, ut ipsa Sedes Antiochena discutiatur, et judicetur » *tom.* 3. *concil. col.* 1170. Revera ejus Concilii Patres, licet praesentes haberent Legatos Coelestini Pontificis, tamen Joannem damnare noluerunt, nisi ab ipso Coelestino ea de re sententia emitteretur, uti patet ex literis, quas ad eum dederunt his verbis » Etiamsi Joannes degradationis sententiam justis- » sime, legitimeque subivisset, pietatis tuae judicio hoc reservavimus » Quibus Coelestinus temperans eorum severitatem respondit » Antiochenum vero, si habet spem correctionis, epistolis a vestra Fraternitate volumus con- » veniri » *ibid. col.* 1591. Praeterea cuncti ejusdem Concilii Patres in sententia depositionis, quam contra impium Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum protulerunt, sese illam *necessario* emisisse declararunt coactos » per sacros canones, et epistolam Patris nostri, et Comministri Coelestini » Romanae Ecclesiae Episcopi » *ibid. col.* 1078. In Chalcedonensi deinde Concilio IV. oecumenico, quod medio eodem V. saeculo celebratum est Legati Summi Pontificis *action.* 3. *tom.* 3. *Concil. col.* 1306. in Dioscorum Alexandrinum dixerunt haec » Unde sanctissimus, et beatissimus Archiepi- » scopus magnae, et senioris Romae Leo per nos, et per praesentem S. » Synodum . . . nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam et » ab omni sacerdotali alieuavit ministerio» Quam Legatorum sententiam omnes Concilii Patres ratam firmam habuerunt, suaque subscriptione approbarunt. In eodem quoque Concilio *action.* 11. *col.* 1610. de Bassiano, qui Ecclesiam Ephesinam usurpaverat, haec habentur » Hodie quatuor anni sunt, » et Romanus Episcopus eum deposuit » Possem et alia afferre ejusmodi exempla, eaque Isidoro antiquiora; sed in hoc argumenti genere viri doctissimi tanta cum laude, et evidentia versati sunt, ut mirum sit hostes Sedis Apostolicae redire posse ad has ineptias, quae toties refutatae, planeque sublatae sunt. Lubet recordari testimonium Nicolai I. *ep.* 8. *ad Michaelem Imperat.* apud Labbacum *tom.* 9. *Concil. col.* 1329., qui in sola Urbe Constantinopolitana octo saltem Episcopos a Sede Apostolica depositos fuisse confirmat. Recte igitur Petrus Ballerinius *vindic. auctor. Pontific. cap.* 8. §. 2. *pag.* 143. *cit. edit. August.* » Mirandum, *inquit*, maxime est, Febro-

» nium ausum fuisse hoc antiquissimum jus Romanorum Pontificum tribue» re supposititiis Isidori decretis, et ausum quoque fuisse notare non so» lum Innocentium III., sed etiam Tridentinam Synodum, quae idem jus » in causis majoribus Apostolicae auctoritati tribuit, ac si Isidorianis com» mentis decepta jus probaverit, quod nunc detecta ipsorum decretorum fal» sitate corrigendum esset. Ita praejudicium male constituti systematis ho» minem huc adduxit, ut oecumenicam quoque synodum totius Ecclesiae ve» neratione consecratam docere, et ad sui systematis regulas jure evocare » se posse censuerit » Consule Carolum Blaschum *de collection. canon. Isidor. Mercator.* c. 9. §. 1. *p.* 94. *edit. Neapol.* 1760., et Fratres Ballerinios *in* 1. *part. dissert.* 4. *Quesnelli cap.* 5. *col.* 127. *seqq. et cap.* 7. *col.* 979. Vide etiam, si lubet, quae diximus superiore loco, ac praeterea in *Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. §. *XII. not.* 1. *tom.* 1. *pag.* 213. *seqq.*

(7) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.*

(8) Cap. 1. *de censib. in* 6.

(9) Concilium Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 3. *de reformat.*, Urbanus VIII. *Constit. Exponi nobis* 370. *Bullarii tom.* 6. *par.* 1. *pag.* 277.

§. XVII. Postremi inter eos quos hactenus recensuimus, et in quibus propria inest, ac nativa jurisdictio, sunt simplices Episcopi, qui uni praesunt dioecesi; de horum vero dignitate, et officio supra actum est. Idem hoc jus episcopale habent etiam in sua dioecesi superiores illi Praesides, in quibus praefecturam, et eminentioria jura inesse demonstravimus. Nam omnes peculiarem habent dioecesim, quam eodem jure, ac potestate, qua suam ceteri Episcopi, moderantur. Romanus Pontifex non tantum Princeps est, et Caput totius Ecclesiae, sed etiam Patriarcha Occidentis (1), Metropolita provinciae Romanae primas Italiae (2), Episcopus Urbis Romae. Similiter Patriarcha ad omnes Patriarchatus provincias, Metropolita ad provinciam illam, cui praepositus est, suam jurisdictionem producit; et simul uterque est Episcopus in dioecesi, quam regendam suscepit. Cum ab iis, qui praeter Episcopatum, habent etiam praefecturam, amplioremque dignitatem, ac potestatem, leges feruntur, non omnes indiscriminatim trahendae sunt ad universas regiones, quas aliquis sua jurisdictione comprehendit. Nam videndum est, quo jure eaedem leges latae fuerint, et quos per eas legislator obligare voluerint. Ita non omnes Pontificiae leges in tota Ecclesia parendi afferunt necessitatem; sed quaedam ab eo tamquam Romae Episcopo emittuntur, et hae ad eos tantum pertinent, qui Romae, atque in Romae regionis tractu commorantur.

(1) De Occidentali Patriarchatu Romani Pontificis multa dixi *in Instit. Jur. Canon. tit. 3. sect. 3. §. 33. not. 2. tom. 1. pag. 201. seqq.*, et hujus operis *prolegomen. cap. 10. §. 6. not. 2. et 3. pag. 203. et seq.* Illud hic addendum videtur, male Van-Espenium *in Gratianum can. 6. dist. 21. par. 5. opp. p. 206. edit. Lovanii* 1732. haec mandasse literis » Gratianum » coeco more etiam errantem secuti Canonistae R. Pontificem sensim e nu- » mero, et ordine Patriarcharum expulserunt, et quatuor dumtaxat Patri- » archas numerarunt; quos tandem secutus est Innocentius III. *in cap.* » *antiqua* etc.» Nam tum *in can. 6.*, tum *in cap. antiqua* tantum agitur de Patriarchis Orientalibus, atque inter ipsos dignitatis ordo constituitur, de quo quidem ordine nulla potest esse disputatio cum Summo Pontifice, quem supra omnes principem locum obtinere nemo inficiatur. Sed digna in primis cura, et observatu sunt, quae ea de re animadvertit Petrus de Marca *Concord. Sacerd. et Imper. lib 1. cap. 5. num. 5. pag. 10.*, scilicet » Etsi jure patriarchi- » co, *inquit*, in Occidente fruerentur Episcopi Romani, se se Patriarcharum » nomine jactare non consuevisse; sed auctoritatem suam sola Sedis Aposto- » licae appellatione explicuisse. Quod eruitur e laudabili quodam loco petito » e S. Gregorii M. regesto.... Nempe quia Sedis Apostolicae Principatus » eximium aliquod jus non solum in Occidentis provincias, quae jure patriar- » chico solius Episcopi Romani solicitudini patuerunt, sed etiam in ceteras » Orientis Ecclesias, quae illi ut Supremo Capiti per Patriarchas suos con- » nectebantur, obtinebat. Noluit ergo Patriarcha audiri Gregorius, sed etiam » non alienum a se duxit, jure patriarchico uti per Occidentis provincias. » Quem morem secutus est Innocentius III., qui quatuor Patriarchas nu- » merando, Romanam Ecclesiam intra dignitatis illius limites non cogit. »

(2) Claudius Salmasius, et Jacobus Gothofredus jus metropoliticum Summi Pontificis intra centesimum ab Urbe lapidem coercendum existimant, quoniam eo regionis tractu contineri putant *suburbicarias Ecclesias*, quarum *solicitudinem gerere* Pontificem ex canone 6. Concilii Nicaeni scribit Rufinus *histor. lib. 10. cap. 6. inter Auctores histor. eccles. pag. 221. edit. Basileae* 1528. Sed hos homines solide, graviterque refutavit, et longe ampliores ejusdem juris fines fuisse ostendit Jacobus Sirmondus suis, quos adversus Gothofredum, et Salmasium evulgavit, libellis, quorum primo titulus est *Censura conjecturae anonymi scriptoris de suburbicariis regionibus et Ecclesiis*, alteri *Adventoria causidico Divionensi adversus amici ad amicum epistolam*, tertio *Censurae vindiciarum conjecturae Anonymi Scriptoris*, quarto *Propempticum Cl. Salmasio adversus ejus Eucharisticon*, qui libelli descripti sunt *in tom. 4. opp. Sirmondi pag. 1. et seqq. edit. Venet. indic.* Nunc nemo dubitat, quin Salmasii sententia absit quam longissime a veritate. Confer Schelestratium *antiquit. eccles. tom. 2. dissert. 6. cap. 1. pag. 410. seqq. edit. Romae* 1697., Valesium *observat. in Socrat. et Sozomen. lib. 3.*, Bianchium *della potestà, e della polizia della Chiesa lib. 2. cap. 1. §. 16. tom. 4. pag. 254. seqq.*, et ceteros quos laudat Benedictus XIV. *de synod. dioeces. lib. 2. cap. 2. tom. 1. pag. 31. seqq.*, qui de jure metropolitico Summi Pontificis disputat copiose, ac diligenter. Haud tamen iisdem terminis Romana Provincia omni aetate comprehensa est; cum eam lapsu temporum ipsi Romani Pontifices, novis constitutis Sedibus Metropolitanis, imminuerint. Innocentius III. *in cap. 5. de offic. Vicar.* eamdem inter Capuanam, et Pisanam provinciam sitam dixit. Sed aliae deinceps a Summis Pontificibus factae sunt ejusdem provinciae distractiones, et ideo quamquam ea nunc etiam inter duas illas provincias posita dicatur secundum Innocentii constitutionem, tamen revera conficitur ex illis tan-

tum Episcopis, qui inter utramque illam provinciam sedent, sed qui nulli Archiepiscopo subjecti sunt.

§. XVIII. Alii quoque numerantur Praelati, qui *majoritatem* habent, iique sunt Praelati illi, qui inferiores dicuntur, et de quibus egimus loco superiori. Hi non propriam habent, ac nativam jurisdictionem, quam Christus contulit in Episcopos cum suo Capite conjunctos, sed tota eorum jurisdictio aut ex diuturna consuetudine, aut ex privilegio Summi Pontificis, vel totius Ecclesiae repetitur. Quae jurisdictio, licet initio saepe fuerit delegata, tamen tractu temporum ordinaria evasit, cum eadem semper eidem beneficio, aut dignitati attribui consueverit. Modus, ac fines hujus jurisdictionis aestimandi sunt ex consuetudine, aut ex privilegio, unde profluit; sed omnes, qui his Praelatis subjecti sunt, *obedientiam* praestare debent.

§. XIX. Quae cum ita sint, facile intelligitur, minores majoribus subjectos esse oportere. Itaque in rebus spiritualibus ab omnibus, qui in Ecclesia sunt, etiamsi ii summo potiantur imperio, Summo Pontifici obedientia debetur (1); Patriarchis, Primatibus, Metropolitis ab illis, qui certis illis regionibus, aut provinciis comprehenduntur; Episcopis a cunctis dioecesanis (2); ceteris Praelatis ab iis, quos sibi habent obnoxios privilegio, vel consuetudine. Qui Superioris mandato non obedierint, poenis plectuntur, atque in eos etiam infligitur excommunicatio (3); similiter Regulares, qui suo Superiori parere detrectant, a fratrum consortio excluduntur (4). Non tamen haec subjectio eo usque progreditur, ut liceat Superiori subditos cogere ad id praestandum, quod recepta lege, et consuetudine praestare non debent. Ita Archiepiscopus nequit a suis suffraganeis juramentum exigere, quale ipsi minime praestare consueverunt (5); neque Episcopus nisi aliud ferat peculiaris lex, et consuetudo, clericos cogit ad declarandam scripto obedientiam, cum eam facto ipso profitentur (6).

(1) Cap 6. *de majorit. et obedient.* Atque hoc tantum, aliud praeterea nihil, sibi voluit Bonifacius VIII. *in Extravag. unam sanctam* 1. *de majorit. et obedient. inter communes*, cum gladium materialem Imperatoris gladio spirituali Summorum Pontificum quoad directionem in finem supernaturalem subjectum esse jure Divino affirmabat. Nam sicuti Bonifacii Suc-

cessor Clemens V. *in Extravag. meruit de privileg.* testatur, per illam Bonifacii constitutionem nullam in Regem, et in regnum Galliae novam inductam fuisse subjectionem, quae non antea obtineret, ita idem de ceteris regnis sentiendum est.

(2) Cap. 4. *de majorit. et obedient.*

(3) Cap. 2. *eod. tit.*

(4) Cap. 10. *eod. tit.* Sed Abbatissae excommunicationis poena in mulieres, aut viros sibi subditos animadvertere nequeunt; verum Episcopus, aut alius earum rogatu ecclesiasticus superior eamdem poenam constituit adversus eos, qui illarum mandatis non obtemperant *Cap.* 12. *eod. tit.*

(5) Cap. 13 *eod. tit.* Hodie cum omnes Episcopi a Summo Pontifice vel eligantur, vel confirmentur, tantum erga eum obedientiae juramentum emittitur.

(6) Cap. 3. *eod. tit.*

§. XX. Neque in eo solum consistit majoritas, ut minores majoribus subjecti sint, iisque obediant, sed etiam habet honoris praerogativam; ita ut qui alio praestat, is etiam ordine, ac loco praestabilior habeatur. Primus honoris locus in tota Ecclesia est Summi Pontificis, alter Cardinalium, quos sequuntur Patriarchae, atque inter hos, uti diximus, primus est Constantinopolitanus, secundus Alexandrinus, tertius Antiochenus, quartus Jerosolymitanus. His succedunt minores Patriarchae, postea Primates, tum Metropolitae, deinceps Episcopi, denique Praelati inferiores, ex quibus omnium nobilissimi sunt, qui separatum habent territorium, in quo jurisdictionem exercent quasi Episcopalem, ac vere *nullius dioecesis* esse dicuntur (1). Reliqui clerici infra hos omnes sunt, atque inter ipsos honoris praerogativa sumitur vel ex ordine praestantiori, ita ut Sacerdos Diacono, Diaconus Subdiacono, et sic deinceps majores clerici minoribus praeferantur (2), vel ex antiquiori tempore ordinationis, ita ut qui prior eumdem ordinem consequutus est loco, ac dignitate potior habeatur (3). Saecularis Clerus antefertur Regulari, atque in hoc etiam suae sunt constitutae leges, ut pateat; quem singuli Ordines, praesertim in supplicationibus, seu processionibus locum obtinere debeant (4). Interdum ordine superior clericus inferiori concedit, quoniam ita receptum est aliqua singulari lege, aut consuetudine quae utraque in his rebus ante oculos habenda, atque observanda praesertim est (5). In dioecesi cunctis praestat Episcopus, quem sequitur Vicarius generalis, postea Dignitates, postremo Canonici, singuli secundum gradum, locumque suum.

(1) Consule Remigium Maschat *Instit. Canon. lib.* 1. *tit.* 33. *tom.* 1. *pag.* 633. *edit. Romae* 1757.

(2) Cap. 15. *de majorit. et obedient.*

(3) Cap. 1 *eod. tit.*

(4) Late ea de re disputat Lucius Ferraris *Bibliothec.* tum *in oper.* tum *in supplemen. verb. praecedentia.*

(5) Sic Archidiaconus quamquam ordine inferior sit Archipresbytero, tamen ei propter ampliorem jurisdictionem antefertur, quod jus est Decretalium Gregorii IX., uti demonstratum supra est, Sic etiam inter Canonicos non antiquior ordinatio, sed vetustior Canonicatus possessio honoris prerogativam tribuit.

DE TREUGA ET PACE.

TITULUS XXXIV.

Lib. I. *tit.* 9. Extravag commun. Decretum *dist.* 90. *Cau.* 25. *caus.* 24. *quaest.* 3.

§. I.

Congruens sane, et conveniens est officio Judicis Ecclesiastici, de quo hactenus disputatum est, non solum causas litigiosas ad judicium delatas, servato juris ordine, definire, sed etiam dare operam, ut tam publicae, quam privatae controversiae inter fideles ortae e medio tollantur. Id autem fit vel per publica pacta convencta, quo spectat hic titulus *de Treuga*, *et Pace*, vel per privata, quo referendi sunt tituli *de Pactis*, *et Transactionibus*, qui hunc proxime consequuntur. Hodie eorum, quae sancita sunt duabus Pontificiis constitutionibus hoc titulo comprehensis, nullus est usus; sed eas postulavit ratio, et consuetudo antiquiorum temporum, quibus illae editae sunt (1). Nos de iis pauca dicemus, ne aliquem omittamus ex titulis, quos Raymundus literis consignavi, atque ut hanc etiam antiquae disciplinae partem explicemus.

(1) Emmanuel Gonzalez *in cap.* 1. *de treuga et pace* treugas, sive inducias canonicas nunc obsolevisse contendit, propterea quod de illis editae constitutiones hoc titulo descriptae prodierunt non contra bellum justis de causis, et publica auctoritate indictum, sed contra bella privata, quae olim, ac praesertim aetate Concilii Lateranensis III. saepe gerebantur, quaeque nec legibus probata erant, nec omnino improbata. Cum autem haec bella desierint, desierunt etiam cum poenis canonicae induciarum leges. Sed Giraldius *eod. loc. par.* 1. *sect.* 203. *pag.* 131. easdem constitutiones obsolevisse inquit, vel quia non fuerunt

» usu receptae, vel quia nimis admodum refriguit christiana caritas, una cum » reverentia erga divinum cultum, ac res, et personas Deo sacratas: ob » quam causam hostes tam pontificia, quam caesarea jura parvipendant. »

§. II. Treugam, treuvam, vel triegam barbara esse vocabula, et obscurae originis, iisque inducias significari, facile inter omnes convenit (1). Sunt autem induciae pro conventione acceptae pactum publicum inter bellantes initum, cujus gratia manente bello omnes hostiles actus suspenduntur. Pax contra bello finem imponit; et ideo pactio est, quae differt ab induciis, propterea quod bellicos tumultus praecidit, atque ambutat(2). Belli gerendi potestas, cum justae sunt bellandi causae, eorum est, qui summo potiuntur imperio; privatis autem hominibus jus suum armis persequi nefas est (3). Sed ferreis illis saeculis, quibus impune fiebat, quod contra jus, fasque erat, morum depravatio, et corruptela malae consuetudinis etiam privatos homines ad arma compulit, et per ea quisquis res raptas repetebat, sibi illatas injurias persequebatur, litesque omnes, et causas gladiis, telisque dirimebat (4). Quin etiam omnes pro amicis, cognatis, affinibus arma sumebant, sive, ut tunc loquebantur, *faidam levabant* (5), hoc est inimicitiam; unde rapinae, populationes, incendia, homicidia oriebantur, neque in Regibus, et Principibus tanta vis inerat, quanta opus erat, ut haec omnium rerum infinita, atque intoleranda licentia coerceretur. Gallicani Episcopi, in quorum praesertim regionibus domestica haec bella flagrabant, his malis remedium adhibere curarunt proposita pace, quam *Dei Trevam* appellarunt, quaeque etiam ex originis loco *Gallicana pax* dicta est (6); eaque initio ab omnibus recepta est, et aliquandiu servata (7); sed brevi homines ad antiquos mores, et pristinum vitae institutum redierunt, et plerique auscultarunt Gerardo Cameracensi, qui tam publica, quam privata bella permissa esse contendebat (8).

(1) Confer Du-Cangium *Glossar. med. et infim. Latinit. verb. Trenga*, *et verb. Treva.*

(2) Grotius *de jur. belli*, *et pac. lib.* 3. *cap.* 20. *et* 21, *pag.* 422. *seqq. tom.* 2. *edit. Basileae* 1746.

(3) S. Thomas 2. 2. *quaest.* 40. *art.* 1. *opp. tom.* 22. *pag.* 223. Ad » hoc *inquit*, quod aliquod bellum sit justum, tria requiruntur. Primo » quidem auctoritas Principis; cujus mandato bellum est gerendum. Non

» enim pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest jus su-
» um in judicio Superioris prosequi etc. Secundo requiritur causa justa, ut
» scilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem
» mereantur etc. Tertio requiritur, ut sit intentio bellantium recta; quia
» scilicet intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. »

(4) De hac illius aetatis corruptela loquitur etiam S. Petrus Damiani *lib.* 4. *ep.* 9. *opp. tom.* 1. *pag.* 55. *edit. Venet.* 1743. Confer praeterea Bignonium *in Marculfum formul. lib.* 2. *cap.* 18. *p.* 637 apud Baluzium *Capitular. Reg. Francor. tom.* 2 *edit. Venet.* 1772. Extat eadem de re praescriptum in iisdem Capitularibus *lib.* 5. *cap.* 332. *ibid. tom.* 1. *col.* 599. his verbis » E contra vero nescimus, qua pernoxia inventione, a nonnullis usurpatum » est, ut hi qui nullo ministerio publico fulciuntur, propter sua odia, et » diversissimas voluntates pessimas indebitum sibi usurpent in vindicandis » proximis, et in interficiendis hominibus vindictae ministerium, et quod » Rex saltem in uno exercere debuerat propter terrorem multorum, ipsi impu- » denter in multis perpetrare non metuunt propter odium, et putant sibi » licere ob inimicitiarum vindictas, quod nolunt, ut Rex faciat propter Dei » vindictam. »

(5) Faida inimicitiam significat, uti docet Du-Cangius *loc. cit. verb. Faida*, et saepe accipitur pro vindicta, quae exigitur pro morte amici, aut cognati. Hinc illud *vindicta parentum, quod Faidam* dicimus apud Reginonem *de ecclesiast. disciplin. lib.* 2. *cap.* 5., et Burchardum *lib.* 1. *cap.* 94., et *Faidam levare in Lege Longobardorum lib.* 1, *tit.* 9. §. 18.

(6) Rem totam narrat Glaber Rodulphus *Histor. Franc. lib.* 4. *cap.* 5. apud Duchesnium *Histor. Scriptor. tom.* 4. *pag.* 45. *edit. Paris.* 1641., a quo memorantur concilia, quae in Gallia universa habita sunt, ut gravia illa mala removarentur, editoque decreto pax ubique constitueretur. Idem tradit Sigebertus *in chronic. ad an.* 1032. apud Struvium *Script. rer. German. tom.* 1. *pag.* 831. his verbis » Istiusmodi decretum (*de constituenda, servandaque pace*) » a Franciae Episcopis datum est servari subjectis sibi populis. Unus » eorum dicit, coelitus sibi delatas esse literas, quae pacem monerent reno- » vandam in terra, quam rem mandavit ceteris. Et haec tradenda dedit po- » pulis, ut arma quisque non ferret, direpta non repeteret, sui sanguinis, » vel cujuslibet proximi ultor minime existens percussoribus cogeretur indul- » gere, Jejunium in pane, et aqua sexta feria servarent. Et in Sabbato a car- » ne, et liquamine abstinerent, soloque hoc contenti jejunio in omnium pec- » catorum remissionem nullam sibi scirent adjiciendam poenitentiam, et hoc » servare sacramento firmarent: quod qui nollet christianitate privaretur, et » exeuntem de saeculo nullus visitaret, nec sepulturae traderet. »

(7) De hac treuva Ivo Carnotensis *ep.* 90. *pag.* 44. *opp. par.* 2. *edit. Paris.* 1647. scribit haec » Trauva Dei non est communi lege sancita, pro com- » muni tamen utilitate ex placito, et pacto civitatis, ac patriae, Episcoporum, » et Ecclesiarum est auctoritate firmata. Unde judicia violatae pacis modificari » oportet, secundum pacta, et conventiones, quas unaquaeque Ecclesia con- » sensu Parochianorum instituit. „

(8) Videndus Baldricus *lib.* 3. *Histor. Jerosolym. inter Script. Orient. expedit. tom.* 1. *pag.* 111. *edit. Hanoviae* 1611., et Sigebertus *loco mox indicato pag.* 103, Sed primo Guido Podiensis Episcopus cum aliis Gallicanis Episcopis anno 990. summopere laboravit de concilianda pace, comprimendaque vivendi licentia, quae sub regno Caroli Simplicis, ejusque successorum in Gallias irrepserat, cum fere nulla esset Regalis auctoritas, per quam homi-

nes in officio confluerentur, eaque de re chartam edidit *De treuga, et pace*, quam describunt Mabillonius *de re diplomat. lib.* 6. *num.* 144. *pag* 577., et Auctor *Gall. Christian. nov. in appendic. pag.* 225. Annis consequentibus pacis ineundae negocium S. Richardus, et S. Odilo Abbates, uti constat ex eorum vitis apud Mabillonium *Acta SS. Ord. S. Benedicti saec.* 6. *par.* 1. *tom.* 8. *pag.* 491. *et* 580. *edit. Venet.* 1733., aliique insignes pietate viri susceperunt; pacemque ipsam eadem aetate commendarunt Concilia in diversis Galliarum partibus habita an. 1041. *tom.* 11. *Concil. col.* 1291. Concilium Narbonense an. 1054. *cap.* 2. *ibid. col.* 1464., et Juliobonense an. 1080. *ibid. tom.* 12. *col.* 649.

(8) Confer Sigebertum *loc. cit.*, et Chronicon Cameracense *cap.* 27. *et* 52.

§. III. Res eo adducta est, ut prava consuetudo, quae ubique dominabatur, plane tolli nequiverit. Quod cum experiundo cognovissent Episcopi, qui ea aetate floruerunt, paulatim immoderatam illam licentiam praecidere, et homines meliori vitae instituto assuefacere curarunt; atque hoc unum invetorato malo remedium esse arbitrati sunt (1). Itaque certi constituti sunt dies, quibus sese omnes a domesticis illis bellis abstinerent (2); quae lex licet initio non uno, et eodem tempore ubique recepta fuerit, tamen lapsu temporum in omnium regionum tractu observata est. Atque haec est pax illa, seu treuga, de qua hoc Titulo disseritur, quaeque differt a pace, et induciis conventionalibus, quarum supra est facta mentio, et quarum ineundarum potestas ad eos pertinet, quibus gerendi belli jus est. Haec proprio nomine treuga, et pax canonica appellatur, atque in eo constitit, quod certis temporibus arma silere debeant, quodque etiam vigente bello certae personae securitatem obtineant, cum reliquae in rerum omnium discrimine versantur. Haec proprie pax appellatur, ejusque beneficio frui debent „ presbyteri, „ monachi, conversi, peregrini, mercatores, rustici, eun- „ tes, et redeuntes, et in agricultura existentes, animalia, „ quibus arant, et quae semina portant ad agrum (3).

(1) S. Ivo Carnotensis *epist.* 44. *opp. par.* 2. *pag.* 20. suos dioecesanos vehementer hortatur, ut omnes extinctis inimicitiis ad pacem, et concordiam redeant, tum ait »Toleramus imperfectionem vestram, dissimulamus impietatem ve- » stram, et cum abundante iniquitate sanare vos perfecte nequeamus, malumus » infirmos, et saucios vos habere, quam penitus mortuos. Rogamus itaque, et » obsecramus, et ex auctoritate Domini Jesu, cujus legatione licet indigni fun- » gimur vobis praecipimus, ut salvationis vestrae memores, saltem hos qua- » tuor dies, quibus et Dominus, et Salvator noster medicinalia salutis no- » strae sacramenta evidentius operatus est, pacificos firmiter habeatis, et ab

» omni injuria tam inimicorum, quam amicorum, tam alienigenarum, quam » indigenarum mentes, manus, linguas compescatis. »

(2) Concilium Narbonense *loc. cit. cap.* 2. „ Iterum mandamus, *inquit*, » atque confirmamus ipsam treugam Dei, quae a vobis dudum constituta fue- » rat, et nunc a pravis hominibus disrupta esse videtur; at firmiter deinceps » ab omnibus teneatur. Igitur obsecramus per Deum, et monemus, ut ne- » mo Christianorum quemlibet Christianum requirat ad malefaciendum ab » occasu Solis quartae feriae usque secundae feriae illucescente Sole „. Tum *c.* 3. plures describuntur dies, quibus bellum gerere nefas est. „ Trojanum an. 1115 *ibid. col.* 1222., Claromontanum *can.* 8. *ibid. col.* 1447., cujus verba sunt haec » Treugam autem ab occasu Solis quarta feria usque ad or- » tum Solis in secunda feria, et ab adventu Domini usque ad octavas Epi- » phaniae, et a Quinquagesima usque ad octavas Pentecostes, ab omnibus » inviolabiliter observari decernimus. Si quis autem Treugam frangere tenta- » verit post tertiam commonitionem si non satisfecerit, Episcopus suus excom- » municationis in eum sententiam quisque confirmet „ Helenense *tom.* 12. *col.* 151., Lateranense II. *can.* 11. *ibid. col.* 1502., et Lateranense III. *can.* 21. *ibid. tom.* 13. 428. *col.* Videndus Antonius Dominicius *dissert. de treuga et pace*, et Ceillierus *Histoir. general. des auteur. sacr. et eccle- siast. tom.* 19. *chap.* 53. *num.* 4. *pag.* 710., *tom.* 20. *chap.* 15. *num.* 21. *pag.* 245. *tom* 23. *chap.* 34. *num.* 28. *pag.* 594. *et chap.* 35. *num.* 2. *pag.* 603., locisque aliis compluribus.

(3) Cap. 2. *de treuga, et pace.*

§. IV. Solemnia induciarum tempora, quae proprie Treugae dicuntur, sunt „ a quarta feria post occasum Solis usque ad „ secundam feriam in ortu Solis, ab adventu Domini usque „ ad octavas Epiphaniae, et a Septuagesima usque ad octavas „ Paschae (1) „ His temporibus vetitum est domestica bella exercere, et si quis exercuerit, plectitur poena excommunicationis, nisi postquam ter monitus fuerit, legis praescripto satisfecerit (2). Atque his quidem Constitutionibus, quae sumptae sunt praesertim ex duobus oecumenicis Conciliis Lateranensi II. et III., haud sane Romani Pontifices tristia illa privatorum bella probare voluerunt, tantum eum, quem propter temporum injuriam poterant, modum imposuerunt, ut quod statim tolli non poterat, sensim sine sensu ex hominum animis evelleretur. Ea de causa jubentur omnes Episcopi conjunctis opibus, et consiliis dare operam diligentem, ut a populis pax, et concordia observetur, et si qui Episcopus *in hoc opere trepidus inventus fuerit eum damnum propriae dignitatis incurrere* statuitur. Nam Ecclesia etiam publica bella permittit potius, quam probat inter Christianos, et eadem, quantum potest, refrenat, et cohibet (3). Sed nunc Dei beneficio privata haec

bella desierunt, et publica praesto est auctoritas, quae jus suum unicuique tribuit; et ideo solemnia illa induciarum tempora obsoleverunt.

(1) Cap. 1. *de treuga et pace*.

(2) Ad eos, qui propter violatam treugam Domini in excommunicationem inciderant, pertinet decretum Urbani II. apud Gratianum *can. excommunicatorum caus.* 23. *quaest.* 5., quod refert Baronius *ad an.* 1089. *num.* 11. *tom.* 17. *pag.* 605., cujus decreti verba sunt haec » Excommunicatorum interfectoribus, prout in Ordine Ecclesiae Romanae didicistis, secundum intentionem, modum congruae satisfactionis injunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quos adversus excommunicatos, zelo catholicae matris ardentes, aliquos eorum trucidasse contigerit. Ne tamen ejusdem Ecclesiae matris disciplina deseratur, eo tenore, quem diximus, poenitentiam eis indicito congruentem, qua Divinae simplicitatis oculos adversus se complacare valeant, si forte quid duplicitatis, pro humana fragilitate, in eodem flagitio incurrerint ». Quo quidem canone nihil plene est, quod veteri canonicae severitati, ut aliqui putant, adversetur. Nam prava illa consuetudo gerendi bella pro privatis inimicitiis tam late dominabatur, ut eam poenis asperioribus coercere oporteret. Itaque adversus eos, qui treugam Domini rumperent, constituta est excommunicatio, illaque etiam adjuncta lex, ut qui hujusmodi excommunicatos interficerent, non capitalem poenam perferrent, sed poenitentiae subjicerentur. De his excommunicatis, non de omnibus universe loquitur Urbanus II., qui minime descivit, ut inquit Benedictus XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 11. *cap.* 11. *tom.* 2. *pag.* 131. » ab antiqua disciplinae severitate adversus homicidas, sed prudenti moderatione ecclesiasticam legem attemperavit juxta temporum circumstantias, quae id maxime postulabant, ut impuniti non abirent violatores treugae Domini, per quam unice privatorum bellorum calamitatibus modus aliquis afferri poterat ». Recte etiam de hoc Urbani decreto Petrus de Marca *Concord. Sacerd. et imper. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 3. *pag.* 157. scribit haec » Si raptores istos, pacisque violatores ab utraque potestate proscriptos occidi contingeret a quoquam privato zelo justitiae, non homicidii poena canonica, et ordinaria, sed leviori, et remissiori satisfactione culpam illam diluendam docet Urbanus II., qui de hoc solo genere excommunicatorum intelligendus est, non autem de omnibus excommunicatis, ut quidam sibi male feriati persuaserunt. Cujus interpretationis eo lubentius hic memini, quod ea levari mihi posse videtur invidia, quae ob textum hunc male intellectum creari solet adversus Summos Pontifices. »

(3) Atque hac sane mente Innocentius II. in Concilio Lateranensi II., ubi hoc treugae decretum omnibus propositum est observandum, *mortiferam, et odibilem* vocat artem *ballistariorum, et sagittariorum*, eamque adversus Christianos, et Catholicos, indicta poena excommunicationis, ab aliquo exerceri vetat: *Cap. 1. de sagittariis*, cujus inscriptio sic restituenda est; *Innocentius II. in Concil. Lateranen.*; quoniam hoc caput sumptum est ex Concilio Lateranensi II. *can.* 29. *tom.* 12. *Concil. col.* 1506. Haec enim arma, quae majorem afferunt perniciem, saltem prohibenda censuit Innocentius II.; et arcenda a cervicibus Christianorum. Ballistariis *in cap.* 9. *ne cleric. vel monach.* junguntur Ruptarii *viri sanguinum*, quod est animadvertendum, ut vera habeatur interpretatio *Cap. de sagittar.*, ac ne quis fa-

piatur in opinionem quorumdam, qui Summum Pontificem *in d. cap.* 1. spectasse existimant ad nescio quos magicos, et diabolicos sagittarios, quos Auctor *Mallei Maleficarum* scribit cum daemone pactum inivisse, ut ejus ope cogitata perficerent. Si haec vera haberi posset sententia, sequeretur, quod cum Pontifex tantum inter Christianos hanc Ballistariorum, et Sagittariorum artem prohibeat, gravioribusque paeris coerceri velit, pacta conventa cum daemone confirmare videretur, cum in perniciem infidelium, et hostium Ecclesiae eadem converterentur. Quod dicere magnum sane absurdum esset.

DE PACTIS

TITULUS XXXV.

I. Quid pactum?
II. Aliud pactum nudum, et simplex, aliud pactum vestitum, ac legitimum.
III. Qui pactum inire prohibeantur?
IV. Quae pacta observanda sint, quae contra non sint?

Lib. 1. *tit.* 18. *in* 6. Decretum *Caus.* 22. *q.* 4. Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regul.* Pandectae *lib.* 50. *tit.* 12. *de pollicitat.* Codex *lib.* 2. *tit.* 3.

§ I.

Treuga, et pax publicum pactum esse animadvertimus, quo non unus, aut alter, sed certus populus universus obstringitur; rectus rerum ordo postulabat, ut deinceps de privatis pactis ageretur. Quod hoc titulo praestat Raymundus, posteaque describit Titulum de Transactionibus, quoniam acturus de judiciis exemplo Pandectarum, et Codicis, apte, et convenienter praemittebat ea, quae pertinent ad finiendas lites, qualia sunt pacta, et transactiones. Pactum ab Ulpiano definitur (1). duorum, vel plurium in idem placitum consensus, patetque latissime in jure de pactis disputatio. Nobis haud est propositum longiorem tractationem suscipere; tantum ea, quae pertinent ad hunc nostrum titulum Decretalium, persequemur.

(1) L. 1. *ff. de pactis.*

§. II. Pactum mutuo duorum, aut plurium consensu perficitur; nam quae ab uno facta est pollicitatio, quam alter non accepit, nullius momenti est, neque aliquam obligationem parit. Sed quae mutuo consensu inter duos pluresve conventa sunt, ea tum civile (1), tum canonicum Jus (2), modo

siat justa, diligenter observanda praescribit. Pactum vero nudum, et simplex differt a pacto, quod vestit im, aut legitimum, et civile appellatur. Nudum est quod in sola paciscentium conventione consistit; ut si Titius Cajo promittat decem, atque hic promissionem accipiat. Contra vestitum est, quod praeter mutuam conventionem, habet etiam adjumentum juris, aut causam, propter quam ex eo nascitur obligatio. Nimirum cum pactum transit in contractum, qui Juri probatur, ac proprium habet nomen, qualis est emptio venditio, locatio conductio, societas, mandatum; vel cum praeter conventionem adest etiam causa, ut si alter contrahentium aliquid praestet, ut alter vicissim det aliquid, vel faciat, ex. gr. do tibi centum, ut mihi certum negocium expedias, hoc pactum vestitum, seu legitimum, ac civile appellatur (3). Inter haec duo pacta discrimen Jus civile constituit, idque in eo positum est, ut pactum vestitum actionem tribuat, nudum vero non tribuat, nisi lege confirmetur (4), sed tantum exceptionem inducat. Sunt haec in Jure Civili explorata; sed non ita perspicuum est, num eadem Canonici Juris disciplina sit. Plerique tamen etiam a Jure Canonico nudis pactis actionem adscribi negant; propterea quod Jus idem Civili deroga se nusquam constat (5).

(1) L. *Juris gentium* §. *ait Praetor ff. de pactis.*

(2) Cap. 1. *et* 3. *de pactis.*

(3) Consule Donellum *de jur. civil. lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 1. *seqq. opp. tom.* 3. *col.* 493. *seqq.*, *et in codicem lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 5. *seqq. tom.* 7. *col.* 153. *seqq. edit. Lucae an.* 1762., Cujacium *in tit. Cod. de pactis L.* 10. *opp. tom.* 9. *col.* 65. *edit. Venet.* 1757., Averanium *Interpret. jur. lib.* 1 *cap.* 14. *num.* 20. *tom.* 1. *par.* 1. *pag.* 201. *edit. Lugdun. Batavor.* 1753. Connanum *Jur. civil. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 5. *tom.* 1. *pag.* 485. *edit. Basileae* 1562., ubi ostenditur, quemamodum nudum pactum exceptionem inducat.

(4) L. 35. §. *ult. Cod. de donat.*

(5) Vetus quaestio est, num Jus Canonicum ex pacto nudo concedat actionem, quam Jus Civile non concedit: at verius plerique affirmant, Jus illud tueri quidem pacta nuda, sed datis tantum exceptionibus. Sane Jus hoc neque de actione, neque de exceptione danda aperte loquitur, sed pactiones quasdam omnino observandas statuit, ut *in Cap.* 1. *de pactis.* Ibi enim pactum conventum fuerat inter duos Africanos Episcopos ejusdem dioeceseos, cumque eorum alter ejurata haeresi Donatistarum ad Ecclesiam rediret, vel, ut est in Concilio Carthaginiensi I., unde hoc caput sumptum est, cum *se repraesentaret*, admissus est quibusdam initis pactionibus de divisione dioeceseos, secundum id, quod tunc fieri solebat ab Ecclesia Africana a Donatistis vexata propter pacis studium, *Cap.* 1. *de parochiis.* Pacta haec servanda esse decrevit

Concilium his verbis: universi dixerunt *pax servetur, pacta serventur*. Quae verba, quibus Concilium respondet querelae ab Antigono propositae; ita accipienda sunt, ut si ea forte Adversarius observare nolit; fractae fidei reus conveniri possit, ac vocari ad concilium propter pacta, quae rata firma habenda sunt, ut dubitare non debeamus, quin ex iis ultro agere possit Antigonus, ut cum lex pacta quaedam expresse confirmat, etiam a Jure Civili actio conceditur, *L. legitima ff. de pactis*. Confer Schmalzgrueber *Jus ecclesiast. univer. par.* 3. *lib.* 1. *tit.* 35. §. 1. *num.* 7. *pag.* 218. *tom.* 1. *edit. Venet.* 1738., et Remigium Maschat *Instit. Canon. lib.* 1. *tit.* 35. *num.* 7. *tom.* 1. *pag.* 641. *seq. edit. Romae an.* 1757.

§. III. Pactum inire omnes possunt, qui non prohibentur; at vero aliqui prohibentur vel natura, vel lege, vel canone. Natura idonei non sunt ad pactionem cum aliquo conflandam infantes, furiosi, amentes, ceteri similes, ebrii ebrietate, quam vocant theologicam, quae scilicet omnem rationis usum avertit, surdi et muti (1), nisi perspicuis, certisque signis consensum patefaciant. Lege repelluntur impuberes, pupilli, minores, qui sine auctoritate tutoris, aut curatoris pactionem facere non possunt, nisi per eam conditionem suam meliorem faciant, ac non ipsi aliis, sed alii ipsis obligentur (2), prodigi, quibus interdicta est bonorum suorum administratio (3), filius familias, nisi agatur de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, quorum ipse dominium, et administrationem habet (4); denique pro altero aliquid pacisci quis nequit, nisi mandatum habeat, aut omnem in eum potestatem (5). Canone prohibentur pactum facere de rebus Ecclesiarum, et Monasteriorum Praelati, et Administratores, nisi praesto sit utilitatis, ac necessitatis causa, et solemnitates observentur, ad quod demonstrandum alius mihi servatus est locus; Monachi, ac Regulares, qui suae carent voluntatis arbitrio (6), nisi a Superiore veniam obtinuerint, aut nisi pactum utile monasterio sit, vel personalem, eamque justam comprehendat obligationem, cui satisfacere etiam Regularis possit. Ad hunc quoque locum referendae sunt pactiones, quae inter Capitulares ante electionem fiunt, quaeque omnes Pontificiis Constitutionibus, etiamsi honestae, ac sacramento firmatae sint, neque aliquid contineant, quod non sit licitum, irritae declarantur. Cetera autem pacta, quae electionem consequuntur, primum approbanda sunt judicio Sedis Apostolicae, ut vim, atque exitum obtineant (7).

(1) §. *mutum* 7. *Instit. de inutil. stipulat.*

(2) Instit. *in princip. et L.* 9. *ff. de auctorit. tutor.*

(3) L. 6. *ff. de verbor. signific.*

(4) L. 4. *ff. de castren. pecul.* Huc etiam Jus civile referri vult servos, sed hodie inter Christianos antiqua illa servitus sublata est.

(5) Justinianus §. 5. *Instit. per quas person. cuique acquiratur* » per extraneam personam, *inquit*, nihil acquiri potest ».

(6) Cap. 2. *de testamen. in* 6., *Cap. ult. de sepultur. in* 6.

(7) Innocentius III. *in cap. sicut nostris* irritum declaravit pactum inter Capitulares initum, per quod Ecclesiae reditus imminuebantur. Accesserunt postea recentiores Constitutiones Pontificum Romanorum, quarum altera S. Pii V. initium habet *Durum nimis et incommodum* 143. *in Bullar. tom.* 4. *par.* 3. *pag.* 108., altera Gregorii XIII. incipiens *Inter Apostolicas* 171. *tom.* 4. *par.* 4. *Bullarii*, quibus omnes universe improbantur pactiones etiam juratae, quae ante electionem fiunt, quod praesertim in Germania eveniebat, ubi Episcopi a Capitulo eliguntur. Sed omnium celeberrima est Constitutio *Ecclesiae Catholicae* Innocentii XII., quam integram describit Lunigius *Select. Scriptor. Illustr. pag.* 450., quaeque extat in Bullario *tom.* 9. *pag.* 412. *edit. Mainardi*. Per eam nullius momenti declarantur pactiones omnes ante electionem initae; ceterae vero post electionem factae Sedis Apostolicae judicio subjiciuntur. Late ea de re disserit Benedictus XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 11. *seqq. tom.* 2. *pag.* 353.

§. IV. Generatim omne pactum licitum, honestum, possibile, cui neque divina, neque humana lex adversatur, custodiendum, observandumque diligenter est (1). Hinc privilegiis etiam, quae privatim sua, et propria sunt, sese abdicare unusquisque potest (2); valetque pactum juratum, quo mulier, cum in matrimonio collocatur, accepta dote promittit, se nihil amplius ex paterna hereditate petituram (3). Sed quaedam pacta sunt, quae a Jure Canonico nominatim improbantur; et huc referenda pacta de alteri concedendo beneficio accepta pecunia, aut re alia, quae pretio aestimatur (4); de danda alicui Ecclesia ea lege, ut postquam ipse vita functus est, eamdem designata persona consequatur (5), de solvenda graviori pensione, ut quis facilius Ecclesiam obtineat (6); itemque pactum, quo Monachi aliis sua bona locant, ut hi aut decimas sibi solvant, aut apud eosdem eligant sepulturam in perniciem Ecclesiae parochialis (7).

(2) Cap. 4 5. *ult. de pactis.*

(2) Cap. 1. *eod. tit. in* 6.

(3) Cap. 2. *eod. tit. in* 6.

(4) Cap. 4. *de pactis.*

(5) Cap. 5. *eod. tit.*

(6) Cap. 6. *eod. tit.*

(7) Cap. 7. *eod. tit.*

DE TRANSACTIONIBUS

TITULUS XXXVI.

Decretum *can. ult. c.* 5. *q.* 1. Codex et Pandectae *h. tit.*

§. I.

Transactio differt a pacto, uti species a genere; et omnis quidem transactio pactum, sed non omne pactum transactio est (1). In jure civili pacti nomine transactio non raso comprehenditur (2); sed proprie pactum saepe fit nihil dato, aut promisso, atque ad res certas pertinet: verum transactio conficitur de re dubia, ac lite incerta, atque aliquid datur, aut promittitur, ut alter litem institutam, aut instituendam deserat (3). Aliud quoque discrimen est inter pactum, et transactionem, quod illius poenitere quis potest, cum res adhuc integra est (4); contra vero transactio, etiam re integra, rata firma esse debet, ut sit aliquis litium modus (5).

(1) Pacti et transactionis discrimen, praeter ceteros, diligenter explicat Cujacius *in Cod. lib.* 2. *tit.* 4. *opp. tom.* 10. *col.* 832.

(2) L. 1. *Cod. de pactis*, *L.* 28. §. 2. *ff. eod. tit.*, *L.* 4. *ff. de jur. Fisci.* Vulgus interpretum eam tradit interpretationis regulam, ut cum in Juris libris memoratur pactum re aliqua data, aut promissa, aut retenta, sicut *in L.* 28. *ff. de pactis*, *L.* 4 *ff. de jur. Fisci*, *L.* 1. *Cod. de pactis*, semper pactum transactio sit, contra cum nihil datur, aut promittitur, aut retinetur, pactum proprie dictum intelligatur. Sed haec regula vera non est. Transactio quidem nunquam est gratuita, sed pactum et gratuito fit, ut *in L.* 1. *ff. de transact.*, et cum pretio, ac re aliqua data, ut *in L.* 41. *ff. de pactis*, *et in L.* 6. §. *si quis* et §. *qui jussu ff. de his qui notan. infam.* Non igitur *in L.* 1. *ff. de transact.* illa est adhi-

benda, quae vulgo adhibetur, verborum interpunctio, *qui paciscitur, donationis causa rem certam etc.*, sed legendum est, ut Graeci, et eorum exemplo Dionysius Gothofredus legunt: *qui paciscitur donationis causa rem certam etc.*, quemadmodum *in L.* 28. §. *si filias ff. de pactis* scriptum est; *si donandi causa pactus sit.*

(3) Ulpianus *in L.* 1. *ff. de transact.* pacti, et transactionis discrimen eleganter expressit his verbis » Qui transigit quasi de re dubia, et » lite incerta, neque finita transigit: qui vero paciscitur donationis cau» sa, rem certam, et indubitatam liberalitate remittit. »

(4) L. 3. *et* 5. *ff. de condict. caus. data.*

(5) L. *Quamvis Cod. de transact.*

§. II. Omnis res dubia, et litigiosa apta, et idonea materia transactionis est. Sed Jus Canonicum transactionem fieri vetat de rebus spiritualibus, aut quae spiritualibus sunt annexa, uti sunt ecclesiastica beneficia, juspatronatus, jus decimarum, spiritualis subjectio, in quibus probatur quidem amicabilis, et gratuita compositio (1), sed pretium, aut aliquod pretio aestimandum dare nefas est (2). Sponsalia de futuro transactionem non respuunt, quippe quae mutuo consensu dissolvi possunt (3); sed de matrimonii sacramento omnis plane transactio, aut pactio irrita est (4). Jure autem civili vetita est transactio super alimentis futuris sine judicis auctoritate, non item super praeteritis (5), super crimine non capitali, ac super adulterio (6), quamquam super capitali crimine, (7) atque etiam, ut multi putant (8), falsi transactio permittatur; super relictis testamento, vel codicillo, nisi eorum verba sint cognita (9); denique super viventis hereditate (10).

(1) Cap. 7. *de transaction.*

(2) Cap. 2. 3. 9. 10. *eod. tit.*

(3) Cap. 2. *de sponsal.*

(4) Cap. *ult. de transaction.*

(5) L. 6. *ff. de transaction.*, *L.* 8. *Cod eod. tit.*

(6) L. 18. *Cod. eod. tit.*

(7) L. 18. *cit. et L.* 1. *ff. de bon. eor. qui ante sent.*

(8) Sic vulgus Interpetrum; sed alia est sententia Donelli *in cit. L.* 18. *tom.* 7. *opp. pag.* 331.

(9) L. 6. *ff. de transaction.*

(10) L. 4. *Cod. de postlimin. revers.*

§. III. Res clara, et manifesta non cadit in transactionem, neque ea rite, ac recte perficitur, nisi aliquid detur, aut pro-

mittatur (1). Post editam tantum sententiam adhuc litis incertus est exitus, cum reliqua sit appellatio, novumque judicium, et ideo transactio probatur; sed eadem rejicitur post ortam remjudicatam, cum procul est omnis litis redintegrandae metus (2). Verum ut transactio super rejudicata Romano Jure firmabatur, cum per Aquilianam stipulationem (3), et acceptilationem jus ex rejudicata quaesitum ipso jure perimebatur (4), et gratuitum probabatur super rejudicata pactum, tamquam liberatorium, et donationis causâ conceptum (5), ita moribus receptum est, valere transactiones, quae super negocio ex rejudicata certo absolutae sunt (6).

(1) L. 1. *ff. de transaction.*, L. 23. *ff. de condict. indeb.*, *L.* 38. *Cod. de transact.*

(2) L. 32. *Cod. eod. tit.* Verum ad transactionem recte ineundam, satis esse litis metum, scriptum est *in L.* 2. *Cod. eod. tit.*

(3) Aquilianam stipulationem describunt Florentinus *in L.* 18. *ff. de acceptilat.*, et Justinianus §. 3. *Instit. quib. mod. toll. obligat.* Hujus stipulationis Auctor C. Aquilius Gallus J. C. peritissimus in formulis concipiendis fuit, uti constat ex ea de dolo malo, quam Cicero *de natur. Deor. lib.* 3. *num.* 30. *opp. tom.* 2. *pag.* 643. *edit. Oliveti Genevae* 1743. *everriculum malitiarum omnium* appellat.

(4) L. 32. *Cod. de transaction.*

(5) L. 7. §. *si paciscar ff. de pact.* Paulus *Receptar. senten. lib.* 1. *tit.* 1. §. 5., ibique Schultingius *in not. num.* 13. *pag.* 220. *tom.* 1. *Jurisprud. vet. Ante-Justinian. edit. Lipsiae* 1737.

(6) Videndus Groenewegen. *ad L.* 7. §. 1. *ff. de transact. num.* 2.

§. IV. Omnes, quibus pactionis faciendae, reique alienandae potestas est, conficere transactionem possunt; quoniam transactio alienatio est (1). Ex quo efficitur, ut transactionem inire prohibeantur infantes, amentes, ceteri similes, pupilli, minores sine auctoritate tutorum, aut curatorum, tutoresque ipsi, et curatores, de rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis, syndici, administratores Civitatis, heres gravatus de re fideicommissaria, pater de bonis adventitiis filii emancipati, procuratores sine speciali, mandato, et quidam alii, de quibus late agunt, qui Jus Civile interpretantur. Haec in Jure utroque recepta jurisprudentia est, quam Jus Canonicum iisdem de causis produxit ad Praelatos, cunctosque clericos, qui beneficiis fruuntur, resque Ecclesiae administrant. Nam hi ut nihil eorum alienare possunt sine justa causa, et solemnitatibus, ita eadem

causa, iisdemque solemnitatibus opus habent, ut rite, et recte transactionem perficiant (2).

(1) L. 1. §. 6. *ff. si quid in fraud. patr.*
(2) Cap. 2. et 3. *de transaction.*

§. V. Magna vis est, et auctoritas transactionis, quoniam per eam litigantium jura extinguuntur, et omnis controversia expeditur (1). Itaque litis finitae exceptionem parit (2), atque inita bona fide, et cum veris probationibus, ne si nova quidem deinceps prodeant monumenta, e medio tolli potest, nisi primum in integrum restitutio impetrata fuerit (3). Jure civili tum nudo pacto, tum subjecta pacto convento Aquiliana stipulatione transactio perficitur (4). Cum pacto absoluta est, actio exceptione submovetur (5); cum Aquiliana stipulatio est adhibita, actio ipso jure tollitur (6). Sed Canones non laborant de ista nimis attenuata diligentia Juris Civilis, et Aquiliana etiam stipulatione neglecta, obligationes quoquo modo contractas transactione omnino perimi, ac deleri volunt (7).

(1) Cap. 1. *de transact.*
(2) Cap. 1. *de lit. contestat. in 6.*
(3) L. 10. 19. 42. *Cod. de transaction.*
(4) L. 2. et 15. *ff. de transaction.*
(5) L. 15. *Cod. eod. tit.*
(6) L. 3. et 4. *Cod. eod. tit.*
(7) Cap. 1. *de transaction.*, ibique Gonzalez *num.* 15.

§. VI. Interdum tamen justae occurrunt causae, propter quas transactio infirmetur. Hae sunt causa doli, vel metus injusti, cum quo transactio extorta fuit, quoniam omnis pactio actione, vel exceptione doli, aut metus submoveri potest (1); causa falsi instrumenti, quod etiam bona fide prolatum fuit, quoniam consensus defuit ad rem dubiam transactione componendam, cum rem dubiam facere nequeant, quod falsum est (2); causa erroris, qui intimam rei naturam, sive *substantiam* attingat (3): causa gravis laesionis, quae illata est pupillo, vel alteri, qui beneficium habet in integrum restitutionis (4). Quin imo universim omnes, ut multi putant, et mihi quidem similius videtur (5), qui ex transactione ultra dimidiam partem justi pretii damnum acceperunt, jure a-

gunt, ut eadem revocetur; quamquam grave hoc damnum difficillimum probatu sit, quoniam cum in incerto litis exitu sit positum, certum de eo judicium ferri vix, ac ne vix quidem potest.

(1) L. 3. 19. 42. *Cod. de transaction.*
(2) L. 42. *Cod. eod. tit.*
(3) L. 15. *ff. de jurisdict.* Sic error calculi transactionem vitiat, nisi ea quoque de re nominatim transactum fuerit. Confer Cujacium *in lib. 2. Cod. tit. 5. opp. tom. 10. col.* 832.
(4) Videndus titulus Codicis *si advers. transact.*
(5) Consule, si placet, librum meum *de notissimis in jure legibus. pag.* 207. *edit. Romae* 1765.

DE POSTULANDO

TITULUS XXXVII.

I. Quid sit postulare?
II. Qui postulare nequeant vel edicto Praetoris, vel sententia judicis?
III. Qui prohibeantur Jure Canonico?
IV. Advocati officium.

Decretum *Can.* 2. *c.* 3. *q.* 7. *Can.* 7. *et* 8. *de poeniten. dist.* 1. Pandectae *lib. III. Tit.* 3. Codex *Lib. II. tit.* 6. 7. 8. 9. 10. 11.

§. I.

Pacta et transactiones recte, et ordine sequitur titulus *de postulando*, quod et in Codice praestat Justinianus. (1). Nam si ii, quos inter aliqua controversia est, rem pacto convento non expediant, quid aliud superest, nisi ut ipsi rem eamdem ad judicem deferant, eique patefaciant desiderium suum vel per se, vel per advocatum, cujus est postulare? Itaque hoc titulo postulatio est in jure petitio; et postulare dicitur, qui causam agit, atque in judicio defendit (2). Hoc idem praestant etiam Procuratores, qui judiciales vocantur; sed horum officium privatum dicitur, atque ad ea pertinet, quae facti sunt, et ideo necesse non est, eosdem esse peritos juris, praeterea mandati actione tenentur, si male suo fungantur munere; contra Advocatorum nobile, ac publicum officium est, debent esse periti juris, quoniam in hoc eorum doctrina, atque industria consistit, ac de praevaricatione tenentur, si dolo malo aliquid agant contra eum, quem defendendum susceperunt (3).

(1) » Rem ubi pacunt oratione, ratum esto; ni pacunt, ante meri» diem in foro, vel comitio causam conjicito » ait vetus Lex XII. Tabularum: ex quo constat, quam apte hic titulus de postulando cohaereat cum superioribus de pactis, et transactionibus, ut in Pandectis, et in Codice.

(2) Consule Cujacium *in Cod. lib.* 4. *tit.* 6. *opp. tom.* 10. *col.* 833.

(3) L. 1. *Cod. de advocat. divers. judic.*

§. II. Edictum de postulando in Pandectis prohibitorium est, neque ab hac Juris civilis disciplina Jus Canonicum discedit; quo fit, ut omnes, qui non prohibentur, Advocati munere fungi possint. Prohibentur autem edicto Praetoris minores annis septemdecim (1), et surdi, qui pro nemine postulare possunt (2), feminae, coeci, ac turpitudine notati, qui pro aliis postulare nequeunt (3), infames, publicique criminis convicti, quibus tantum pro certis personis, hoc est pro parentibus, patrono, cognatis facultas postulandi conceditur (4). Eodem loco sunt servi, qui nullam habent Civilis Juris communionem (5), haeretici, et infideles (6), Juris imperiti (7), Judex, et Arbiter in eadem causa, quam judicant (8), Fiscus, vel Respublica, vel potentiores contra privatum (9). Per sententiam Judicis a postulando repelli possunt, qui quotam litis pacti sunt, vel a Judice jussi Advocati munus gerere noluerunt (10), vel qui in perniciem clientis cum adversario fraudem admiserunt (11).

(1) L. 1 §. 10. *de postul.* Qua quidem lege tres veluti ordines eorum, qui a postulando repelluntur, a Praetore constitutos Ulpianus ostendit. Quidam enim universe tum pro se, tum pro aliis postulare prohibentur; quidam pro se postulare possunt, pro aliis vero non possunt; quidam denique pro certis tantum personis, ac pro semetipsis possunt postulare. Hujus autem legis bona pars a Gratiano descripta est in Decreto *can.* 2 *caus.* 3. *q.* 7. Eamdem Ulpiani legem, praeter ceteros, accurate explicat Donellus *de jur. civil. lib.* 18. *cap.* 3. *num.* 6. *seqq. opp. tom.* 5. *col.* 43. *seqq.*

(2) Cit. *L.* 1. §. *initium.*

(3) Ibidem §. 3. *et seqq.*

(4) Ibidem §. 8. *ad finem.*

(5) L. 32. *ff. de regul. jur.*

(6) L. 15. *Cod. de Episcopal. audient.*, *L. ult. Cod. de postulan.*

(7) L. 2. *Cod. eod. tit.*

(8) L. 6. *Cod. eod. tit.*

(9) Titulus *Cod. ne liceat potentior.*, et Titulus *ne Fiscus vel republic.*

(10) L. 5. *et* 7. *Cod. de postulan.*

(11) Argument. *L.* 1. *et* 5. *ff. de praevaricat.*

§. III. Jus Canonicum a postulando repellit excommunicatos (1), Monachos sine consensu Praelati, nisi secus facere cogat utilitas monasterii (2), exceptis Mendicantibus, quibus nulla monasterii utilitas postulare permittit (3). Cuncti clerici saeculares in causa sanguinis ob periculum irregu-

laritatis postulare prohibentur (4), quamquam reum criminis defendere possint; item contra suam Ecclesiam, aut Episcopum postulare nequeunt (5); nisi aut propria, aut miserabilium personarum jura tueantur. Sacerdotes postulare possunt pro semetipsis, vel Ecclesia sua, vel id flagitante necessitate pro personis conjunctis, aut miserabilibus (6); Diaconis, et Subdiaconis idem praeterea licitum est in omnibus causis civilibus coram judice ecclesiastico, clericis minorum ordinum, qui Ecclesiae stipendiis non sustentantur, etiam coram Judice saeculari, modo neque mortis, neque mutilationis causa in judicio versetur (7).

(1) Cap. 8. *de sentent. excommun. in 6.*

(2) Cap. 2. *de postulan.*, *Can.* 35. *caus.* 16. *q.* 1.

(3) Clement. 1. *de verbor. signific.*

(4) Cap. 9. *ne cleric. vel monach.*

(5) Cap. *ult. de postulan.*

(6) Cap. *ult. cit.* Interdum justis de causis etiam Sacerdotibus, Diaconisve, et Subdiaconis facultas postulandi conceditur in causis civilibus coram Judice saeculari, qua de re videndus Benedictus XIV. *de synod. dioeces. lib.* 13. *cap.* 10. *num.* 12. *tom.* 2. *pag.* 282.

(7) Cap. 1. *et ult. de postulan.* Hanc autem disciplinam ex vetustissimo Jure Canonico sumptam esse ostendunt canones a Photio collecti *in Nomocan. tit.* 8. *cap.* 13. apud Justellum *Biblioth. Jur. Canon. tom.* 2. *pag.* 942. *seqq. edit. Paris* 1661. Ex quibus Balsamon *in. not.* observat, Clericum quemdam auctoritate canonum a Luca Patriarcha Constantinopolitano prohibitum postulare, dixisse » coram imperatorio tribunali, canones illos, atque » leges in hodiernis Advocatis non habere locum; sed in illius temporis » advocatis, qui in civilibus judiciis stationes habebant, imperiales frumen- » tarias tesseras accipiebant, sub primiceriis erant, atque a mundanis ma- » gistratibus confirmabantur .... at quoniam qui hodie advocati sunt, tam- » quam liberalem aliquam artem, advocationem exercent, neque sacri or- » dinis homines patrocinari impediri » Certe advocatos ex aero publico accepisse salaria, quae et solatia dicebantur, constat *ex L.* 4. 5. *Cod. de advocat. divers. judic.* Sed Sacri Canones clericos a postulando repellunt, ne saecularia tractent negotia; et ideo minus recte Diaconus, quem Balsamon memorat, suam illam interpretationem proponebat. Subdiaconis, Diaconis, et Presbyteris postulandi munus interdicitur *in cit. cap.* 1., quoniam hi, ut animadvertit Glossa, cum certo titulo, sacraeque militiae stipendiis ordinantur. Iis vero, qui in minoribus ordinibus constituti sunt, hoc munus permittitur, ut cum nihil ab Ecclesia percipiant, ex laudabili, et honesto officio sibi vitae necessaria possint comparare.

§. IV. Advocati officium in primis est videre diligenter, ne falsam, aut injustam, sed saltem probabilem causam defendendam suscipiat; ac si sciens prudens injustam, falsamve defendit, et graviter peccat, et debet sarcire damnum, quod ex

ejus culpa ortum est (1). Susceptam autem causam omni fide, constantia, diligentia tueri debet, inutiles dilationes praecidere, veritatem querere sine fallaciis, curare denique, ut judicii initium, cursus, exitus ad justitiae normam dirigatur. Non licet autem Advocato pactum inire de quota litis; aut de uberiori mercede accipienda, si adversarius litem perdat (2), aut cum cliente contrahere (3), aut non justo pretio lites alienas emere (4).

(1) S. Thomas 2. 2. *quaest.* 71. *art.* 3. *opp. tom.* 22. *pag.* 376. » Unde si scienter, *inquit*, injustam causam defendit (*Advocatus*) absque » dubio graviter peccat, et ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra » justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter inju- » stam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundum modum, « quo ignorantia excusari potest. »

(2) L. 5. *Cod. de postulan.*

(3) L. 6. *Cod. eod. tit.*

(4) L. 22. *Cod. mandat.*, Quae lex ad omnes pertinet universe, qui lites alienas redimunt, de quibus statuit Imperator » ut si quis datis pecu- » niis hujusmodi subierit cessionem, usque ad ipsam tantummodo solutarum » pecuniarum quantitatem, et usurarum ejus (*qui cessionem fecit*) actiones » exercere permittatur. »



DE PROCURATORIBUS

TIULUS XXXVIII.

Lib. 1. *Tit.* 19. in 6. Clementin. *Lib.* 2. *Tit.* 10. Decretum *Dist.* 89. *caus.* 5. *quaest.* 3. *can.* 1. *caus.* 3. *q.* 7. *can.* 3. *c.* 9. *q.* 3. Institutiones, Pandectae, et Codex *tit. de Procuratoribus*, *et tit. Mandati.*

§. I.

Aliorum quoque causas in judicio defendunt Procuratores; sed horum multiplex ratio, et officium est. Nam qui in judicio aliena gerunt negocia, judiciales Procuratores sunt (1), ceteri, qui idem munus extra judicium praestant, extrajudiciales appellantur. Antiquitus litis agendae causa procuratorem constituere non licebat (2); quoniam omnes actiones legis actiones erant, quae certis, ac solemnibus formulis constabant (3), et ideo suo quemque nomine, et praesentem actionem proponere oportebat (4); Sed postea permissum unicuique est procuratorem in judicio constituere (5): quamquam alicubi diu permanserint vetustissimi Juris reliquiae, ita ut eodem Procuratore uteretur nemo, nisi ejus rei facultas a Principe impetraretur. Cum enim non alius eligi posset, quam qui esset e numero eorum, quibus hoc munus a Principe commissum fuerat, ejus venia opus erat, ut qui ei, reique publicae addictus erat, suam operam conferret in causas, ac ne-

gocia privatorum. Hoc quidem Jus diu in Galliis obtinuisse constat (6). Sed jamdiu receptum est, ut quisquis sibi procuratorem constituat suo arbitratu; modo ipse prohibitus non sit stare in tribunali, in quo judicium exercetur.

(1) In *L. 6. Cod. Theodos. de Cognit. et Procurat.* judicialis Procurator *alieni jurgii suffragator* dicitur, et *in L. 7. eod. tit. cognitor et litis minister.* Propria cognitor est, cui sine mandato praesens causam suam coram judice committit, procurator, qui domini mandato ejus causam defendendam suscipit; atque ita uterque distinguitur tum a Paulo I. C. *receptar. sentent. lib. 2. tit. 2., et lib. 5. tit. 25. §. 8.* apud Scultingium *Jurisprud. vet. ante Justinian. tom. 1. pag. 221. et 518. edit. Lipsiae* 1737., tum in Codice Theodosiano *tit. cit.* Cognitorem autem semel a praesente litigatore datum, postea et absentis causam persequi potuisse, ostendit Heineccius in Brissonium *de verb. signific. verb. cognitor.* In Pandectis, et Codice tantum de Procuratoribus titulus est conceptus, quoniam Justiniani aetate cognitores non fuerunt; et hinc *ex L. 28. §. 2. ff. de poenis* sublatum fuisse a Triboniano Cognitoris nomen, quod extat apud Paulum *cit. lib. 5. tit. 25. §. 7.*, unde et lex sumpta est, observat Gothofredus *comment. in Cod. Theodos. L. 7. lib. 2. tit. 12. tom. 1. pag. 173. edit. Lipsiae* 1736. In *cap. 9. de procurat.* cum vicariis procuratores confunduntur, quoniam in alieno negocio Domini vices agunt, quod merito dictum est exemplo Ciceronis, qui *Orat. pro A. Cecina n. 20. opp. tom. 4. p. 629. edit. Genevae* 2744. procuratorem eleganter appellat *alieni juris vicarium.*

(2) Confer Institutiones *lib. 4. tit. 10. §. 1.*

(3) *L. 2. ff. de origin. jur.*

(4) *L. 223. ff de regul. jur.*

(5) *L. ult. Cod. de procurat.*, § *nunc admonendi Instit. de iis, per quos ager. possum.*

(6) Hoc quidem jus in Galliis obtinebat aetate Marculfi, qui VII., aut VIII. saeculo floruit, uti patet ex ejus *formul. lib. 1. cap. 21.* apud Baluzium *Capitular. Reg. Francor. tom. 2. col. 264. edit. Venet* 1772., quem in locum videndae sunt Bignonii *notae col.* 613. Simile est, quod habent Capitularia Caroli M., et Ludovici Pii ab Ansegiso Abbate, et Benedicto Levita collecta *lib. 7. cap. 392. ibid. tom. 1. col. 742.*, quae his sunt concepta verbis » Pro Ecclesiarum causis, ac necessitatibus earum, atque ser- » vorum Dei Excusatores, vel Advocati, seu Defensores, quoties necessi- » tas ingruerit, a Principe postulentur, et ab eo fideliter, atque libenter ju- » xta canonicas sanctiones fidelissimi dentur » Quod aliqui sumptum putant ex Concilio Africano V. saeculi *tom. 3. Concil. cap. 64 col.* 520., ubi statuitur, quod a Principe postulentur Defensores ex ordine *scholasticorum* » » qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum, ut more sacerdotum » provinciae iidem ipsi, qui defensionem Ecclesiarom susceperint, habeant » facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad » obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicum secretaria » Sed haec, quae diu in Galliis obtinuit, disciplina, mihi potius videtur repetenda ex antiquissimo jure, quod neminem judicio agere sineba per procuratorem, quam ex hoc Africano Concilio, quod nullam generalem legem constituit, tantum statuit, ut pro ea vice Legati mitterentur ad Imperatorem, qui Ecclesiis defensorem daret unum ex numero Scholasticorum

apud se gratiosum, eaque peritia, et industria praeditum, quam negocii natura, et tunc praesens rerum ratio postulabat. Sed haec quasi praetereuntes animadvertimus. Illud mirum videri non debet, quod in Capitularibus sancitum est, etiam Ecclesias judicialem defensorem a Principe postulare debuisse. Cum enim eo munere ii tantum fungi possent, qui a Principe fuerant constituti, eique serviebant, ejus venia opus erat, ut iidem alienas causas in judicio defendendas susciperent. In *Cap. 7. de Procurat.* constitutio describitur Innocentii III., qui Parisiensi Universitati judicialem sibi constituendi procuratorem facultatem attribuit. Inquit autem Pontifex » Licet » de jure communi hoc facere valeatis, instituendi tamen procuratorem » vobis concedimus facultatem » De hujus Decretalis interpretatione non eadem omnium sententia est. Ego sic explicandam arbitror. Jure communi ea aetate ubique recepto omnibus licuisse sine Principis venia sibi in judicio Procuratorem constituere; modo is esset ex numero eorum, quibus id muneris publica auctoritate commissum fuerat, sed jus idem nondum obtinuisse in Galliis, ubi adhuc Principis venia desiderabatur. Quare Innocentius inquit, id quidem Parisiensem Universitatem sine eadem venia *ex jure communi* facere potuisse, sed tamen ab se tribui petitam facultatem, quoniam idem ex jure in Galliis recepto facere non poterat. Ipsa autem Universitas hanc veniam a Pontifice, non a Rege postulat, quoniam, uti observant Janus a Costa *in Decretal. lib.* 3. *tit.* 38., et Emmanuel Gonzalez *eod. loc.* illi erat obnoxia, totaque ab illius auctoritate pendebat.

§. II. Procurator constituitur mandato, quod exaratum est servatis omnibus, quae ex Juris praescriptione servanda sunt (1), et cujus leges retinendae sunt diligenter, ut dominus obligetur iis, quae a procuratore gesta sunt. Nam quidquid extra mandati fines procurator agit, nullius momenti est. Itaque qui constitutus est, ut tantum in judicio alienam litem persequatur, is ad ea, quae extra judicium fiunt, suum producere officium nulla ratione potest; et qui datus est, ut certum negocium expediat, qui *specialis* Procurator dicitur, frustra gerit cetera, quae mandato non comprehenduntur. Sed qui negociis omnibus universe praepositus est, qui *generalis* procurator appellatur, is et judicialia, et extrajudicialia, quoquot sunt, negocia procurat; exceptis iis, quae speciale mandatum postulant, nisi aliud eorum expressum sit, ita ut reliqua similia generali clausula comprehensa habeantur (2). Datus autem cum libera administratione omnia fere potest, quae ipse Dominus, et ideo quamquam donare nequeat (3), tamen et juramentum deferre, et transigere, vel pacisci, et res domini alienare potest, cum id ei vel utile, vel necessarium est (4). Sine hac libera administrationis potestate generalis procurator recte distrahit tantum fructus, et cetera, quae diu in-

tegra servari non possunt (5); Licet etiam procuratori, cui haec a domino concessa facultas est, alium sibi substituere; sed non eum deinceps removere ab officio potest, nisi et hanc facultatem obtinuerit (6),

(1) S. Gregorius M. *lib.* 13. *cap.* 11. *opp. tom.* 2. *col.* 1225., unde sumptum est *Cap.* 1 *de procurat.* quam decretalem explicans Janus a Costa Raymundum reprehendit, quasi ipse contra Gregorii mentem Diaconorum, et Presbyterorum subscriptiones adhiberi voluerit non testimonii, sed consensus, et auctoritatis causa. Verum nullus est justae reprehensionis locus. Nam vere Gregorius ea de causa subscriptiones exigit Presbyterorum, et Diaconorum » quandoquidem de ecclesiasticis rebus agitur, mandatum oportuit » Presbyterorum, et Diaconorum subscriptionibus roborari » inquiunt Maurini Editores *opp. S. Gregorii not. c.* Raymundus tantum addidit subscriptiones testium, ut mandati veritas magis explorata haberetur. Itaque summa rei est, quod mandatum subscriptum esse debet non solum ab iis, quorum interest, sed etiam a testibus, vel notario, ut de ejus fide dubitari non possit; atque hoc est mandatum, quod *legaliter factum* Gregorius appellat.

(2) Cap. 4. *et.* 5. *de procurat. in.* 6.

(3) Nam donare potius est perdere, quam administrare *L.* 28. §. *ult. ff. de procurat.*, *L.* 7. §. 3. *ff. de donation.*

(4) L. 60. §. *Lucius ff. mandat.*, *L.* 58. *ff. de procurat.*, *L.* 9. §. 4. *ff. de acquiren. domin.*, §. 43. *Instit. de rer. divis.*, *Cap.* 4. *cit. de procurat.*

(5) L. 63. *ff. de procurat.* Confer Joannem Voetum *in Pandect. lib.* 3. *tit.* 3. §. 7.

(6) Cap. 3. *de procurat. in* 6.

§. III. Non unus tantum, sed et plures, iique vel conjunctim, vel in solidum procuratores constituuntur. Ubi conjunctim, et eodem tempore plures dati sunt, omnes simul commissum sibi negocium expedire debent, exceptis causis electionum, postulationum, provisionum, similiumque rerum ecclesiasticarum, in quibus unus ex pluribus admittitur, ut cuncta haec exitum habeant celeriorem (1); at cum primum unus, deinceps alter electus est procurator, recentiori mandato antiquis revocatum habetur (2). Quod si plures in solidum electi sunt procuratores, quilibet eorum commissum sibi gerere negocium potest, sed qui in eo ceteros diligentia praevertit, cunctis anteferendus est (3).

(1) Cap. 6. *de procurat. in* 6.

(2) Cap. 14. *de procurat.*

(3) Cap. 6. mox laudatum.

§. IV. Omnes, qui liberam habent rerum suarum administrationem, quique agere per se ipsos in judicio possunt, procuratorem recte constituunt; non tantum singulares personae, sed etiam universitates, uti ex. gr. sunt Academiae, ceteraeque societates hominum, quibus communia jura, et negocia sunt (1). Repelluntur ab hoc officio, praeter eos, quibus mens, et ratio integra non est, excommunicati (2), qui etiam in jus vocati per alium respondere debent (3), minores annis vigintiquinque (4), infames (5), mulieres propter pudorem sexus, et quia procuratio virile officium est (6), milites, ne propter privata negocia a militia avocentur (7), fiscus, respublica, ceteri potientiores, qui adversarium opprimere possunt (8), reus criminis constitutus, nisi se primum purgaverit (9), reipublicae causa abfuturus (10), monachus, nisi qua agatur monasterii causa, idque monasterii Praefectus probet (11), Episcopus, et Sacerdotes (12), postremo omnes clerici apud saeculares judices, nisi pro Ecclesiae suae, aut propria causa, vel necesitate coacti pro conjunctis, et miserabilibus personis procuratoris officium gerant (13). Ceteri, quibus nulla lex obstat eo munere recte funguntur; et ideo laici quoque in ecclesiasticis negociis procuratores constitui possunt (14); et absentes, modo ratum habeant mandatum, imo si et illud deinceps acceperint, cum antea recusassent, modo Dominus in eadem adhuc voluntate perseveret (15).

(1) Cap. 1. *de procurat.*

(2) Cap. 13. §. *credentes de haeret.*, *Cap. 7. de probat.*, *Cap.* 1. *de except. in* 6.

(3) Cap 7. *de judic.*

(4) Cap. 5. *et ult. de procurat. in* 6. Quaestio autem est, num idem quod Canonicum Jus constituit, etiam Jure civili receptum sit. Negant Cujacius *observat. lib.* 22. *cap.* 16. *opp. tom.* 3. *col.* 600, atque alii, affirmant autem Schmalzgrueber *Jus Canon. univers. lib.* 1. *tit.* 38. *num.* 13. Maschatus *Instit. canon. lib.* 1. *tit.* 38. *num.* 7., aliique complures.

(5) Eadem, quam de minoribus esse diximus, etiam de infamibus disputatio est. Eos enim sine dubio Jus Canonicum a Procuratoris officio repellit, uti patet *ex can.* 1. *et* 2. *c.* 3. *q.* 7., sed tamen secundum Jus civile Justiniani infamia, nisi manifesta sit, procuratori non obstat §. *ult. Inst. de exception.* Ut ut ea se res habeat, certe Juris Canonici disciplina fere ubique recepta est, uti tradunt Gaillius *lib.* 1. *observ.* 43. *num.* 7. *et* 8., et Gudelinus *de jur. noviss. lib.* 4. *Cap.* 4. *num. ult.*

(6) L. 54. *ff. de procurat. L.* 1. 8. *et* 21. *Cod. eod. tit.* §. *ult. Inst. de exception.* Quomodo autem etiam feminis ex honesta causa in rem suam pro parentibus, pro conjuge, pro liberis hoc munus permittatur, explicat

Donellus *de Jur. Civil. lib.* 18. *cap.* 11. *opp. tom.* 5. *num.* 5. *seqq. col.* 194. *seqq. edit. Lucae* 1762. Etiam Abbatissa in causa sui monasterii procuratrix esse potest *Cap.* 4. §. *quia vero de confirmat. util. vel inutil.*

(7) L. 7. *Cod. de procurat. L.* 8. §. *veterani ff. eod. tit.* Sed milites, qui procul a castris in urbe, atque in otio vitam traducunt, procuratoris munus exercere posse, animadvertit Hilligerus *ad Donellum loc. cit. not.* 3. *col.* 193. Quae causa est, propter quam expresse non repelluntur Veterani *in cit. L.* 8. §. *veterani.*

(8) L. 1. *et tot. tit. Cod. ne lic. potent. patrocin. litig. praest. L.* 3. *et tot. tit. Cod.* ne *Fisc. vel Respubl.* Confer Cujacium *in Cod. lib.* 2. *tit.* 13. *opp. tom.* 2. *col.* 95. *seqq.*, *et observat. lib* 8. *Cap.* 31. *tom.* 3, *col.* 195. *et seq.*

(9) L. 6. *Cod. de procurat.*

(10) L. 8. §. *procuratorem et L.* 34. *ff. eod. tit.*

(11) Can. 35. *c.* 15 *q.* 1.

(12) Can. 3. *c.* 5. *q.* 3., *Cap.* 3. *et* 4. *ne cleric. vel monach.*

(13) Cap. 1. *et ult. de postuland.*, *Cap.* 2. *et* 4. *ne cleric. vel monach.* Atque haec quidem vetus est Ecclesiae disciplina etiam Justiniano probata *Novel.* 123. *cap.* 6.

(14) Cap. 1. *de procurat. in* 6.

(15) Cap. 7. *de procurat. in* 6.

§. V. Generatim in cunctis negociis, quae non sunt excepta, procuratores dari possunt. Itaque dantur in causis pecuniariis, liberalibus, temporalibus, spiritualibus (1), matrimonialibus, in litibus etiam futuris, in prima, et in secunda instantia, in causis, in quibus reus infamiae obnoxius accusatur, in causis quoque criminalibus, in quibus agitur civiliter, ut quis pecuniaria poena, aut alia simili multetur (2). Cum vero criminaliter judicium exercetur, si reus criminis minor est, aut de poena agitur relegationis, vel ea leviori, locus procuratori est, contra ei regulariter non est locus, cum poena capitalis, aut relegatione gravior imponenda est (3). Verum in his etiam capitalibus judiciis, cum reus ipse in jus venire non potest, defensor admittitur, tum ut absentiae causas proferat, tum ut dilatorias, quibus reus uti potest, exceptiones opponat, tum etiam, quod multi sentiunt, ut absentis rei integritatem, atque innocentiam ostendat (4). Jus Civile mandatum probat solo consensu datum (5), sed Jus Canonicum scriptum requirit (6); quae juris disciplina ubique obtinet, nullus nunc procurator etiam in foro civili sine scripto mandato admittatur, quamquam de rato cautionem offerat (7).

(1) Cap. 2. *de in integr. restit.*

(2) Cap. 5. *de procurat.*, *Cap.* 16. *de accusation.*

(3) L. 1. *ff. an per alium caus. appell. L.* 13. *ff. de public. judic. Cap.* 15 *de accusat.*

(4) Latea de re agunt Voetus *ad Pandectas lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 14. *tom.* 1 *pag.* 164. *et seq. edit. Coloniae Allobrog.* 1757.; et Donellus *de Jur. Civil. lib.* 18. *cap.* 10. §. 8. *et seqq.*, ibique Hilligerus *not.* 5. *opp. tom.* 5. *col.* 176. *seqq.*

(5) Institut. *lib.* 3. *tit.* 23. Paulus *receptar. sentent. lib.* 1. *tit.* 3. apud Schultigium *Jurispr. vet. ante-justinian. tom.* 1. *pag.* 223.

(6) Cap. 1. *de procurat.*

(7) Consule Voetum *loc. cit. num.* 10.

§. VI. Exspirat procuratoris officium et mutuo consensu (1), et alterutrius obitu, vel voluntate. Procuratoris obitu mandatum extinguitur, quoniam hoc minime ad heredes transit (2); morte autem mandantis, cum adhuc integra res est ante litem contestatam (3). Sed re integra moriente Praelato ecclesiastico, aut beneficiario vim omnem amittit mandatum ab eo datum, quod ejus successor ratum habere non cogitur (4); Procuratoris voluntate mandatum extinguitur, cum ipse commissum sibi munus deserit, quod re integra etiam sine mandantis consensu praestare potest, re autem non integra post litem contestatam sine hoc consensu non potest, nisi qua nova, eaque justa eruperit causa, ex. gr. inimicitiarum, adversae valetudinis, gravium negociorum (5). Mandantis voluntate deletur mandatum, cum vel ipse per sese agit litem suam (6), vel illud expresse revocat, quod re integra sine causa fieri potest, cum justa autem causa, si jam negocium inchoatum est, aut contestata lis, cujus dominus procurator evasit. Verum sublati mandati certior est faciendus tum procurator, tum persona, cum qua negocium geritur, in judicio autem tum procurator, tum adversarius, aut judex; secus vim habet quidquid actum est (7). Sed procurator ad contrahendum matrimonium, ad beneficii renunciationem emittendam, ad obeundum patrini munus in sacramentis Baptismi, et Confirmationis pro spirituali cognatione, similesque actus expediendos, in quibus verus, semperque perseverans consensus requiritur, statim ac revocatum est mandatum, nihil amplius agere procurator potest, et si quid egerit, irritum est, etiamsi ipse mutatam mandantis voluntatem ignoraverit (8). Denique finitur officium Procuratoris absoluto negocio, ac lite per sententiam judicis definita.

(1) L. 24. *ff. de procurat.*

(2) L. 27. §. *morte ff. mandat.*
(3) L. 23. *Cod. de procurat.*, *L.* 16. *ff. eod. tit.*
(4) Cap. 1. *et ult. ne Sed. vacant.*, *Clement. ult. de procurat.*
(5) L. 8. 9. 10. 17. *ff. de procurat.*, *L.* 22. *Cod. eod. tit.*, *Cap.* 1. *eod. tit. in* 6.
(6) Cap. 2. *et* 8. *de procurat. in* 6.
(7) Cap. 3. *et* 4. *de procurat.*, *Cap.* 2. *eod. tit. in* 6., *L.* 16. *et* 17. *ff. eod. tit.*
(8) Clement. *unic. de renunciat.*, *cap. ult. de procurat. in* 6.

§. VII. Procuratoribus affines sunt defensores, actores, negotiorum gestores. Defensor est qui tantum in litibus sine ullo mandato absentis rei causam in judicio defendit, data cautione de judicato solvendo, vel rato habendo. Actor est, qui propter necessitatem, aut impedimentum cum judicis decreto constituitur a tutore, curatore, vel alio administratore et negotia domini periculo tutoris, vel administratoris gerit (1). Gestor negotiorum est, qui sine ullo mandato absentis, et ignorantis negocia administrat; quod ex Praetoris aequitate introductum est, ne illius negocia deserantur. Hinc oritur duplex actio Praetoria negociorum gestorum; directa, quam habet Dominus contra negotiorum gestorem, ut rationes reddat, restituat, quod ex ea accepit, aut damnum resarciat quod ejus dolo, vel culpa illatum est; contraria competens gestori contra dominum ad restituendas impensas, quas in gerendo negocio fecit (2). Sed nunc hujus disciplinae, quae ex Civili Jure procedit, vix ullus est usus; cum fere ubique recepta sit Canonica jurisprudentia, quae neminem sine mandato aliena negocia administrare permittit.

(1) §. *ult. Instit. de Curat.*, *L.* 24. *ff. de admin. tutor.*, *L.* 11. *Cod. de procurat.*
(2) L. 2. *ff. de. negot. gestis.*

DE SYNDICO

TITULUS XXXIX.

I. Quis syndicus sit? II. Qui syndicum eligant? III. Syndicus ab universitate omnino constituendus. IV. Syndici potestas. Quomodo ejus officium exspiret?

Decretum *Can.* 12. *c.* 16. *q.* 1. Pandectae *lib.* 3. *tit.* 4. et *lib.* 50. *Tit.* 4. *Leg.* 18. §. 13.

§. I.

Qui negocia gerunt collegii, sive universitatis, quae pluribus constat hominibus, proprio nomine Syndici appellantur (1); ideoque ut in Pandectis, ita in Gregoriana collecione, hic Titulus recte, atque ordine sequitur superiorem. Procuratorem constituunt Domini (2), qui vero Domini non sunt, rerumque alienarum administrationem retinent, ut tutores, et curatores, hi ex Juris subtilitate, cum dominio careant, procuratorem dare nequeunt, sed actores constituunt (3), qui non utuntur procuratoris nomine, sed eodem tamen funguntur officio. Simili modo universitates, corpora, collegia, quae ex pluribus efficiuntur, cum singuli rerum universitatis domini non sint, uti sunt rerum suarum, non procuratores, sed actores, vel syndicos constituunt, qui pro republica, vel universitate, non pro singulis interveniunt (4).

(1) Hermogenianus *in L.* 1. *ff. de muner. et honor.* » Defensio civitatis, » *inquit*, idest ut syndicus fiat, munus est personale » et Arcadius *in L. ult. ff. eod. tit.* » Defensores, *inquit*, quos Graeci συνδίκους appellant, et » qui ad certam causam agendam, vel defendendam eliguntur, laborem per» sonalis muneris aggrediuntur » Alio tamen sensu a Graecis dicti fuerunt Syndici, quorum non unum genus erat. Nam alii post reditum Populi Atheniensis e Piraeo, nimirum post annos triginta, quam sublatus fuerat dominatus Tyrannorum, creari caepti sunt, ut de bonis civium publicatis cognoscerent; alii vero ad leges suadendas a Populo eligebantur, uti ostendit Carolus Sigonius *de Republic. Atheniens. lib.* 4. *cap.* 3. *et* 6. *opp. tom.* 5. *pag.* 170. *et* 206. *edit. Mediolani* 1736.

(2) L. 1. ff. de procurat.
(3) L. neque Cod. de procurat.
(4) L. 2. ff. quod cujusque universit. nomine.

§. II. Syndici electio facienda est ab omnibus, qui e collegio, vel universitate sunt, et qui a majori eorum parte electus est, is rite et recte huic muneri praepositus habetur. Cum agitur de negociis, quae communia sunt Universitati, et Universitatis Praesidi, ex. gr. Capitulo, et Episcopo, ab hoc Syndici electio confirmanda est, contra vero ab eo non confirmatur, cum unius capituli negocia propria sunt. Omnes, qui procuratores, iidem et syndici esse possunt, nisi qui lege aliqua, vel consuetudine a tractandis causis, rebusque universitatis repellantur. Itaque non tantum extraneus, sed etiam aliquis ex ipsa universitate syndicus constituitur; quin etiam ipse collegii Praeses, cujus officium, et dignitas cum eo munere non pugnat. Monachos satius est extraneum habere syndicum, stipendio eidem assignato, ne litium strepitu a quiete, et solitudine abstrahantur (1); sed tamen cum venia Superioris in causis sui monasterii syndici esse possunt, quin interdum et debent ob peculiarem aliquam causam, puta si ob inopiam monasterii, vel extraneo stipendium solvi, vel alius idoneus, et fidelis syndicus inveniri non possit. Laicus etiam in causis spiritualibus syndicus, et procurator ad agendum, et defendendum esse potest (2); quoniam spirituale non est munus, quod alieno nomine in judicio geritur.

(1) Cap. unic. de syndic.
(2) Cap. 1. de procurat. in 6.

§. III. Integrum cuique est vel per semetipsum agere negocium suum, vel in eo procuratorem constituere; sed in syndicis, qui res universitatis tractant, secus est. Cum enim ea per se ipsam nec vocare, nec vocari in judicium possit, necessario debet aliquem constituere, qui eamdem repraesentet, ejusdemque jus in judicio persequatur. Itaque Procuratoris electio voluntaria est, Syndici necessaria. Neque unus tantum, sed et plures Syndici dari possunt, atque in iis obtinet eadem juris disciplina, quam ad procuratores pertinere demonstravimus. Illud tamen animadvertendum, in causis criminalibus, in quibus criminaliter agitur, procuratores regulariter dari non posse; at

syndici in his quoque constituuntur, cum tota universitas commode in judicium venire nequeat.

§. IV. Syndici potestas, nisi mandati lege coerceatur, aut latius explicetur, eadem fere est, quae Procuratoris, qui cum libera agendi potestate constitutus est. Quare eadem amplissima est, sed non producenda ad donandas, disperdendasque imprudenter res universitatis, quas Syndicus conservare debet, ac tueri diligenter. Iisdemque modis quibus procuratoris, etiam syndici officium exspirat, duobus tantum exceptis. Scilicet non finitur morte constituentis, quoniam universitas, a qua Syndicus electus est, semper eadem manere intelligitur (1); neque desinit finita instantia, quoniam qui generatim est praepositus causis universitatis, ad instar procuratoris ad lites universe constituti, etiam appellationes ejus nomine interpositas prosequi debet (2).

(1) L. 7. §. *in Decurionibus ff. quod cujusq. universit. etc.*
(2) Argumen. *cap.* 14. *de procurat.*



DE HIS QUAE VI. METUSVE CAUSA FIUNT

TITULUS XL.

Lib. 1. *tit.* 20. in 6. Decretum *c.* 15. *q.* 6. *c.* 20. *q.* 3. *c.* 23. *q.* 5. 6. Pandectae *lib.* 4. *tit.* 2. Codex *lib.* 2. *tit.* 20.

§. I.

Quae sponte, atque ordine, recteque fiunt sive a rerum suarum dominis per pacta, et transactiones, sive a procuratoribus, qui aliena gerunt negocia, tum in judicio, tum extra judicium, hactenus explicata sunt. Cuncta haec rata firma esse debent; nunc de iis agendum est, quae talia haberi nequeunt, propterea quod ea quis non sua voluntate, et arbitrio, sed vi, metuque coactus gessit. His hominibus praesto est aequitas Praetoris, qui non patitur aliquem detrimentum accipere ex iis, quae contra liberam voluntatem facere coactus est, eaque firma non habet (1). Similis est ordo Codicis Justinianei, in quo post titulum *de negociis gestis* subjicitur titulus *de his quae vi metusve causa gesta sunt*, ut explicatis iis, quae rata habenda sunt, statim ea, quae contra non sunt habenda rata, explicentur.

(1) L. 13. *Cod. de transact.*

§. II. Tota haec disciplina, per quam ea, quae vi metuque gesta sunt, infirmantur, quamque Jus Canonicum approbavit, ex Praetoris aequitate procedit (1). Ipso jure, hoc est mero jure civili, multa habent firmitatem, quae e medio tollenda, atque irrita declaranda sunt (2). Ita si quis aliquid vi coactus fecit, habuit is quidem voluntatem, non eam quidem integram; et absolutam, sed voluntatem tamen (3); et ideo secundum jus civile valere debet quod ab eo gestum est. Sed quoniam id factum est ab homine, a quo vis imperiosa voluntatem expressit, ei recte succurrit Praetor, dato remedio, per quod irritum declaretur, quod summo jure vim habere deberet (4). Quam actionem primus Octavius Praetor edicto proposuit (5); atque ita restituta est naturalis aequitas, cui durior, et asperior juris disciplina quasi tenebras quasdam offuderat. Quidquid igitur vi metuque actum est summo jure valet; sed ei, qui vim pertulit, praesto est actio, per quam illud irritum judicetur, quod in summa eo spectat, ut vi metuque gesta irrita non sint ipso jure, sed judicis auctoritate irrita efficiantur.

(1) Paulus *in L. si mulier 21. §. si metu ff. de eo quod metus causa* » Si metu, *inquit*, coactus adii hereditatem, puto me heredem effici: » quia quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui. Sed per » Praetorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur *L. 5. Cod. de inutil. stipulat.*

(2) Recte Panormitanus *in princip. hujus tit.* observat » quod regu» lariter (*hoc est secundum strictas meri juris civilis regulas*) per me» tum gesta tenent, sed veniunt rescindenda per illam actionem » quae ex Praetorio jure proficiscitur.

(3) L. 22. *ff. de rit. nuptiar. L. 84. ff. de acquiren. hered.* Eodemque spectat *can. 1. cau. 15. quaest. 1.*

(4) Paulus I. C. L. 1. *ff. de eo quod metus causa* » *Ait Praetor,* » *quod metus causa gestum erit, ratum non habebo* » Atque hoc ipsum est, quod sibi voluit Alexander III. *in cap. 2. de iis quae vi metusve causa fiunt*, cum ait, quod » quae metu, et vi fiunt, de jure debent in ir» ritum revocari » Nimirum ea non sunt irrita ipso jure, sed judicis officio revocanda sunt. Juris autem nomine Alexander intelligit jus praetorium, quod pars est juris civilis, ac generali juris nomine continetur; licet proprie, ac speciatim ab eo distinguatur. Et recte Gloss. *in cit. cap. 2.* rejicit sententiam illorum, qui putabant ipso jure non valere ea, quae per vim, et metum acta sunt, quoniam Praetor *in cit. L. 1.* sese ea rata habiturum negat. » Imo potius, *inquit Glossa*, contra innuitur ex verbis illis, quia » quod non est, ratum haberi non potest. »

(5) Vide Cujacium *ad tit. Digestor. de eo quod metus causa in princ. opp. tom. 1. col. 833. seqq. edit. Venet. 1758.*

§. III. Vis est necessitas quodammodo contraria voluntati, sive, ut Paulus loquitur (1), *majoris rei impetus, qui repelli non potest*; metus est instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio. Vis proprie a metu distinguitur, quoniam illa etiam nolentem cogit, hic vero ab invito exprimit voluntatem. Hinc recte Innocentius III. discrimen constituit inter eum, qui vi coactus, interque eum, qui metu perterritus cum excommunicato communicat, ut ille quidem, non item alter in excommunicationem incidat (2). Hic enim voluntatem habet, licet invitam, et repugnantem, quoniam lubens illud scelus velle non potest; ab illo vero omnis abest voluntas, quoniam cuncta facit coactus vi, cui non potest resistere.

(1) L. 1. *et* 5. *ff. de eo quod metus causa.*
(2) Cap. 5. *de iis quae vi metus caus.*

§. IV. Quae vi metuve acta sunt a judice infirmantur. Verum non omnis metus aperit huic actioni locum; sed tantum metus gravis, hoc est mortis, aut cruciatus corporis, aut servitutis, quae morti comparatur, exilii, diuturni carceris, violenti stupri, jacturae bonorum, similium, quae gravia mala sunt (1). Generatim arbitrio judicis statuendum est, qui gravis metus habeatur; ac magis ad vivum resecanda res est, cum agitur de feminis, senibus, pueris, qui facilius timore corripiuntur. Idemque metus debet esse injustus, atque ab homine illatus; nam nulla habetur ratio metus, quo quis afficitur a causa naturali, puta a morbo, naufragii periculo, similibus; eodemque loco est metus justus, cui quis culpa sua causam dedit (2). Ita qui matrimonium contraxit cum puella, cui stuprum intulit, ne apud judicem accusetur, frustra proponit metum, qui propter ejus flagitium merito illatus fuit. Est et metus reverentialis, qui cadit in filium erga patrem, atque in uxorem erga virum (3); sed hic metus satis non est, ut fiant irrita quae gesta sunt, nisi pater, aut maritus extra fines hujusce metus egrediatur, ac vehementius uxori, filiove minetur, ut si pater exheredationis terrore filium, aut filiam ad contrahendum adigat (4).

(1) L. 3. 4. 7. 8. 22. 23. *ff. de eo quod metus causa*, L. 13. *Cod.*

de transact. Cap. 6. *de iis quae vi metusve causa.* Idem autem est sive quis in se ipso, sive in filiis hunc metum patiatur *L.* 8. §. *ult. de eo quod metus causa*, argum. *L.* 1. §. 4. *ad L. Cornel. de sicar.* §. *ult. Instit. de nox. act.*, sive etiam in uxore, per quam et marito injuriam inferre constat §. *patitur* 2. *Just. de injuriis L.* 1. §. 3. *L.* 18. §. *penult.*, *et ult. ff. de injur.*

(2) Sic Paulus *L.* 21. *ff. de eo quod metus causa* » Si mulier, *inquit*, contra patronum suum ingrata facta, sciens se ingratam, eum de » suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in » servitutem redigatur, cessat edictum; quia hunc sibi metum ipsa infert. Quod multo magis obtinet, si magistratus metum recte intulerit, jure scilicet licito, et jure honoris, quem sustinet *L.* 3. *ff. de eo quod metus causa*, Argum. *L. injuriarum* 13. §. *si quis quod decreto* 2., *et* §. *quae jure* 6. *ff. de injur.*

(3) Argum. *L. non cogitur* 21., *et L. si patre cogente* 22. *ff. de rit. nuptiar.*, *et L. neque ab initio* 14. *Cod. de nuptiis*, *L. ult. ff. si quis aliquem test. prohib.*

(4) Argum. *L.* 1. §. 5. 6. *ff. quar. rer. actio non datur*, *L.* 1. §. *interdictum hoc* 43. *ff. de vi et vi armat.*, *Cap.* 11. *de sponsal. impuber.*

§. V. Haud tamen perpetuo firma, et constans est regula, ut quae gravi metu sunt acta, infirmentur; quoniam ea interdum ipso jure nulla sunt, interdum omnem retinent firmitatem, interdum eadem infirmare non oportet, propterea quod metus illatus nullum alteri intulit detrimentum. Ipso jure nullius momenti sunt dotis promissio per metum extorta (1), nuptiaeque (2), et data libertas (3), si vel servus ipse, vel populus dominum coegerit; nam si hoc a privato actum sit, integra quidem manet servi libertas, sed dominus ita restituitur, ut secundum civilis juris disciplinam, pretii quadruplum a cogente consequatur (4). Eodem loco sunt alieni concessa tutoria auctoritas (5), et data, aut prorogata jurisdictio (6), et gesta cum eo, qui carceribus injuste detinetur (7), et religiosa professio (8), et absolutio a censura, ac revocatio sententiae, per quam eadem irrogata est (9), et promissio, ac traditio rerum ecclesiasticarum (10). Cuncta haec non judicis auctoritate e medio tollenda, sed jure ipso irrita sunt (11).

(1) L. 21. §. 3. *ff. de eo quod metus causa.*

(2) Cap. 14. *de sponsal.*, *L. neque ab initio* 14. *Cod. de nuptiis.*

(3) L. *ille servus* 9. *L. si privatus* 17. *ff. qui et a quib. manumis. liberi fiunt.*

(4) Huc enim referendum videtur quod scriptum reliquit Ulpianus *L.*

metum 9. §. *sed licet ff. de eo quod metus causa* his verbis » Idem Pomponius scribit, quosdam bene putare etiam servi manumissionem, vel aedificii depositionem, quam quis coactus fecit, ad restitutionem hujus edicti porrigendam » Non enim ipsa libertas e medio tollenda est, eaque de causa nulla in perniciem manumissi restitutio locum habere potest, uti patet *ex L. et eleganter* 7. *ff. de dolo malo*, *et L. si ex causa* 9. §. *ult. ff. de minor.* 25. *ann.*, nisi minor ex magna causa hoc a Principe obtinuerit *L.* 10. *ff. eod. tit. de minor.*

(5) L. 1. §. 1. *et L.* 17. *ff. de auctor. tutor.* Verum haec nullitas videtur repetenda ex defectu consensus, quoniam tutor adesse coactus non consentit.

(6) L. 2. *ff. de judic.*

(7) *L. qui in carcerem* 22. *ff. de eo quod metus caus.*

(8) Cap. 1. *de iis quae vi metusve caus.*

(9) Cap. *unic. eod. tit. in* 6.

(10) Can. 1. *caus.* 15. *quaest.* 6.

(11) Ratio cur nuptiae, dotisque promissio, ac datio libertatis potius jure ipso, quam judicis auctoritate irritae haberentur, haec videtur esse Joanni Voeto *in Pandect. lib.* 4. *tit.* 2. §. 15. *tom.* 1. *pag.* 191. *edit. Coloniae Allobrog.* 1757., quod si eae initio valerent, propter magnum, quem in jure habent, favorem, difficilius infirmarentur. Scilicet cum Legislatores hunc favorem ante oculos haberent, neque tamen aequitatis ratio ullo modo permitteret, eum ita produci, et explicari, ut ejus gratia alii sine ulla prorsus culpa manifestum damnum acciperent, satius putarunt ab initio impediri eorum quasi nativitatem, quam eadem semel nata infirmari; eo modo, quo Lex Ælia Sentia maluit a principio impedire libertatem in fraudem creditorum datam *princ. Instit. quib. ex caus. manumit. non lic.*, cum contra alienatio facta in perniciem creditorum non ipso jure nulla sit, sed Pauliana, aut rescissoria actione revocari debeat.

§. VI. Fixa sunt etiam, atque stabilia metu gesta, cum quis ea deinceps ex intervallo, non vi ulla coactus, aut metu perterritus, sed cum libero voluntatis arbitrio rata habuit; quod vel tacite, vel expresse fieri potest. Tacite fit rebus ipsis et factis, ut si quis omni amoto metu, cum sua fruitur libertate, sponte solvit, quod initio ex metu promiserat (1); si det pignora, aut fidejussores, ut metu facta obligatio vim, et exitum consequatur, aut ad solvendum petat dilationem, per quam esse se in aere alieno confitetur. Haud tamen metu gesta approbasse videtur, qui eo remoto siluit, neque ullam edidit animi declarationem, ut ostenderet, eadem in pretio haberi non posse, propterea quod abfuit libera voluntas. Non enim hanc declarationem requirunt leges, quibus satis est, quod actio idoneo tempore proponatur (2). Expresse autem conficitur ratihabitio, cum quis solutus, atque in libertatem vindicatus expresse declarat, omni se jure abdicare, atque omnem abjicere, ac deponere

actionem, quam propter metum habere potest, ac stare velle promissis, quae initio metu coactus fecit. Neque opus est, quod metum passus antea rem amissam recuperet (3); cum etiam sine rei traditione satis sit consensus domini, ut alter retineat, quod primo vi, furto, metuve fuerat occupatum (4).

(1) Cap. 1. *de iis quae vi metusv. caus.*, *L. cum te* 2. *et L. si per vim Cod. de eo quod met. caus.*

(2) Consule Voetum *in Pandect. lib.* 4. *tit.* 2. *numer.* 16. Tempus autem huic actioni instituendae definitum quadriennium est; quatenus intra illud spatium ex contumacia in quadruplum crescere potest; nam in simplum, sive ad ipsius rei restitutionem, causa cognita perpetuo, idest cunctis triginta annis agere potest, qui metu perterritus rem suam amisit, *L. si per vim* 4 *in fin. Cod. Quod metus causa*, *L. item si* 14. §. *si quis* 1. *ff. eod. tit.* Eoque sensu Paulus in *L. si mulier* 21. §. 1. *ff. eod. tit.* scripsit, Praetorem id, quod metus causa gestum fuerit, nullo unquam tempore ratum habiturum

(3) In §. *aliquando* 8. *Instit. de usucapion.* vitium purgari aliquando dicitur, *veluti si res in Domini potestatem reversa sit*; unde aliqui colligunt, primum a domino rem suam esse recuperandam, ut vires obtineat, quod ab eo ex metu gestum est. Sed abnormis haec interpretatio probari non potest. Non enim dicitur, *nonnisi reversa re vitium purgari*, sed exempli causa unus proponitur ex modis, cum quibus ratihabitio expeditur. Neque aliud statutum est a Jure canonico *in Cap.* 2. *de restit. spoliat.* Ibi enim agitur de spontanea renunciatione non satis certa, et explorata, quae si talis fuisset, haud sane Pontifex dicere potuisset. *quia non est verisimile, quod sponte juri suo renunciaverit, qui renunciavit spoliatus.* At si spontanea renunciatio perspicua fuisset, ea certe rata firma haberi debuisset, cum unicuique liceat suo juri renunciare, *L. penult. Cod. de pactis.*

(4) L. *certe* 6. §. *Julianus ff. de precario*, *L. quamvis* 84. *ff. de furtis*, *L. si fur.* 32. *ff. de usurpat. et usucapion.*

§. VII. Denique non infirmantur quae per metum acta sunt, cum quis nullum ex ea re detrimentum accepit; ut si quis posteriore metu statim illato reddere coactus est, quod ipse antea simili metu injuria acquisiverat (1), si quis cum perpetua exceptione tutus esset, creditorem coegerit acceptum sibi facere (2); vel creditor debitori suo metum intulerit, ut solveret, quod vere erat debitum (3). Neque enim cum haec gesta sunt, damni aliquid illatum est, ideoque actio ex metu locum habere non potest; quamquam Jus civile metum, et vim impunitam esse non sinat, constituta poena legis Juliae de vi, prout violentia publica, vel privata est, adversus eos, qui vim intulerunt (4).

(1) L. *sed et partus* 12. *ff. de eo quod metus causa.*

(2) L. 14. *ff. eod tit.*

(3) L. 12. §. 2. *eod. tit.* Itaque si quis quadraginta debens metu coactus fuerit ad promittenda, aut solvenda trecenta, non trecentorum, sed tantum ducentorum, et sexaginta, eum ex contumacia quadruplum consecuturum, responsum est in *L. item si* §. *penult. ff. quod metus causa gestum erit.*

(4) Ibid. *in fin.*

§. VIII. Atque ea sane, quae diximus de infirmandis iis, quae metu sunt gesta, Jus Canonicum ab omnibus observari praecipit, etiam cum eadem acta jurejurando confirmata fuerunt. Hoc enim sequitur naturam actus, cui adjectum est (1), ideoque actu ipso sublato, jusjurandum stare non potest. Itaque suo jure beneficium repetit, qui illud gravi metu coactus, et simul juratus abjecit (2); et irrita est per metum emissa religiosa professio, nisi ea deinceps, omni plane excusso; depulsoque metu, voluntarie fuerit approbata (3). Contra si post actum metu extortum libere quis eum juratus confirmavit, haud amplius ei licet eumdem in discrimen adducere (4). Sed nunc generatim in omni actu, in quo adhibitum est jusjurandum, ejus laxandi venia a Superiore impetrari solet.

(1) L. *non dubium in fine Cod. de legibus*, et *L. Juris gentium* 7. §. *et generaliter* 16. *ff. de pactis.*

(2) Cap. 4. *de his quae vi metusve causa.*

(3) Cap. 1. *eod. tit.*

(4) Cap. 3. *eod. tit.*

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE

TITULUS XLI.

I. Restitutionis in integrum definitio.
II. Qui eam petere possint, et quando eadem concedatur?
III. Quomodo majores, aut minores in integrum restituantur?
IV. et V. Restitutio in integrum adversus religiosam professionem.
VI. Restitutio in integrum Ecclesiis debita.
VII. Intra quod tempus in integrum restitutio petenda sit?
VIII. A quo eadem concedatur?
IX. Vis petitae, et vis impetratae in integrum restitutionis.

Lib. 1. tit. 21. in 6. Clemen. *lib.* 1. *tit.* 11. Decretum *c.* 7. *q.* 1. *c.* 2. *et* 35. *q.* 9. *cau.* 10. *c.* 2. *q.* 6. Institutiones §. 6. *de action.* Pandectae *lib.* 4. *tit.* 1. 2. 3. 4. 6. Codex *lib.* 2. *tit.* 22. *ad* 55.

§. I.

Non solum iis, qui vi, metuque coacti aliquid agere debuerunt, praesto est Praetoris aequitas, ne id in eorum perniciem convertatur, sed etiam omnibus, qui damnum injuria pertulerunt, conceditur beneficium, quod latius patet, in integrum restitutionis. In I. collectione Bernardi Praepositi Papiensis hic titulus ita est conceptus: *de in integrum restitutione Ecclesiae, vel minorum*; sed in tertia, quarta, et in hac Gregoriana generatim inscribitur titulus: *de in integrum restitutione*: ut in eo comprehendantur non tantum minores, et Ecclesiae, sed et ceteri, qui eodem beneficio fruuntur. Restitntio in integrum a Paulo IC. definitur redintegrandae rei, vel causae actio (1); accepto scilicet generatim actionis vocabulo pro quovis juris remedio, quod quis vel intendit, vel a Magistratu conceditur (2). Est autem haec restitutio extraordinarium remedium, quo fertur subsidium iis, qui damnum passi sunt, et quibus aliae desunt actiones, per quas

jus suum consequantur. Quare cum actus ipso jure irritus est, aut cum aliud suppetit ordinarium civile remedium, in integrum restitutio concedi non solet (3).

(1) Paulus J. C. *receptar. sentent. lib.* 1. *tit.* 7. §. 1. apud Scultingium *Jurisprud. vet. ante-justinian. pag.* 233. *edit. Lipsiae* 1737: In *L.* 2. *Cod. si advers. transact.* in integrum restitutio, prout a Magistratu conceditur, *negotii instauratio* dicitur, et in *L.* 2. *Cod. in quibus caus. in integr. restit. necessar. non est* vocatur *amissae causae redintegratio.* Ab Isidoro autem *etymolog. lib.* 5. *cap.* 25. *num.* 36. *opp. tom.* 3. *pag.* 208. *edit. Cl. Arevali Romae* 1797. eadem definitur *causae, vel rei reparatio.*

(2) Sic *in L.* 37. *ff. de obligat. et action.*

(3) L. 17. *ff. de minor.*

§. II. Restitutionem petere possunt omnes, qui laesi sunt, ac justum habent illius petendae causam; neque interest, num quis eam postulet per semetipsum, an per procuratorem (1). Datur ut plurimum adversus eos, a quibus aliquis laesus est; sed interdum etiam contra eos, qui laesionem non intulerunt, cum rem possident per illam amissam, quod in laesione propter metum, et quandoque etiam propter minorem aetatem receptum est (2). Haud tamen cuivis eam petenti sine delectu, ac temere conceditur; sed primum causa cognoscenda est, vera ne, ac justa, et satis gravis sit (3). Non enim tribuenda est, cum levem laesionem esse constat, quae res judicis arbitrio aestimatur (4); cum quis ipso jure tutus est, veluti si cum pupillo contractus initus sine tutoris auctoritate, neque ipse inde locupletior factus fuerit (5); cum aliud, uti diximus, praesto est ordinarium remedium, aut gravius, aut aeque grave, veluti si minor actione mandati ab opulento procuratore totum consequi possit, quod est ad removendam laesionem necessarium (6); denique cum quis semel restitutionem petiit, ac repulsam passus est, is iterum eadem de causa frustra illam petit, nisi novae inventae sint defensiones, quarum gratia quod antea denegatum fuerat, merito concedendum videatur (7).

(1) L. *Papinianus* 20. *et L. illud nullum* 25. §. 1. *ff. de minor.* 25. *an.*, *Tit. Cod. etiam per procurat. caus. in integr. restit. agi posse.*

(2) L. item si §. 14. §. *in hac actione* 3. *ff. quod met. caus. L.* 14. *et* 15. *ff. de minor.* 25. *an.*

(3) L. *omnes* 3. *ff. de in integr. restit.*

(4) Quamquam enim in ordinariis negociis etiam pro re minima judicium a Praetore dari soleat §. *gallinarum* 16. *Instit. de rer. divis.*, tamen extraordinaria remedia difficilius conceduntur, ne majori negocio summo jure valido nimis temere praejudicium fiat, *L. scio* 4. *ff. de in integr. restit.*, *L. in causae* 16. §. *idem* 4 *ff. de minor.* 25. *an.*, *L. si quis affirmaverit* 9. §. *ult. ff. de dol. mal.*, *L. res bona* 54 *ff. de contrah. empt.*

(5) L. *si curatorem* 3. *Cod. de in integr. restit. minor.*, *L. quos retrahi* 3. *Cod. si advers. libert.*, *L. penult. Cod. si advers. rem judic.* Frustra enim petitur amissae causae redintegratio, cum jura ab ipsa lege sarta tecta servata sunt, *L. adolescentiae* 2. *Cod. in quib. caus. in integr. restit. necess. non est.*

(6) L. *cum mandata* 23. *ff. de minor.* 25. *an.* Simile exemplum est *in L. si apud minorem* 12. *ff. de minor.* Verum si adversus eamdem personam et ordinaria actio competat, et restitutionis auxilium, optio pupilli est, utro jure uti velit *L. in causae* 16. §. *Pomponius* 2. *ff. de minor.* 25. *an.* Alia ejusdem generis exempla sunt, cum extraordinarium remedium restitutionis utilius, et commodius est; eaque a peritis Juris civilis late explicantur.

(7) L. 2. *et* 3. *Cod. si saep. restit. postul.*, *Cap.* 10. *de in integr. restit.*

§. III. Majores annis XXV. non restituuntur, nisi demonstrata causa laesionis, quam ipsi omnis culpae expertes pertulerunt; qualis est dolus alterius (1), causa metus, alienatio judicii mutandi causa facta (2), absentia, aut justus error (3), denique, si qua alia sit causa, quae judici gravis, et justa videatur (4). Minores annis XXV. propter infirmam, et inopem consilii aetatem restituuntur, semel ac eos laesos fuisse constat (5). Hinc recte Gregorius IX. (6) in integrum restitui voluit minorem, qui omisit revocare rem alienatam a patre secundum approbatam consuetudinem, qua propinquioribus, oblato intra certum tempus pretio, res alienatas revocare permittebatur (7). Sunt et alia exempla bene multa tum in canonico, tum in civili jure, quod utrumque minorem restitui jubet, cum aliquid propter aetatis imbecillitatem improvide fecit, vel omisit (8). Verum huic restitutioni non est locus, si minor dolo malo agat, vel se majorem esse simulet, ut alterum ad contrahendum alliciat (9); si major factus ratum habuit, quod in minori aetate gessit (10); si contractum sponte jurejurando confirmavit (11), si minori res casu pereat (13); si minor aetatis veniam impetraverit (13). In matrimonio, et religiosa professione, quae duo natura sua dissolvi nequeunt, minor tamquam major habetur; licet non ita sit de dote, ac ceteris generis ejusdem (14). In illis porro, cum

secundum canones perfecta sunt, locum non habet in integrum restitutio.

(1) L. 1. *ff. ex quib. caus. major.*, *cap.* 4. *de in integr. restit. Cap.* 6. *de iis quae vi metusv.*

(2) L. 1. *ff. de alien. judic.*, *Cap.* 1. *eod. tit.*, *Cap.* 11. *de judic.*

(3) L. 1. *ff. de restit. in integr.*, *Cap.* 4. *eod. tit.* Confer etiam Paulum IC. *receptar. sentent. lib.* 1. *tit.* 7. § 1. *pag.* 233. *loc. cit.*

(4) L. 1. *ff. ex quib. caus. major.*, *Cap.* 4. *de in integr. restit.*

(5) Cap. 4. *cit.*, *L.* 2. *Cod. de filiofam. min.*

(6) Cap. 8. *de in integr. restit.*

(7) Jus hoc jus retractus vulgo appellatur, cujus originem Cujacius *consult.* 9. *opp. tom.* 1. *Col.* 577. repetendam putat a constitutione Friderici in Occidente, et Romani Lacapeni in Oriente. Si quo tamen in pretio veritas est, hujusce juris clarissima sunt vestigia in *L. dudum* 14. *Cod. de contrahen. empt.*, qua nominatim abrogatur vetusta quaedam lex, cujus imperio proximi, et consortes extraneos ab emptione removebant. Atque in necessaria quidem venditione jus praelationis a jure civili tribuitur creditoribus, et cognatis, uti patet *ex L. cum bona ff. de privileg. credit.*, quod jus non observari conqueritur S. Hilarius Arelatensis *in vit. S. Honorati* his verbis » Diripitur itaque » dudum vario misericordiarum opere vexata, adhuc tamen larga substantia; » et aequaliter ad patrimonium propinquus, atque extraneus auctionator ad» mittitur; ita nullus parentum respectus est, ac si rem suam non vendant «. Sed in voluntaria venditione, ut *in d. L. dudum* gravis videtur injuria, quae domino infertur, ut de rebus suis aliquid invitus facere compellatur. Hoc ipsum jus, de quo disputamus, clarissime expressum est *in Levit. cap. XXV. ver.* 25. »Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit pro» pinquus ejus, potest redimere, quod ille vendiderat. »

(8) Recte Josephus Averanus *interpr. jur. lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 1. *tom.* 3 *pag.* 371. *edit. Lugdun. Batav.* 1753 animadvertit, quod Doctores facillime concedunt in integrum restitutionem adversus aditam, vel omissam hereditatem, quam difficilius juris conditores tribuerunt. Adrianus restitutionem dedit adversus aditam hereditatem ob magnam aeris alieni copiam, quae postea detecta est, cum antea lateret; sed hoc peculiare beneficium fuit, ut ait Imperator *in* §. *extraneis* 5. *Instit. de haered. qual. et differ.* Postea Gordianus id militibus concessit, ut solum intra vires hereditarias tenerentur *d.* §. *extraneis L. ult. Cod. de jur. delib.* Hoc autem beneficium Justinianus generatim ad omnes produxit, modo conficiant inventarium, servata forma, quae accurate praescribitur *in cit. L. ult. Cod. de jur. deliber.* Nunc itaque venia digni non sunt, qui spreto Imperatoris beneficio perniciosam hereditatem adierunt. Magis Praetoris auxilium obtinere debent qui ad se delatam hereditatem adire omiserunt, uti ostendit ipse Averanus *loc. cit. num.* 3.

(9) L. 9. §. 2. *ff. de minor.*, *L.* 2. *Cod. si minor. se major.* ubi ratio additur: *quia errantibus, non etiam fallentibus minoribus publica jura subveniunt.*

(10) L. 1. *et* 2. *Cod. si major fact. rat.*

(11) Cap. 28. *de jurejuran. Auth. sacramenta Cod. si advers. vendit.*

(12) L. 11. §. 4. *ff. de minor.*

(13) L. 1. *Cod. de his, qui ven. aetat.*

(14) L. *unic. Cod. si advers. dot.*

§. IV. Quod si nullum initio fuit matrimonium, et nulla item religiosa professio, puta quod propter vim, et metum, aut aliud simile vitium, neque haec, neque nuptiae vim aliquam habere potuerunt, recte de nullitate judicium exercetur. De matrimonio, ejusque nullitate expendenda, ferendoque judicio alius erit opportunior agendi locus. Quod attinet ad religiosam professionem, cum quis eam irritam esse contendit, vel quod propter metum, vel quod ante constitutam aetatem, vel quod cum alio simili vitio amissa est, jure novissimo intra quinquennium proponere querelam nullitatis debet (1), licet jure antiquo eadem intra annum proponi deberet. Quod judicium agendum est coram Episcopo et Regulari Praefecto coenobii, qui si eo munere fungi nolit, recte sui loco vicarium constituit alium regularem, aut etiam saecularem Sacerdotem, non tamen eumdem Episcopum, ita ut ipse solus totum negocium expediat (2). Si discors in judicando sententia sit Episcopi, et Superioris Regularis, res tota defertur ad Sedem Apostolicam; cujus quoque judicio eadem subjicienda est, cum quis professionem suam irritam esse contendit, quod eam emisit in coenobio instituendis tyronibus non destinato. Eadem haec juris disciplina comprehendit non solum viros, sed etiam feminas regulares, quae similiter professionem suam infirmandam putant; quin ad ipsum quoque pertinet regulare institutum, cujus saepe interest alicujus professionem irritam declarari. Ab his omnibus intra quinquennium, cujus initium ducitur a die factae professionis, in medium afferenda est nullitatis querela; neque eadem satis explorata videri potest, nisi duabus saltem sententiis fuerit comprobata. Itaque post unam tantum sententiam adhuc incerta res est, adeout neque Regularis deserere Religionem, neque ipse vicissim a Religione, cum eadem agit, expelli possit.

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regular.*

(2) Videnda ea de re est Benedicti XIV. Constitutio *si datam* 47. *tom.* 1. *ejus Bullar pag.* 236., ubi cuncta, quae ad hoc argumentum pertinent, accurate explicantur.

§. V. Elapso quinquennio, nullus amplius locus olim erat querelae contra professionem, etiamsi quis eam per vim, metumque emisisse, vimque ipsam, et metum toto quinquennio extitisse contenderet. Sed postea justis, gravibusque

de causis receptum est, ut etiam post quinquennium beneficium restitutionis in integrum concedatur. Quod remedium cum extraordinarium sit, atque ab inferiori judice tribui non possit, petendum est a Sede Apostolica, quae *processum*, ut vocant, conficiendum committit Episcopo, ac Regulari superiori, deinde postquam ipsa re diligenter expensa decrevit, locum esse in integrum restitutioni, iisdem ferendae de professionis nullitate sententiae facultas committitur. In hoc quoque judicio duae requiruntur sententiae, audiendus est professionis defensor, cuncta diligentissime perpendenda sunt, ne quid omittatur, quod pertinet ad rem tanti momenti rite recteque perficiendam. Illud autem in primis animadvertendum est, in Religione remanere debere eum, qui vult agere contra professionem, nam qui eam suo lubitu deseruit., nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed „ ad monasterium redire cogatur; et tamquam apostata puniatur: interim vero nullo privilegio suae Religionis juvetur „ (1).

(1) Concilium Tridentinum *loc cit.*

§. VI. Minorum jure censetur Ecclesia, quod exemplo reipublicae, vel civitatis, de qua idem est a jure civili constitutum (1), merito jure canonico receptum est (2). Ecclesiae autem nomine Jurisperitorum sententia, et usu fori omnia corpora ecclesiastica, monasteria, domus religiosae, academiae, hospitalia comprehenduntur. Restituitur Ecclesia, ubicunque sit laesa, etiam propter negligentiam procuratoris, qui ejus jura, ac defensiones in medium proferre neglexit (3); contra confessionem sibi noxiam (4); contra lapsum fatalium (5); non solum contra laicum, aut quemvis privatum hominem, sed etiam contra aliam Ecclesiam, quae intulit detrimentum (6). In quo tamen videndum est, quale sit negocium, de quo disputatur. Nam si utraque Ecclesia de damno vitando agat, neutra contra alteram restituitur; quoniam nemo uti potest privilegio adversus eum, cui par privilegium est (7). At si altera lucrum quaerat, altera ab se damnum avertere conetur, hanc contra illam restitui aequum est, uti minor simili modo contra minorem restituitur (8).

(1) L. 4. *Cod. quib. ex caus. major. in integr. restit.*, *L.* 3 *Cod. de jur. reipubl.*, *L.* 9. *ff. de appellat.*

(2) Cap. 1. *de in integr. restit.*, *Cap.* 2. *eod. tit. in* 6., *Clement. unic. eod. tit.*

(3) Cap. 2. *de in integr. restit.*

(4) Cap. 2. *eod. tit. in* 6.

(5) Cap. 3. *de in integr. restit.*

(6) Cap. 3. *cit.*

(7) L. 12. §. 1. *Cod. qui potior. in pign.*

(8) L. 12. §. *item quaeritur ff. de minor.*

§. VII. Petenda est in integrum restitutio intra praescriptum tempus, quod olim annus erat (1), nunc quadriennium est (2). Cujus quadriennii initium in minore repetitur a die, quo minor esse desiit, nisi ante hoc tempus aetatis veniam impetravit (3); in majore a die, quo sublatum est impedimentum, propter quod suo jure uti non potuit (4); in Ecclesia, Civitate, similibus a die, quo est illata, atque etiam, ut multi putant, comperta laesio (5). Sed crebrae mutationes Praelatorum, qui Ecclesiae praesunt, saepe faciunt, ut hoc quadriennium produci debeat; neque aestimatur tempus, quo vitam egit Praelatus, qui suo contractu Ecclesiae intulit detrimentum. Generatim vero retinenda est regula, quod minime labitur quadriennium adversus eos, quibus competit in integrum restitutio, cum propter dolum, vim, metum, aut aliud grave impedimentum jus suum persequi non potuerunt (6).

(1) L. 19. *ff. de minor.*

(2) L. *ult. Cod. de temp. in integr. restit.*, *Cap.* 1. *et* 2. *de in integr. rest. in* 6., *Clement. unic. eod. tit.*

(3) L. *eos qui* 1. *Cod. de his qui ven. aetat.*, *et L. ea quae* 5. *Cod. de temp. in integr. restit.*

(4) L. *in his* 1., *et L. ult. Cod. de temp. in integr. restit.*

(5) Cap. 1. *et* 2. *de in integr. restit. in* 6., *Clement. unic. eod. tit.* ibique Glossa.

(6) Cit. *cap.* 1. *et* 2. *de in integr. restit.*

§. VIII. Ecclesiae, minores ac ceteri, quibus idem beneficium concessum est, restituuntur etiam adversus sententiam Summi Pontificis (1), vel Principis (2); sed uterque tantum contra propriam sententiam, aut sui delegati restituit (3). In reliquis negociis generatim Magistratus adversus suam, aut

judicis inferioris, parisve potestatis sententiam restituit; inferior autem magistratus contra superioris sententiam restituere non potest (4). Neque vero eadem est potestas cuivis magistratui, sed tantum urbano, et provinciali, aut judici in eam rem. a Principe, vel a Magistratu dato (5); non item municipali magistratui sine Principis mandato (6), quoniam non habet mixtum imperium, cujus praesertim est propria in integrum restitutio. Atque hi quidem concedunt in integrum restitutionem, quae ab ipsa lege, atque intra certum tempus, puta intra quadriennium, tribuitur. Nam extra ordinem, hoc est praeter Juris imperium, lapsoque tempore a lege constituto, solus Princeps restituit.

(1) Cap. 5. *de in integr. restit.*
(2) L. 1. *et* 1. *Cod. si saep. restit. in integr. postul.*
(3) L. 18. *ff. de minor.* 25. *an. L.* 3. *Cod. si advers. rem judic.*
(4) Consule Cujacium *in L.* 16. *ff. de minor.* 25. *an. opp. tom.* 1. *col.* 868., *et in Cod. lib.* 4. *tit.* 46. *tom* 10. *col* 862., *et* Donellum *de jur. civil. lib.* 1. *cap.* 14. §. 3. *opp tom.* 5. *col.* 1243.
(5) Confer eumdem Cujacium *cit. lib.* 4. *tit.* 46.
(6) L. 26. *ff. ad municipal.* Vide Scipionem Gentilem *de jurisdict. lib.* 1. *cap.* 32. *opp. tom.* 3. *pag.* 96. *seq. edit. Neapol.* 1764. Verum jure Codicis etiam municipales magistratus in integrum restituere posse, censet Odusd *de restit. in integr. par.* 1. *quaest* 32. *art.* 4.

§. IX. Petita in integrum restitutione omnia in suo statu manere debent, donec res finita fuerit (1), et ideo latae sententiae executio suspenditur; perinde ac appellatio interposita fuisset (2). Ea vero inde impetrata, omnia ad pristinum statum vocantur, laesio removetur, et quae sua sunt, unusquisque recuperat (3). Nam restitutio prodest non tantum illi, qui eam impetrat, sed etiam illi, contra quem conceditur, quoniam utrique suum tribuendum est. Quare si laicus in fundo ab Ecclesia vendito utiles impensas fecit, eas jure repetit, imo fundum ipsum quasi jure pignoris retinere potest, donec impensae solvantur (4). Fructus quoque cum re ipsa restituendi sunt (5), sed ex iis detrahendum, quod vicissim alteri debetur (6). Nam quemadmodum restitutus in damno haerere non debet, ita nec in lucro versari cum aliena jactura; et ideo quidquid ad eum pervenit vel ex emptione, vel ex venditione, vel ex quovis alio contractu debet restituere.

(1) L. un. *Cod. in integr. restit. postul. ne quid novi fiat.*

(2) Cap. 6. *de in integr. restit.*

(3) L. 25. §. *restitutio ff. de minor.*

(4) Cap. 1. *de in integr. restit.*, *Cap.* 11. *de reb. Eccles. alienan.*; *L.* 39. *in fin. ff de minor.*

(5) L. *nec non* 28. §. *ult.*, *et L. ait Praetor* 23. §. 2. *ff. ex quib. caus. major.. L. quod si minor* 25. §. *restitutio*, *et L. Patri* 28. § *si pecuniam ff. de minor.* 25. *an.* Clarae mihi videntur hae leges, quibus fructuum restitutio praescribitur, sed alia aliis opinio est, et aliqui distinctionem constituunt inter contractus gratuitos, et onerosos, inter fructus extantes, et inter fructus dominii jure, et praescriptione acquisitos, qua de re videndi sunt Schmalzgrueber *Jus eccles. univers. par.* 5. *tit.* 41. §. 4. *num.* 49. *seqq.*, et Maschat. *Jus Canon. Decretal. lib.* 1. *tit.* 41. *num.* 16.

(6) L. *minor* 25. *annis* 40. §. 2. *ff. de minor.* 25. *an.*



DE ALIENATIONE JUDICII
MUTANDI CAUSA FACTA

TITULUS XLII.

Decretum *can. ult. c.* 11. *q.* 1. Pandectae *lib.* 4. *tit.* 7. Codex *lib.* 2. *tit.* 5.

§. I.

Titulus hic affinis est superiori (1); et vero eos, qui ex alienatione judicii mutandi causa facta damnum passi sunt, in integrum restitui demonstravimus. Haec autem alienatio fieri dicitur, cum quis rem aliquam, de qua intelligit, vel suspicatur futuram litem, dolo malo in alium transfert, ut qui eam persequitur, difficilius consequatur. Quod fit modis pluribus, nimirum si res ipsa detur potentiori, cui par alter esse non possit, aut alterius provinciae homini, cum quo judicio experiri valde incommodum, et molestum sit, aut nimium litigioso, et concito ad rixam (2); aut clerico, ut adversarius ad ejus tribunal venire cogatur (3). Atque eo nomine alienationis comprehenditur omnis actus, per quem rei dominium, vel possessio transfertur, quovis id titulo fiat, sive lucrativo, sive oneroso (4). Neque necesse est, quod aliquis rem expresse, ac per semetipsum alienet, ejusque dominium, aut possessionem in alium conferat; sed satis est, quod quis causa fuerit rei translatae in molestiorem adversarium; veluti si quis dolo, ac fraude ex rei possessione discedat, ut eadem ab alio occupetur. Haud tamen hoc modo

rem alienasse creditur, qui cum ejus possessionem adipisci potuisset, eam non acquisivit, sed maluit omittere (5); quoniam ante adeptam possessionem judicio vexari non potuit, et ideo non judicium mutasse videtur, sed tantum actionem contra se nondum natam declinasse.

(1) Magnam quoque hic titulus affinitatem habet cum titulo Codicis *ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus praestare*, et cum constitutione Anastasii *de redemptoribus actionum alienarum*, quae extat in *L. pen. C. mandati.* Sed ita hos tractatu distinguendus esse docuit Cujacius *paratil. in Cod. lib. 2. tit. 13. opp. tom. 2. col.* 96 : titulus *ne liceat potentioribus etc.* est de lite, sive actione in potentiorem translata : titulus *de alienatione judic. mutan. caus.* est de re data potentiori ab eo, qui ipse judicio vexari metuebat. Constitutio Anastasii est de ipsis redemptoribus actionum: constitutio Claudii proposita *in d. tit. ne liceat potentior.* ad illos pertinet, qui actionum suarum alios redimunt exactores, deque actionibus redimendis.

(2) L. 1. 2. 3. 4. §. *L. penult. et ult. ff. de alienat. judic. mutan. caus.* Argum. *L. milites* 31. *et L. licet* 35. *Cod. de locat.*

(3) Cap. 1. *de alienat. judic. mutan. caus.*

(4) L. *item si res* 4. §. *sextus* 2. *ff. de alienat. judic. mutan. caus.*

(5) L. *item* 4. §. *itemque* 1. *ff. eod. tit.*, *L.* 119. *ff. de reg. jur.*

§. II. Qui propter hujusmodi alienationem passus est detrimentum, duplicem habet actionem, per quam illud removeatur. Jure Digestorum datur *actio in factum*, eaque vel *directa*, cum ipsa proprietas, vel *utilis*, cum tantum possessio alienata est. Quae actio intra annum instituenda est adversus eum, qui rem alienavit ad id quanti nostra interest alium non habere adversarium (1), eademque actione restituendae sunt impensae, si quae factae sunt, et ipsa incommodi habenda ratio est (2). Jure Codicis conceditur actio in re; adeout optio sit actoris; num actione in factum convenire alienantem velit, an potius actionem in rem adversus rei alienatae possessorem instituere (3). Imo contra ipsum quoque alienantem, qui rem dolo desiit possidere, datur actio, quam *utilem rei vindicationem* appellamus, quia qui rem dolo possidere desiit, tamquam possessor habetur, et actione in rem conveniri potest (4).

(1) L. *omnibus* 1. *ff. de alien. judic. mutan. caus.*

(2) L. *quia* 3. §. *ex quibus* 4. *ff. eod. tit.*

(3) L. *unic. Cod. eod. tit.* ibique Glossa *verb. elegeris.*

(4) L. *sin autem* 27. §. *sed et is* 3., et *L. qui petitorio* 36. *ff. de R. T.*

§. III. Ut huic actioni locus esse possit, requiritur, ut alienatio facta sit inter vivos, dolo malo, sponte, ac libera voluntate, ante litem contestatam, ac denique animo judicii mutandi, cum id adversario molestum, ac perniciosum sit. Si quid eorum desit, nulla hujusmodi actio est. Itaque eadem procul abest, cum quis rem alteri testamento reliquit (1), quia minime peccasse videtur in legem, qui rem in alium transtulit, cum ipse eamdem amplius retinere non poterat; licet jure singulari Imperator accipere noluerit, quod ei litis causa fuerat testamento datum (2). Sed et si quis ob valetudinem, aut aetatem, aut occupationes necessarias, aut detestationem litium alienaverit, aut rem veluti debitam bona fide solverit, dederitve in solutum, vel ob vitium venditori restituerit, restituturus, etiamsi litem non timuisset, cum dolus absit, nullus plane est huic actioni locus (3). Idem sit judicium de alienatione, quam imperiosa necessitas facere coegit, veluti si res capta pignori judicis auctoritate alienata sit (4). Inutilis quoque est restitutio, si post contestatam litem facta sit alienatio, quoniam ea generatim vim nullam habet, ac praeterea res affecta vitio litigiosi a quovis possessore etiam ignaro vindicari potest, perinde ac si nihil actum fuisset (5). Denique silet actio, si nihil intersit actoris, rem alienatam fuisse, veluti si res non fuerit petitoris, aut post alienationem ante hoc inchoatum judicium casu perierit, ita ut nihil actor sua fuisset actione consecuturus, nisi si quid actoris praeterea interfuit (6). Idemque est si is, qui alienavit, paratus sit utile pati judicium, perinde ac possideret, aut aliter arbitratu judicis pristinam restituat judicii causam (7).

(1) L. *ex hoc edicto* 8. §. *sed heredem* 3. *ff. de alienat. judic. mutan. caus.*

(2) §. *ult. Instit. cuib. mod. testam. infirm.*

(3) L. *item* 4. §. 1. *et* 3. *L. ex hoc edicto* 8. §. *ult. L.* 9. *et* 10. *ff. de alienat. judic. mutan. caus.*

(4) Nam plerumque alienationes ex necessitate factae non comprehenduntur sanctione legum, quae alienationes fieri vetant argum. *L.* 1. *ff. de fund. dotal. L. sed si pecunia* 3. §. *pignori* 1. *ff. de reb. eor. qui sub tutel. vel cura sunt sine decret. non alien.*

(5) L. *ex hoc edicto* 8. §. 1. *ff. de alienat. judic. mutan. caus.*, *L. lite* 2. *et auth. litigiosa Cod. de litigios.*

(6) L. *non solum* 5. §. *ult. ff. de alienat. judic. mutan. caus.*

(7) L. *quia* 3. §. *ult. L. ex hoc* 8. *ff. eod. tit.*

§. IV. Hujus actionis beneficio fruitur qui propter alienationem passus est detrimentum, et fruuntur etiam ipsius heredes (1) adversus alienantem, atque etiam jure Codicis, uti dictum est, adversus tertium possessorem. Sed ea non datur contra alienantis heredes, quia quamquam pertineat ad rei persecutionem, tamen ex quodam delicto nasci videtur.

(1) L. *item si* 4. §. *ult*, *et* L. *nam et si* 10. *z.* 1. *ff. de alienat. judic. mutan. caus.*

(2) L. *quia* 3, §. *penult.*, *L.* 4. §. *penult. et ult.*, *L.* 5. 6. 7. *ff. eod. tit.*

§. V. Cuncta haec Juris Civilis praescripta a Jure Canonico approbata sunt. Sed et duo praeterea sunt addita, quorum primum est, ut rescripta, quae haud comprehenderent personas in iis non expressas, ad eum quoque producantur, in quem res alienata est, adeout tam iste, quam alienans coram eodem delegato conveniri debeant (1); alterum, ne clerici rem, vel actionem dolo malo in se transferri permittant, ut laicis hominibus ecclesiasticus reus opponatur, iique ad ejus forum pertrahantur (2).

(1) Cap. 2. *de alienat. judic. mutan. caus. facta*,

(2) Cap. 2. *eod, tit*,

DE ARBITRIS

TITULUS XLIII.

Lib. 1. *tit.* 21. in 6. Decretum *can.* 33. *et seqq. c.* 2. *q.* 6. *et can.* 1. *c.* 3. *q.* 7. Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. *de reform.* Pandectae *lib.* 4. *tit.* 8. Codex *lib.* 1. *tit.* 56.

§. I.

Eodem ordine, quo Scriptores Juris civilis, Raymundus, posteaquam egerat de judicibus, et magistratibus, ad eos progreditur, qui judicum vices gerunt, quales arbitros esse constat. Sane quemadmodum interpositis pactis, et transactionibus saepe fit, ut quae ortae sunt, controversiae ad judicem non deferantur, ita quoque arbitros adiri (1) litis finiendae, et solemnis judicii declinandi causa frequens est, quoniam implorare fidem eorum solent qui graviores litis sumptus, forique strepitum, longasque, ac periculosas ambages reformidant. Ex quibus facile intelligitur, arbitrum et dici, et esse eum, qui ad cognoscendam, finiendamque controversiam litigantium voluntate judicis loco constituitur.

(1) Arbitrum *adire*, ut in *L.* 21. §. 8. *ff. de recept.*, propria est loquendi formula, quae ad arbitros pertinet. Imo eos inde nomen accepisse,

quod a partibus adirentur, observat Heineccius *in Brissonium de verbor. signific. verb. arbiter.* Dicitur etiam arbiter *adigi* pro adiri ad arbitrium sumendum. Sic Cicero *pro Q. Roscio Comaedo num.* 9. *opp. tom.* 4 *pag.* 121. *edit. Genevae* 1743. » quae cum ita sint, *inquit*, cur non arbitrum » pro socio adegeris Q. Roscium quaero » *et de offic. lib.* 3. *num.* 16. *tom.* 3. *pag.* 394. Locutio haec est, qua etiam utitur Seneca *epist.* 55., et de qua videndus Cujacius *observ. lib* 4. *cap.* 5. *opp. tom.* 3. *col.* 91.

§. II. In libris Juris Civilis arbiter saepe est judex a Praetore datus (1), et apud vetustiores Jurisconsultos controversum fuisse videtur, judicem ne, an arbitrum dici oporteret eum, qui litem judicabat (2); sed revera arbiter alius erat ab eo, quem proprie judicem appellamus (3). Qui bonae fidei judiciis dabatur, arbiter, qui stricti juris, judex dicebatur (4); utrumque constituebat Magistratus, qui dati ab se judicis, aut arbitri sententiam exequebatur (5). Nobis, uti diximus, arbiter idem est ac judex compromissarius, qui vel a duobus, pluribusve eligitur, vel etiam a lege datur, ut sine longa, et sumptuosa fori disputatione controversiam expediat. Pactio illa litigantium de lite alicujus arbitrio subjicienda compromissum, acceptio arbitri, qui munus suscipit, receptum dicitur (6). Duplex enim hic pactum adest, alterum litigantium inter sese, alterum eorumdem litigantium cum arbitro; et ideo duplex nomen quaerere oportebat.

(1) L. 19. §. 1. *ff. commun. dividun.*, *L.* 7. *ff. de negot. gest. L.* 1. *ff. de pact. dot. L.* 3 *Cod. commun. dividun.*, *L.* 6. *Cod. de reb. cred.*, *L.* 2. *Cod. de senten. interloquut.*, *L.* 5. *Cod. de distrah. pignor.*

(2) Cicero *pro L. Murena num.* 12. *opp. tom.* 5. *pag.* 272. » Jam » illud, *inquit*, mihi quidem mirum videri solet, tot homines, tam in» geniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem » tertium, an perendinum, judicem, an arbitrum, rem, an litem dici » oporteret. »

(3) L. 7. *ff. ad L. Jul. repet.*, *L.* 15. *ff. de re judic.*, §. 1. *Inst. de action.*

(4) Hinc arbitri in iis praesertim nominantur judiciis, quae ex bona fide descendunt, veluti arbiter communi dividundo, *L.* 31. *ff. de usu et usufr. legat.*, seu bonis dividundis datus, *L.* 3. *Cod. commun.*, divisionis *L.* 26. §. 1. *ff. de pact. dotal.*, arbiter familiae herciscundae *L.* 1. *ff. de dot. collat.*, qui et arbiter dividundae hereditatis appellatur *in L.* 18. *Cod. famil. herciscund.*; arbiter dotis recuperandae *L.* 48. *ff. de solut.*, qui de dote cognoscit *L.* 1. *ff. de pact. dotal.*

(5) L. 15. *ff. de re judic.* Consule Brissonium *de verb. signific. verb. arbiter.*

(6) *Hinc* Pandectarum titulus *de receptis qui arbitrium receperunt.*

§. III. Arbiter ab eo distinguitur, quem arbitratorem, itemque ab eo, quem mediatorem appellamus. Nam arbitrator est, qui constitutus a duobus, vel pluribus inter se de re aliqua contendentibus sine ulla judicii forma ex aequo, et bono lites suo consilio, et auctoritate studet componere (1), vel conventiones, aliaque ad finem bonum perducit, adhibeturque in contractibus, ut rerum pretia, mercedem operarum, lucrum, aut damnum ceteraque similia boni viri arbitrio constituat (2). Mediator est qui rogatu eorum, quos inter aliqua controversia est, eam amice componit non auctoritate, sed consilio, ita ut ejus judicio stare litigantes minime cogantur. At vero arbitri judicii formam observant, feruntque sententiam, quam elegantiores Jurisconsulti arbitrium dicunt (3); nos autem, sumpto vocabulo a scriptoribus depravatae latinitatis, laudum appellamus (4); praeterea alii libera voluntate, alii legis imperio eliguntur.

(1) L. 14. §. *recepisse ff. de recept. qui arbitr. recep.*

(2) L. 70. §. *gener. ff. de. jur. dot.*, *L.* 76. 77. 78. 79. *ff. pro socio*, §. 1. *Instit. de locat. et conduct.*, §. 2. *Inst. de empt.*, *L. ult. Cod. de contrahend. empt.* Ex quibus intelligimus, rem ipsam notam fuisse Juri civili, quamquam in eo nusquam occurrat arbitratoris nomen. Videndi sunt Cujacius *in lib.* 4. *quaest. Pauli L.* 77. *opp. tom.* 5. *col.* 966. *seqq.*, et Du-Cangius *glossar. med. et infim. Latinit. verb. arbitrator.*

(3) L. 9. *ff. qui satisd. cogan.*

(4) Inferiori latinitatis aevo *judicare* dictum est *laudare.* In libris Feudorum *lib.* 2. *tit.* 20. scriptum est: *laudatum saepe scio*, hoc est *judicatum*, uti recte observat Cujacius *opp. tom.* 2. *col.* 1135. Confer Hotomannum *de verb. feudal.* Turnebus *advers. lib.* 14. *cap.* 12. vehementer objurgat jurisconsultos, quod barbaro *laudi* vocabulo utantur, cum arbitri sententia *arbitrium* latine dicatur. Verum hoc quidem est, quod Turnebus dicit de barbarie vocabuli *laudi*; et certe elegantiores Jurisconsulti *arbitrii* verbo usi sunt, atque ita loquitur Cajus *cit. L.* 9. *ff. qui satisd. cog.*, et in Codice Gregoriano *lib.* 1. *tit.* 2. apud Schultingium *Jurispr. vet. ante-justinian. tom.* 2. *pag.* 687. *edit. Lipsiae* 1737., locisque aliis compluribus generatim *arbitri sententia* nominatur.

§. IV. Hinc arbitri sunt, qui necessarii, et qui voluntarii appellantur. Utrosque sibi constituunt ipsi litigantes, sed necessarios legis jussu, voluntarios sua sponte, ac libera voluntate (1). Arbitri necessarii veri judices sunt, quoniam dantur a lege, vel Principe, vel Magistratu, qui eos eligi volunt, ut certa expediant negocia, quae celerius cognoscenda, finiendaque sunt; ideoque habent jurisdictionem, eorumque senten-

lia vim accipit rei judicatae, ab eaque appellatur (2). Retinent tamen nomen arbitrorum; quia tametsi Lex, vel Princeps, vel Magistratus in certis illis negociis arbitros eligi velit, tamen ipsi litigantes mutuo consensu personas eligunt, in quas mandatum arbitrium conferant, ut arbiter pro socio, tutelae, similium (3).

(1) Arbitri libera litigantium voluntate electi proprie *compromissarii*, legis autem imperio constituti *juris* arbitri dicuntur. Atque hi quidem originem ducunt a judicibus, qui olim dabantur in negotiis bonae fidei partium voluntate electi *L. 17. ff. de Judic.*, qui ex aequo, et bono arbitrari de lite poterant, et quorum in Jure Romano crebra mentio est *L. 7. ff. de negot. gest.*, *L. 1. ff. de pact. dotal.*, *L. 47. ff. famil. herc. cisc.* Quin etiam hi dabantur ad articulos incidentes definiendos, veluti ad probandos fidejussores, a quibus etiam appellari poterat, cum essent instar judicum pedaneorum *L. 9. ff. qui satisd. cogan.*

(2) *L. 9. ff. eod. tit.*, *L. 23. ff. de appellat.*, *Cap. 11. de offic. delegat. in 6.*

(4) Videndus Cujacius *in L. 18. Cod. de judic. opp. tom. 9. col.* 138.

§. V. Multa sunt negocia, quae legis praescripto ab his arbitris absolvenda sunt. Ita iidem ex Jure Civili constituendi sunt, atque ipsam etiam principalem causam dijudicant (1), cum judices delegati suspecti habentur; ex jure Canonico, cum Episcopus adversus Clericum sibi subjectum litigat (2); cum ambigitur, num sublatae e medio fuerint literae Apostolicae, neque judices ea de re inter se conveniunt (3); denique cum datus judex suspectus est (4). In Ecclesia Africana eligi debebant arbitri, qui noscerent appellationes a sententia synodi provincialis (5); et nunc jure municipali quarundam regionum sancitum est, ut eorum, qui inter se certo cognationis gradu conjunguntur, lites arbitrorum judicio committantur.

(1) L. 16. *Cod. de judic.*

(2) Can. 46. c. 11. *q.* 1.

(3) Cap. 11. *de offic. et potest. in* 6.

(4) Cap. 14. *de rescript.*, *Cap.* 39. *de offic. et potest. delegat.*, *Cap.* 41. §. 2., *et Cap.* 61. *de appellat.*, *Cap.* 4. *de for. competen.*

(5) Can. 96. *Cod. Eccles. African.* apud Dionysium exiguum *in Bibliothec. Justelli tom.* 1. *pag.* 382. *edit. Paris.* 1661. Hos arbitros judices vocat Theodorus Balsamon *in can.* 99. *et* 125. *Concil. Carthaginien.* apud Beveregium *Pandect. canon. t.* 1. *pag.* 633. *et* 657. *edit. Oxonii* 1672.; et certe judices merito appellari poterant, cum essent arbitri legis jussu constituti.

§. VI. Nulla arbitris voluntariis adjuncta est jurisdictio, iique tantum notionem habent, nec proprie judices sunt, quos privatorum consensus facere non potest (1); sed tantum ex compromisso judicis partes suscipiunt (2). Quod compromissum fieri potest non solum viva voce, aut nutibus inter praesentes, sed etiam per epistolam, aut nuntium inter absentes; vel nudo pacto. vel stipulatione; vel cum adjecta poena, vel sine poena; praeterea vel juratum, vel injuratum esse potest; denique tam in unum, quam in duos, pluresve compromittere fas est. Hinc multiplex est compromittentium obligatio, qua ipsi arbitrio stare debent. Nam si nudo pacto factum sit compromissum, nulla secundum Jus Civile in foro oritur efficax obligatio, vel actio, sed compromittentes arbitri judicio possunt impune non parere. Quod quidem verum est, nisi litigantium alter rei traditione pactum impleverit, ita ut hoc vestitum evaserit; quoniam tunc ex eo dabitur actio vel ut laudo pareat, vel ut acceptum restituat, vel ut praestet quod alterius interest. Cum facta est stipulatio, atque sine poena, ac juramento contra non stantem compromisso actio competit ad id, quod interest (3); non tamen inde actio oritur, vel exceptio rei judicatae (4), nisi compromittentes laudum acceperint, atque approbaverint vel expresse, vel tacite silentio dierum decem. Tunc enim ex illo oritur exceptio, et actio in factum, tamquam ex re judicata, et laudum vim omnem, atque exitum habere debet (5).

(1) L. 3. *Cod. de jurisdict.*

(3) Cap. 9. *de arbitr. L. diem* 27. §. *ult. ff. eod. tit.* De eo quod interest celebris est constitutio Justiniani *in L. cum pro eo* 1. *Cod. de sentent. quae pro eo quod inter proferunt*, totamque hanc materiam, praeter ceteros, illustravit Antonius Contius *in eumdem Cod. tit.* 47. *lib.* 7. *p.* 151. *seqq. edit. Neapol.* 1725.

(4) L. *ex sententia* 1. *Cod. de arbitr.*, et *L. ex compromisso* 2. *ff. eod. tit.*, ibique Glossa *verb. exceptionem.*

(4) L. *ne in arbitris* 4. §. *si autem* 7. *ff. eod. tit.*, *L. cum antea* 5. *Cod. eod. tit.*

§. VII. Si compromisso adjecta sit poena sine juramento, satis est eamdem solvere, qua soluta ab arbitri sententia recedere fas est (1); nisi laudum expresse approbatum fuerit, aut nisi in compromisso, praeter poenam, cautum etiam sit, ut arbitri sententia rata firma haberi debeat, quia tunc qui repugnat

et illi parere, et solvere poenam cogitur (2). Si praeter poenam sit etiam stipulatione emissum juramentum, satis est, ut plerique sentiunt (3), alterutrum praestare, scilicet aut poenam solvere, aut sententiae obtemperare. Si stipulatio solo jurejurando sine ulla poena constricta est, Juris Canonici praescriptione compromisso standum est (4). Quod merito Summi Pontifices statuerunt, ut quod Deo teste promissum est, teneatur, eaque in re sequuti sunt antiquum Jus Civile (5), quod minus recte abrogaverat Justinianus, qui juratum compromissum propter perjurii metum fieri noluit (6). Nunc antiquatis minutis illis solemnitatibus Juris Civilis, quodvis compromissum, etiam nudo pacto initum, actionem, et exceptionem parit. Nam passim recepta sententia est, etiam ex nudo pacto actionem, et exceptionem oriri; sive id ex Jure Canonico, aut potius ex ejus interpretatione in mores traductum fuerit, sive quod labentibus annis grave, et absurdum visum fuerit, etiam in nudis pactis fidem fallere (7).

(1) Cap. 9. *cit.*, *L.* 1. *de arbitr.* ibique Glossa, *et Auth. decernit Cod. eod. tit.*

(2) Argum. *L. qui fidem* 16. *de transact.*, *et L. cum proponas* 17. *Cod. eod. tit.*

(3) Sunt tamen aliqui, qui et poenam solvendam, et compromissum observandum putant, cum in eo comprehensa poena, et jus jurandum est. Sed haec sententia minus similis videtur veri. Nam jusjurandum intelligi debet secundum juris praescriptum, et naturam actus, cui adjectum est. Atqui compromissum sua natura, et sanctione juris id tantum efficit, ut alterutrum praestari debeat.

(4) Cap. 2. *de arbitris.*

(5) L. *ne in arbitris* 4. *Cod. de recept. arbitris.*

(6) Auth. *decernit Cod. de recept. arbitr.*, *Novell.* 82. *cap.* 11. §. 1.

(7) Consule Gudelinum *de jur. noviss. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 8. *et seq.*, Vinnium *de pactis. cap.* 7., Voetum *ad Pandect. lib.* 2. *tit.* 14. *num.* 9., Grotium *manud. ad jurisp. Holland. lib.* 3. *cap.* 1.

§. VIII. Omnes, qui liberam habent suarum rerum potestatem, ac perficere transactionem possunt, recte, et suo jure in arbitros compromittunt. Ex quo intelligimus, non solum pupillos, minores, amentes, ceteros generis ejusdem, sed etiam neque tutorem, neque curatorem super immobilibus, aut mobilibus pretiosis, sine decreto judicis, neque Praelatum sine canonicis solemnitatibus arbitros constituere posse, neque procuratorem super negocio sibi commisso (1), similiter neque

vassallum super re feudali, cujus cognitio ad dominum directum, vel Pares Curiae certo pertinet. Nam si causa propria sit judicis ordinarii, integra est compromittendi facultas (2). Nemo autem cogi potest ad compromittendum in arbitros, nisi id gravissima causa postularet, veluti, si ex ordine judiciali rixae, armorumque periculum, aut aliud magnum malum immineret (3).

(1) Cap. 3. 5. 9. *de arbitr.*
(2 Confer Libros Feudorum *lib.* 2. *tit* 15, 34. 46.
(3) L. 3. §. 1. *ff. de recept. qui arbitr. receper.*

§. IX. Generatim qui judices, ii ferme arbitri esse possunt, sive sint privati homines, sive magistratus (1), judicesve ordinarii, aut delegati (2). Quin etiam ab hoc officio non repelluntur infames, et libertini (3), filii quoque causam patris cognoscere non prohibentur (4). Haud tamen arbitri esse possunt servi, pupilli, furiosi, amentes, et similes (5), minores annis viginti (6), itemque ex jure civili mulieres (7); quamquam eis jus canonicum arbitrium permittat, cum lege, aut moribus ordinariam habent jurisdictionem (8). Laici quoque in rebus spiritualibus arbitrorum munere fungi nequeunt (9); nisi cum Episcopi auctoritate clericis adjuncti sint, aut jussi a Summo Pontifice arbitrium susceperint (10); denique excommunicati vitandi, quorum refugimus societatem, arbitri constitui non possunt.

(1) L. 3. et 4. *ff. de recept. ff. arbitr. qui arbitr. recep.*
(2) Judicem non posse *arbitrium recipere ejus rei, de qua judex est*, scribit Ulpianus *in L.* 9. *ff. eod. tit.* Sed civili juria canonico derogatum aliqui sentiunt; alii contra sic statuunt, civili jure hoc tantum sancitum esse, ut judex vel jubendo, vel prohibendo litigantes cogere nequeat ad arbitrium sibi ipsi committendum, non item ut libera earum voluntate arbiter constitui non possit. Ut ut ea de re sit, hoc certum est jure canonico tum ordinarios, tum delegatos judices arbitros esse posse, uti constat ex *Cap.* 5, 7, 10. *de arbitr.*, et *Cap.* 14. *de praesumpt.*
(3) L 7. *ff. de recept. arbitr. qui arbitr. receper., Can.* 2. §. *cognitores caus.* 3. *quaest.* 7.
(4) L. 6. *ff. de recept. arbitr. qui arbitr. recep.*
(5) L. 9. *ff. eod tit.*
(6) L. 46. *ff. eod. tit.* Late ea de re disputat Voetus *ad Pandect. lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 7.
(7) L. *ult. Cod. de recept. arbitr.*

(8) Cap. 4. *de arbitr.*, cujus historiam post Mauriquium *annal. Cisterciens. ad an.* 1203. *cap.* 5. *tom.* 3. describit Emmanuel Gonzalezius *in d. cap.* 4. Coufer etiam Cujacium *observat. lib.* 13. *cap.* 23. *opp. tom.* 3. *col.* 348.

(9) Cap. 8. *de arbitris.*

(10) Cap. 9. *eod. tit.*

§. X. Eliguntur arbitri, uti fert voluntas litigantium, et plures; et unus, et illi quidem tam pares, quam impares numero; quamquam satius sit numero dispares constituere, ut facilius controversia expediatur, ratumque, ac firmum habeatur judicium, quod plures ediderunt (1). Nam scitum est, in varietate, ac dissensione constitutis judicum senteutiis potiorem esse, quae pluribus placuit; omnibus vero inter se non convenientibus praeferendam esse sententiam ejus, qui minorem summam complexus est, quoniam ea in majori continetur, ideoque omnes in eamdem consenserunt (2). Duobus electis arbitris, iisque inter se dissentientibus, secundum jus civile tertius sumitur in compromisso designatus, sed eo non designato, solvitur compromissum, quoniam in illa arbitrorum discordia nihil certi statui potest, ac praeterea in hoc tertio eligendo facile arbitri dissentire possunt (3). Sed hodie semper duobus arbitris, quorum est dissimile judicium, integrum est tertium, etiam non nominatum, sumere, qui litem finiat, modo litigantium consensus accedat, aut id jussu, et auctoritate superioris fiat (4). Nam iis non consentientibus, multoque magis expresse repugnantibus, neque tertius eligitur, neque ulla amplius vis est compromissi, quoniam nemo sine litigantium voluntate satis idoneus arbiter esse potest (5).

(1) Cap. 1. *de arbitris.*

(2) Cap. 1. *eod. tit. in 6.*, *L.* 32. §. *si plures ff. de recept. arbitr. qui arbitr. recep.*

(3) L. 19. §. *si in duos ff. eod. tit.*

(4) In *Cap.* 61. *de appellat.* cautum est, ut duobus arbitris inter se dissentientibus tertius eligatur; contra Gregorius IX. *in cap.* 12. *de arbitris* compromissum fieri vetat ea lege, ut tertius aliquis, isque incertus sumatur arbiter, cum duo initio constituti inter se non conveniunt. Ut ea, quae inter duas has decretales esse videtur, pugna removeatur, sic componenda res est, ut litigantes initio nequeant in incertam personam arbitrium conferre, possint tamen ipsi arbitri, cum eorum discors sententia est, tertium sumere, modo id faciant a Praetore jussi, aut cum voluntate, et consensu litigantium.

(5) Vide-sis Voetum *ad Pandèct. lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 13.

§. XI. Causae omnes, quae privati arbitrii sunt, recte expediuntur compromisso; sed hoc trahi nequit ad eas causas, quae per simplicem arbitri notionem finiri non possunt, quaeque ad jus publicum pertinent, et publicam desiderant auctoritatem. Ergo rejiciunt arbitrium causae criminales, in quibus criminaliter agitur (1), quoniam crimina non privato arbitrio remittenda, sed publica auctoritate vindicanda sunt; causae matrimoniales, in quibus de vi matrimonii disputatur (2); causae beneficiales, ne quis sine canonica institutione ecclesiastica beneficia consequatur (3), quamquam vetitum non sit compromissum, si qua lis de jure praesentandi inter duos exoriatur; causae in integrum restitutionis, nisi incidenter tractentur (4); causae status, scilicet ingenuitatis, natalium, libertatis (5); actiones populares, et famosae (6); causae exemptionis, in quibus detrimentum inferri potest juri illius, qui exemptionem attribuit (7). Denique in causis omnibus, in quibus vetita est transactio, ne compromissum quidem fieri potest.

(1) Cap. 9. *de in integr. restit.*, *L. non distinguemus* 32. §. *Julianus* 6. *ff. de recept. arbitr. qui arbitr. recep.*
(2) Cap. 9. mox laudatum. Verum sponsalia de futuro non rejiciunt compromissum, quoniam ea mutuo consensu dissolvuntur *Cap. 2. de sponsal.*
(3) Cap. 1. *de regul. jur. in 6.*
(4) Cap. *penult. de in integr. restit.*
(5) L. 37. §. *Julianus de recept. qui arbitr. recep.*, *L. ult. Cod. ubi et apud quem cognosc. restit. in integr.*, *Cap. 9. de in integr. restit.*
(6) L. 37. §. *Julianus cit.*
(7) Cap. 5. *de arbitris.*

§. XII. Arbiter officium suum alteri nequit committere, nisi hanc potestatem a litigantibus acceperit (1), quoniam ejus industria electa est (2); et quamquam illud initio sua voluntate susceperit (3), tamen susceptum deserere non potest, quoniam suam obligavit fidem, quam cogitur liberare. Itaque munus initio voluntarium fit postea necessarium, adeout illud exequi recusans cogendus sit a magistratu (4); nisi justam habeat causam, propter quam sui officii partibus non satisfacere impune possit. Ita si litigantes arbitrum infamaverint, aut eo spreto, et contempto ad alium arbitrum iverint, si graves inter ipsos inimicitiae ortae sint, impune arbitrium abjicitur;

similiter adversa valetudo, necessaria profectio, munus reipublicae, aliaque similia justam praebent repudiandi, aut saltem differendi arbitrii causam (5).

(1) Cap. 13 *de arbitris.*
(2) L. *non distinguemus cit.* §. *quaesitum* 16., *et L. in compromissis* 45. *ff. de recept arbitr. qui arbitr. recep.*, cujus verba sunt haec » in compromissis arbitrium personae insertum personam non egreditur. »
(3) L. 3, §. 1. *ff. eod. tit.*
(4) L. 3 § 1. *cit.*, *et L.* 22 *ff. eod. tit.*
(5) Videndi sunt Huberus *praelect. ad Pandect, lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 7., et Heineccius *eod, loc.* §. 540. *opp. tom.* 2. *pag.* 135. *edit. Neapol.* 1769.

§. XIII. In primis autem observandae sunt leges in compromisso constitutae, ut pateat, quo ordine, quoque loco, tempore, ratione, methodo ab arbitris res agenda sit, quam ipsi habere debeant potestatem, quam contra non habere, quibusque de rebus eos oporteat judicare. Cum nihil aliud in compromisso expressum est, in eo sane oportet servare fere eamdem formam, quae in judiciis servatur; sed cum de ea certae a compromittentibus dictae sunt leges, eaedem sunt retinendae, custodiendaeque diligenter. Nam arbitri potestas, et res tota pendet ex ipso compromisso (1), ac si longius, quam ejus termini postulant, arbiter progrediatur, nihil agit; quoniam id solum *venit in compromissum*, ut inquit Ulpianus (2), *de quo actum est ut veniret.* Excipiuntur tantum ea, quae cum causa principali ita connexa sunt, ut plane ab ea pendeant; de quibus quidem est ferendum judicium, quamquam nulla eorum mentio facta sit. Itaque arbiter judicat de exceptionibus dilatoriis, et peremptoriis, de fructibus, qui rei controversae partem efficiunt, de litis sumptibus, ac videt, quid intersit ad commodum, utilitatemque tam actoris, quam rei (3). Generatim vero tenenda sunt haec. Arbitri ferre debent sententiam in loco, in quem compromissum fuit (4); die non feriato (5); tempore convento, nisi litigantes nullum tempus definiverint, vel ejus prorogandi arbitris dederint facultatem, vel hi jurati affirment, sibi nondum liquere (6); eadem sententia partibus praesentibus publicanda est (7), nisi aliud populorum moribus receptum sit, eaque tantum commissum negocium, non aliud comprehendi debet (8).

et cum plura sunt data, de omnibus judicandum est (9). Jure civili, cum plures arbitri electi sunt, omnes conjunctim judicare debent, nisi cantum nominatim sit, ut uno absente reliqui negocium expediant (10); at jure canonico si unus citatus, nec impeditus adesse nolit, recte praesentes controversiam finiunt (11); quod merito sancitum est, ut lites exitum habeant celeriorem.

(1) L. 32. §. *de officio* 15., *et* §. *ult. ff. de recept. arbitr. qui arbitr. recep.*
(2) L. *quid tamen* 21. §. *plenum* 6. *ff. eod. tit.*
(3) L. *si servus* 11. *ff. judicat. solvi*
(4) L. 27. §. *si arbiter ff. de recept. arbitr.*, *qui arbitr. recep.*
(5) L. 2. *et* 7. *Cod. de recept. arbitr.*, *L.* 41. *ff. eod. tit.*
(6) L. 14. 30. 38. 55. *ff. eod. tit.*
(7) L. 32. §. *si quis ff. eod. tit.*
(8) L. 37. §. *de officio ff. eod. tit.*
(9) Id vero plenum compromissum dicitur *L.* 25., *et L.* 27. §. *plenum ff. eod. tit.*
(10) L. 19. §. *item*, *et L.* 20. *et* 21. *ff. eod. tit.*
(11) Cap. 2. *de arbitris in* 6.

§. XIV. Ab arbitri sententia non datur appellatio, (1) quoniam nec judicati actio inde praestari potest, ac praeterea absurdum esset diuturna lite vexare eos, qui ad arbitros iverunt, ut se a litium ambagibus, et impensis liberarent, totaque ejus, qui compromisit, culpa est, si minus aequum, aut peritum judicem elegit (2). Verum ut sententiae ab arbitro prolatae iniquitas, atque error emendetur, passim in foro receptum est, ut illa ad arbitrium boni viri redigatur. Quae *reductio* (sic enim appellatur) ab eo, qui causa cecidit, petenda est intra dies decem (3), eamque concedit judex ordinarius, qui non interposito compromisso causam judicare debuisset; atque ita vis, et cursus latae sententiae suspenditur. Quod si post decem dies haec *reductio* postuletur, naturam induit *reformationis*, neque interim efficit, ut sententiae exitus retardetur. Haec autem *reductio* magnam habet affinitatem cum appellatione, ac per eam negocia arbitris antea commissa ad ordinarium judicem deferuntur, a quo etiam appellatio permittitur, sive *reductionis* judex arbitri sententiam improbaverit, sive confirmaverit.

(1) Sed de arbitris necessariis retinenda sunt quae paulo ante diximus §. 4. *pag.* 395.

(2) L. 32. §. *stari ff. de recept. arbitr. qui arbitr. recep.*

(3) Confer Voetum *in Pandect. lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 25. *seqq.*

§. XV. Finitur arbitrium, et potestas arbitrorum mutuo consensu, morte compromittensium, nisi etiam heredum facta sit mentio (1), uno, alterove ex arbitris mortuo, aut ita impedito, ut suum munus amplius exequi nequeat (2), nisi cautum compromisso sit, ut uno ex arbitris vita functo, vel impedito reliqui controversiam expediant (3), inita de re arbitro commissa transactione, soluta poena, quemadmodum supra diximus, non impleta conditione, lata sententia, interitu rei, de qua litigatur, lapso tempore constituto, nisi illud justis de causis, uti demonstratum supra est, fuerit prorogatum.

(1) Cap. 10. *et ult. de arbitris*, *L.* 32. §. *si heredis ff. de recept. arbitr.*

(2) Cap. 50. *de testibus.*

(3) Cap. 42. *de offic. et potest. delegat.*

Finis Tomi Secundi.



RECENSIO TITULORUM
TOMI SECUNDI.

